
D
IV

DE LIBERTATE ECCLESIÆ

IN CONFERENDO ECCLESIASTICA BENEFICIA

NON MODO CLERICIS INDIGENIS, VERUM ETIAM EXTRANEIS,

AC

DE IMMUNITATE

BENEFICIARIORUM MERE SIMPLICIUM A PERSONALIS DEBITO RESIDENTIÆ.

OPUS

Nùnc primò editum, in quatuor Tomos distinctum, & Sacrâ Eruditione plenè refertum; in quo adversùs modernos Impugnatores

IPSARUM

LIBERTATIS, ET IMMUNITATIS,

Rationibus Scripturalibus, Theologicis, Petitis ex SS. Patribus, & ex Sac. Conciliis, Legalibus tandem, Historicis, & Politicis, claro, & eleganti eloquio, probatur,

Quod liberum, & licitum est Ecclesiæ, illiusq; Ministris, atquè in primis Romano Pontifici ejusdem Ecclesiæ Capiti, necnon Episcopis, aliisque omnibus, tùm Ordinariis, tùm Delegatis Beneficiorum Collatoribus, atquè ad ea Nominatoribus, ipsa Beneficia, non modò Clericis Indigenis, verùm etiàm Extraneis impertiri.
Et quòd Beneficiarii merè simplices à Residentia personalis debito sunt immunes.

UNIVERSIS EPISCOPIS, ET ORDINARIIS LOCORUM,

Eorumque Vicariis, Præsulibus, Abbatibus, Ministris, & Consiliariis Principum, Senatoribus, Judicibus, Theologis, Jurisconsultis, Causidicis, Politicis, Historicis, & Eruditis, cunctis demùm Beneficiorum Collatoribus, & Patronis, tàm Ecclesiasticis, quàm Laicis, valdè utile, & respectivè necessarium.



AUCTORE ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO

JOANNE BAPTISTA BRASCHIO

CÆSENATEN. EPISCOPO SARSINÆ, COMITE BOBII.

TOMUS IV.

CONTINENS RATIONES, PROBANTES PRÆFATAM IMMUNITATEM Beneficiariorum merè simplicium à personalis debito residentiæ, Ac dissolutionem Objectionum, quibus Contradictores eam conantur evertere.

ILLUSTRISSIMIS, ET REVERENDISSIMIS DOMINIS

EPISCOPIS,

ARCHIEPISCOPIS, PRIMATIBUS, ET PATRIARCHIS,

Inclytum Ordinem Catholicorum Antistitum Ecclesiæ Dei componentibus, Præconibus Evangelii, Columnis Fidei, ac Sacræ Hierarchiæ Luminaribus splendentissimis, Obsequiosissimè Dedicatus.



LUGDUNI, MDCCXVIII.
Superiorum permissu, & privilegio.

ILLUSTRISSIMI, AC REVERENDISSIMI DOMINI.





A *Solis ortu, & occasu, ab aquilone, & mari* [a], longè, latèque patens Ecclesia, sub sacrorum Antistitum regimine, tàm eminet, quam elùcet: eo uberiùs in dies, Domino largiente proficiens, quò magis ipsimet Antistites cum Summo Pontifice strictioribus obedientiæ, atque communionis vinculis colligantur: quos, in quatuor diversorum nominum gradus, ad cœlestis Hierarchiæ similitudinem, distributos [b], non minùs ac cœteros Christianos, Auctor fidei nostræ Vicario suo, Romano Præsuli, generali subordinavit obsequio [c], cùm dixit Petro: *pasce agnos meos: pasce oves meas* [d]. Christus nàmque *priùs agnos, deindè oves Petro commisit, quià non solùm pastorem, sed & pastorem pastorum eum constituit* [e]. Cohœrentibus itàque membris cum suo capite, Præsulibus cum Pontifice; ipsamet Ecclesia super immobilem petram, quæ Petrus est, firmissimè convalescit, stat, perseverat [f]. Indèque fit, ut intèr utrosque, cum indissolubili partium coordinatione, sit communis

(a) *Psalm.* 106. *n.* 3.

(b) *Albert. Pighius de Hierarch. lib.* 3. *c.* 1. *Barbos. sur Eccl. univ. lib.* 1. *c.* 6 *n* 6.

(c) *S. Bernard. de Consid lib.* 2. *c* 8.

(d) *Joan. c.* 2. *n.* 16. 18.

(e) *Euseb. Gallican. serm. de S. Joan.*

(f) *Matthæi c.* 16. *n.* 18.

quoque omnium rerum eventus: & ficùt *dùm membra vexantur, caput reliquum pacem, aut quietem minimè habere poteft* (g); fic & cum capiti vulnus infligitur, membra fentiant de illatâ cicatrice difcrimen: nec nifi *tùnc ftatus membrorum integer perfeveret, cùm caput fidei nulla pulfat injuria* (h). Audiftis Illuftriffimi Patres, & Coantiftites præclariffimi, profanam novitatem, quam nupèr quorundam hominum audax nimiùm verbofitas per univerfa terrarum fpatia fuis fcriptis evomuit: illùc directa, ut non poffint facræ præbendæ viris, fecundùm carnem extraneis à locis beneficiorum, proùt anteà difpenfari; & nè gaudeant Beneficiarii merè fimplices priftinâ exemptione à perfonalis debito refidentiæ. Novitas hæc *Libertatem*, & *Immunitatem* Ecclefiæ immanitèr fauciat, ac notabilitèr dehoneftat. Et pro eo quod utramque Romani Pontificis nititur fubtrahere poteftati; *pervenit profectò ufque ad nos dolor maximus ifte, qui cum fit capitis, non poteft non effe corporis* (i). Prò eo verò, quod eafdem etiam nobis affectat abripere; nimiam patimur in facrâ jurifdictione jacturam: & heu quod captivam duci cernimus, tùm Ecclefiam univerfalem, tùm Ecclefias quafque particulares: ac fub oculis noftris intolerabili fubiici fervituti fponfas, quas liberas accepimus (l), & quæ à Chrifto libertatis chirographum, fcriptum fuo fanguine receperunt (m). *Perit* nàmque, *folis Pontificibus collata à Domino*, beneficia difpenfandi *poteftas*; *fi fubftituendi* Beneficiarios *hæreditas alicui facultatem acquirat. Quid enìm Epifcopo in commifsâ licebit Ecclefiâ, in quâ Clericus arbitrio affignetur alieno? Ubi plùs nuptiis debetur, quàm meritis: plùs geniturœ, quàm gratiæ &c.* Ubi *Sacerdotium natales defpondent, non mores*: patria, *non fcientia: laicus generans, non Præful adoptans* (n)? Ut quid etiam Concilia, ut quid Patres, atque Pontifices, titulis eximii honoris dignitatem noftri Ordinis

(g) *Julius Papa in Concil. Rom. t. m. 1. Concilior.*

(h) *S. Gregor. lib. 11. epift 44.*

(i) *S. Bernard epift. 242.*

(l) *Galat. c. 4. n. 31. S. Anfelm. ep. 45. l. 3. Petr. Blefenf. ep. 124.*

(m) *Goffrid. Vindoc. opufc. 1 6. 6.*

(n) *Hildeber. Turonenf. ep. 55.*

nis

RESPONSIO OBJECTIONIBUS
EX JURE DIVINO, ET NATURALI PROPOSITIS ADVERSUS
IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERE SIMPLICIUM
AB ONERE RESIDENTIÆ.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS.
EX JURE CANONICO, ET EX ALIIS MOTIVIS CONTRA PRÆFATAM.
IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERE SIMPLICIUM
AB ONERE RESIDENTIÆ.

RESPONSIO OBJECTIONIBUS.
EX ALIIS VARIIS MOTIVIS CONTRA PRÆFATAM
IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERE SIMPLICIUM
AB ONERE RESIDENTIÆ.

CA-

RESPONSIO ULTIMÆ OBJECTIONIBUS, IMPUGNANTIBUS EX DIVERSIS MOTIVIS MEMORATAM IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERE SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

QUID

QVID TENTATIS DEVM,

IMPONERE JVGVM SVPER CERVICES DISCIPVLORVM,


QVOD NEQVE PATRES NOSTRI,

NEQVE NOS PORTARE POTVIMVS?

Act. Apost. cap. 15. *n.* 10.



DE



DE BENEFICIIS
MERÈ SIMPLICIBUS.

CAPUT I.

In quo agitur de Significatione Nominis BENEFICIUM. *Dè Quidditate, ac definitione Beneficii Ecclesiastici merè simplicis. Et an Bona Ecclesię modò regulanda sint eâ formâ, quâ regulabantur primis ejusdem Ecclesię Sęculis.*

SUMMARIUM.

1 *Sermonem dè aliquâ rè habiturus, debet à Divini nominis invocatione sumere initium, & ità hìc facit Auctor.*
2 *Cum reprehensibile sit rei, de quâ agendum est, proprietatem vocis ignorare; investiganda est significatio, & definitio beneficii.*
3 *Vox beneficium significat actum benevolum, vel actionem benefaciendi. Apud Jurisconsultos significat privilegium.*
4 *Apud Historicos significat feudum. Contentio supèr hâc voce orta est intèr Hadrianum Papam IV. & Fridericum I. Imperatorem.*
5 *Beneficium, ut ad rem Ecclesiasticam refertur, significat præbendam Clerico in titulum attributam, vel in commendam perpetuam.*
6 *Ponitur definitio beneficii merè simplicis. Qualitèr ab eâ distingui debeat definitio beneficii residentialis.*
7 *An Beneficiario sufficiat Divinum Officium recitare, vel aliud etiàm personale opus exercere debeat in loco beneficii.*
8 *Possidentes beneficia curata, vel choralia &c. ad alia personalia debita tenentur, pretèr Officii recitationem.*

9 *Beneficiarius simplex, si ad Missas, vel aliud simile teneatur, potest illas adimplere per alium, quià in eo non est electa industria personæ.*
10 *Si verò ad nullum personale servitium teneatur, sufficit quod officium recitet: nèc potest beneficium gravare onere indebito.*
11 *Clerici in ætate 14. annorum de jure: & de fundatoris voluntate etiàm in minori ætate possunt consequi beneficia merè simplicia.*
12 *Non possunt cogi Beneficiarii merè simplices ad aliquod personale officium, nequè arctari ad residendum in loco beneficii.*
13 *Officium Divinum persolvere, est Ecclesiæ deservire. Publica, & choralis psalmodia quandonàm inceperit exerceri.*
14 *Antequàm choralis psalmodia institueretur, Clerici etsi animarum curâ carentes, adhùc sacra stipendia percipiebant.*
15 *Quamvis beneficia succedant in locum dictorum stipendiorum, tamèn de beneficiis nùnc loqui non possumus æquè, ac de illis bonis.*
16 *Beneficia merè simplicia an fuerint fundata ex bonis Deo Apostolorum tempore dedicatis, vel primis illis temporibus Ecclesiæ delatis.*
17 *Tempore S.Gregorii fuit opinio, quod bona per Ecclesiam novitèr acquisita, diversam ab antiquis secumferrent rationem.*
18 *Si bona beneficiorum merè simplicium ad Ecclesiam pervenerunt postremis sæculis, non sunt regulanda more priscorum temporum.*
19 *Tametsi per partitionem bonorum Ecclesiæ non sit immutata eorum natura, hoc nihil officit contrà beneficia merè simplicia.*
20 *Beneficiis non est ingerendum onus, quod non habent: nec sunt eo modo regulanda, ac antiquissima Ecclesiæ bona.*

1. *MNE datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmigratio, nec vicissitudinis obumbratio*, inquit Sanctus Apostolus Jacobus, frater Domini, Justus cognomine nuncupatus (*a*). Quod memorabile dictum sicut ipse inter initia suæ Epistolæ catholicæ, quâ Ecclesiam est allocutus, religiosissimè collocavit, sic & nos illud ipsum huic nostræ qualicumque lucubrationi, tamquàm Caput corpori superponimus, ut hisce verbis initialibus fateamur, nos talitèr, ac tàm demissè de nostrâ exiguitate sentire, quod nihil boni calamus, nihil vox, nihil nostra oratio personabit, nisi quantum, *dives in miserationibus Dominus*, dabit nobis posse profari (*b*). Porrò est optimus agendi ordo, ait S. Gregorius Nazianzenus (*c*), ut qui sermonem de rè aliquâ est habiturus, à Deo initium sumat, illoque Duce locutionem suam incipiat: Quid enim non prosperè aget, quid non utillimum pronuntiabit, qui Domino invocato eloquium suum inchoat, componit verba, instituit orationem?

(a) *Jacobi cap. 1. num. 17.*

(b) *Romanor. cap. 10 num. 12. Ephes. cap. 2 num. 2.*
(c) *S. Gregor. Nazianz. Oration. 1. f. 20.*

2. Sub ejus ergò præsidio, & invocatione, atquè in eo unicè confidentes, qui *dat verbum evangelizantibus virtute multa* (*d*): Qui *aperit os mutorum, & linguas infantium facit esse disertas* (*e*), operi manum apponimus: & de Beneficiis Ecclesiasticis merè simplicibus, atquè de illorum possessoribus ab actualis residentiæ, ac servitii personalis debito exemptis, hìc ex proposito peracturi, primo loco significationem nominis *Beneficium*, ejusdemque tamquàm merè simplicis definitionem, & quidditatem, pro imbecillitate nostrâ, aggredimur ventilandam: præstat etenim hæc omnia diligentissimè perscrutari, & ipsius vocis, de quâ agitur, significationem inquirere; uti præstat Nautæ iter per æquora facturo, Præsidi provinciam recturo, Duci aciem instructuro, ipsius aciei, ipsius provinciæ, ipsius pelagi notitiam integram possidere. Ideòque etiàm lex suggerit opportu-

(d) *Psalm. 67. n. 12.*
(e) *Sapientiæ cap. 10 num. 21.*

portunè, quod nàm etiàm ait lex, reprehensibile est in loquente, si rei, de quâ effatur, proprietatem vocis ignoret (*a*). Antè omnia ergò ad indagandam significationem vocis *Beneficium*, elocutionem nostram aptamus: ut ab illâ ad definitionem Beneficii merè simplicis rectò ordine procedamus.

3. Beneficii vocabulum, ut sic, in suâ propriâ, & naturali acceptione, significat actum benevolum, seù actionem beneficiendi, de quâ D.Augustinus, *beneficium est benevola actio tribuens, captansque gaudium tribuendo id, quod agit* (*b*). De ratione namque beneficii est quod alicui prosit; undè Cassiodorus: *Beneficium dici non potest, quod nullâ utilitate sentitur* (*c*): Et ità beneficium pro benevolâ actione, & pro benefico, atque utili facto sumitur ab Antiquis, nedùm profanis, uti videre est apud Cæsarem (*d*), Senecam (*e*), Terentium (*f*), Vegetium, & alios (*g*); sed etiam sacris, uti legitur apud D.Hieronymum (*h*). In Concilio Teleptensi (*i*), & alibi, quod & in decursu quoque huius operis observabitur. Verùm apud *Jurisconsultos* voto beneficium significat privilegium, vel favorem, alicui à jure, vèl à Principe concessum; sicque immunitas data Clericis à susceptione tutelæ, dicitur beneficium (*l*). Admissio ad restitutionem in integrum dicitur beneficium (*m*). Beneficium dicitur liberatio patris, habentis multos filios, à muneribus publicis sustinendis (*n*). Beneficium Inventarii (*o*), Beneficium deducto, ne egeat aliquibus concessum (*p*), & alia permulta privilegia legalia dicuntur Beneficia, de quibus leges uberiùs, & Legistæ (*q*).

4. Apud *Historicos* Voto beneficium significat feudum; in quâ tamèn significatione sumitur etiam apud Jurisconsultos: Feudum etenim dicitur beneficium Principis; quod datur ex ejusdem benevolentiâ (*r*). Et ità in sensu feudi vocem hanc beneficium fuisse acceptam à Friderico I. Imperatore memorant Sigebertus (*s*), Otho Frisingensis, & alii (*t*), quando Hadrianus Papa IV. illi scripsit, se Cæsareæ Coronæ insignia ei libentissimè contulisse, ac quod si maiora *beneficia* ipsimet contulisset, màgis adhùc gauderet, quâ voce beneficii excitatus ad iracundiam Imperator, tamquàm si per eam significaretur, quod ipse Imperium à Romano Pontifice feudali titulo suscepisset; infremuit, indoluit, exclamavit: eratque magnam in Ecclesiâ turbulentiam producturus, nisi prudens Pontifex, novis ad eum datis literis declarasset, sè per verbum *beneficium*, non feudum, sed bonum factum significasse, eo modo, quo in Sacris Scripturis beneficia Dei, non feudum, sed bona facta significant, quæ nobis Dominus misericorditèr elargitur (*u*).

5. Proùt verò ad rem Ecclesiasticam refertur, voto *beneficium* vulgaritèr, & jam per quamdam antonomasiam, significat Sacerdotium, sivè præbendam, vel quidquid aliud est, ex quo Clerici, & Sacerdotes, apud Christianos, accipiunt proventus Ecclesiasticos, sibi in titulum attributos (*x*), vel alio legali modo concessos: beneficia enim Ecclesiastica interdùm alicui non in titulum conferuntur, sed in commendam (*y*). Sed si Commendatarii sint perpetui, habentur pro Titularibus (*z*). In quo sensu, Beneficii appellatione, vocabulum largè sumendo, cuncta comprehenduntur beneficia, tàm maiora, quàm minora: tàm curata, quàm simplicia: tàm dignitates, quàm præbendæ: nàm ex dignitate iunctâ beneficio, non eius natura immutatur, sed solum illi adiungitur prærogatiua (*aa*). In hac ultimâ acceptione, de verbo beneficium nos effamur: & de infimâ ipsius specie tractamus, nempè de beneficiis merè simplicibus, quæ debito personalis oneris carent, & nec jurisdictionem, neque administrationem, neque dignitatem Ecclesiasticam tenent, neque curam Animarum, neque officium chorale, vel aliud ministerium personale habent, sed solùm titulum, & proventus perpetuos ei assignatos, & à Titulari percipiendos cum onere Divinum Officium recitandi. Quæ beneficia vocamus *merè* simplicia, ad differentiam illorum, quæ non sunt, vel dicuntur merè talia. Nàm aliqui Doctores nominant beneficia simplicia omnia illa, quæ non sunt duplicia, nempè quæ non sunt prædita curâ Animarum, vel Dignitate, vel Offi-

(a) *Leg.Domitius ff. de Testam.*

(b) *S.August.de definit.*

(c) *Cassiodor. lib. 2. epist. 28*

(d) *Cæsar. de Bello Civil.lib.1.*

(e) *Seneca de benef. l.2 c.6.*

(f) *Terent. Eunuch. 1.2.6.9.*

(g) *Veget.l.2. cap.7. Cassiod.var. l.1 ep 26.*

(h) *S.Hieron. l.1. in epist. ad Tit.*

(i) *Concil.Teleptens. an.418.c.2.*

(l) *L.51.de Episc.& Cler.*

(m) *L.2. C de præd. & al.reb.minor.*

(n) *L.1 §.1 ff de excus. l.2. §.2. ff de vac. mun.*

(o) *L.final.C.de jur. delib.*

(p) *De Luc. de credit. disc.118. n.5., & disc.122 n.14.*

(q) *Vid.Calvin. Lexic.Jurif. verb. benef.*

(r) *Card.de Luca de Feud.disc.39 n.6.*

(s) *Sigeb. in Chron. ann.1007.*

(t) *Otho Frisingens. l.2.c.12.*

(u) *Radevic.in Frider. l.l.1.c.8. & 17.*

(x) *Garcia de benef. p.1.c.1.n.6.*

(y) *Azor. just. mor. p.1.l.6.c.31.qu.2. Layman.lib.4.tr.2.c.5.n 7. Garc.p.4 c.4.n.7. Lotter.l.3.q 8.n.22. &c.*

(z) *Barbos.Jur.Eccles.Univ.l.3 c.9.n.37*

(aa) *Glos. in c.benef. de Reg.Jur.in 6. & in c. si gratiosè de resc. v. Barbos. tract. var. ap. pel.32.n.1.*

Officio, vel Personatu (*a*), qualia sunt Canonicatus, Mansionariæ, & similia, quæ rè verâ, tamquàm residentialia, & ad personale officium adstricta, non sunt simplicia: vel si sunt simplicia, non sunt *merè* simplicia, proùt illa de quibus nos loquimur. Intèr ista autem beneficia merè simplicia sunt aliqua, quibus inest titulus Abbatiæ, Præpositurae, Prioratus &c. titulus, inquam, non verò res significata per nomen saltèm vt in pluribus; raro quippè insignia, cœterasque prærogativas, & potestatem Ecclesiasticam, alioquin illi titulo correspondentes, obtinent: vel si fortè aliqua ex eis alicubi easdem obtinent; adhùc tamèn salvis ipsis prærogativis ad honorem, in reliquis, quoàd substantiam redacta sunt ad statum beneficiorum merè simplicium; nèc nisi pro beneficiis merè simplicibus considerantur. Itàque nos loquimur de beneficiis *merè simplicibus*, proùt contradistinguuntur à *residentialibus*: ad differentiam eorum, qui loquuntur de beneficiis simplicibus, proùt contradistinguuntur ab illis, quæ ipsi vocant, *duplicia*, & si sunt simplicia, non sunt merè simplicia.

6. Quià verò, teste Cicerone, *omnis, quæ à ratione suscipitur de aliquâ rè, institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur* (*b*). Oportet hìc definitionem Beneficii merè simplicis allegare; propositâ priùs definitione beneficii ut sic, tamquàm generis despectu ad speciem eidem subalternam. Itàque Beneficium Ecclesiasticum, generalitèr sumptum, definitur à Canonistis, quod sit *jus perpetuum ad percipiendos reditus Ecclesiasticos, ratione Spiritualis Officii, personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesiasticâ personâ collatum* (*c*). Definitio optima est; constans ex genere, & differentiâ, continens substantiam definiti, ejusque naturam, & quidditatem explicans; ac quæ convertitur cum ipsomet definito. Beneficium verò Ecclesiasticum strictè consideratum, vti merè simplex, ità potest optimè definiri, *est jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico competens, proptèr Divinum Officium* (*d*). Hâc definitione utuntur Theologi, loquendo de beneficiis Ecclesiasticis, in totâ latitudine sumptis (*e*). Rè verâ tamèn ex eo, quod dicit *proptèr Divinum Officium*, potiùs convenit solis Beneficiis merè simplicibus: cùm ad connotandum alia Beneficia residentialia debeat dicere, *proptèr Officium Spirituale, seù proptèr Ecclesiasticum munus personalitèr adimplendum*. Sed quia usquè ad nostram ætatem nemo in dubium posuit exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere personalis residentiæ; ideò Auctores non ità definitionem Beneficii Ecclesiastici posuerunt, ut beneficia merè simplicia à residentialibus ipso verborum sono distinguat.

7. Recentiores verò illi, quorum doctrinam impugnamus, ut cunctos Beneficiarios, etiam beneficia merè simplicia possidentes, personalis residentiæ vinculis valeant implicare; contendunt, quod non sufficiat Beneficiario Divinum Officium recitare, nisi simùl, & semèl, aliud ministerium sacrum exhibeat Ecclesiæ, vel Altari, in quo erectum est beneficium. Undè posteà deductivè subinferunt, quod nullus beneficia etiam merè simplicia licitè possit Clericis extraneis, vtpotè non residentibus apud ipsas Ecclesias, nèc eis personale ministerium exhibentibus, elargiri. Uerùm non minùs nova, quàm vana est huiusmodi ratiocinatio, totius Ecclesiæ praxi, ac insolitæ disciplinæ contraria, constantissimè asseveranti, ad beneficii fructus legitimè percipiendos, satis esse Beneficiario vel solùm Divinum Officium persoluere, vel aliud insupèr ministerium Ecclesiasticum exercere, in fundationis, seù erectionis limine oppositum; itaùt utrumque coniunctum locum non habeat in beneficiis merè simplicibus, sed in illis solis, quę Beneficiarium residentiæ personalis debito involvunt.

8. Nàm si beneficium est Curatum, vel Chorale, vel alio personali onere gravatum, in loco beneficii exercendo, non sufficit Beneficiario solùm Divinum Officium apud se recitare, sed etiàm debet in præfato loco respectivè Sacramenta administrare, Verbum Dei prædicare, Missas celebrare, Divina Officia canere, Choro assistere, Processionibus, aliisque Sacris functionibus interesse, atquè

(*a*) *Castropal. p. 2. tr. 13. disp. unic. pun. 2. n. 3.*

(*b*) *Cicero de Officiis lib. 1.*

(*c*) *Lud. Engel. Colleg. Jur p. 2 l 3. tit. 12. § 1. Garcia de benef. p. 1. c. 2. n 2. Lotter. l. 3. q. 3. n. 3.*

(*d*) *Tolet. Instr. Sacr. l. 5 c. 77. Filliuc tr. 41. de benef. c 1. q. 4 n. 13.*

(*e*) *Vide Sylvestr. verb. beneficium n. 1. Regiral. l. 19 sec. 2. n. 78*

què alia munia ecclesiastica obire, quæ lex possessi beneficii præscribit: Et de his beneficiis intelligendi sunt loqui Auctores quotquot in oppositum congeruntur, cum dicunt, non sufficere Beneficiariis solam Breviarii recitationem; sed insuper debere Sacramenta administrare, Missas celebrare, Conciones ad populum habere, in Ecclesiâ beneficii psallere &c. (*a*), & alia respectivè adimplere, quæ illorum beneficii ratio deposcit. Intelligendi sunt, inquam, loqui de beneficiis, & Beneficiariis Curatis, Choralibus, & Residentialibus, peculiari, & personali onere adstrictis, non verò de merè simplicibus, quæ numquàm à sæculo auditum est alicujus servitii personalis debito adstringi, nèc unquàm Clericos eorumdem possessores, tametsi pios, ac illibatæ conscientiæ, aùt jam sanctorum albo conscriptos, in eisdem personalitèr ministrasse.

9. Sanè si beneficium non sit Curatum, neque Chorale, neque aliàs Residentiale, sed merè simplex; vel est onere alicujus servitii peculiaris adstrictum (uti Missas celebrandi, eleemosynas elargiendi, aùt aliud opus Ecclesiasticum exercendi) vel non: Si est onere alicujus servitij peculiaris gravatum, non tenetur Beneficiarius illud onus personalitèr exercere, quippè in eo non est electa industria personæ, (cùm de hoc nihil constet, neque in fundatione, neque in erectione beneficii), sed sufficit, ut Beneficiarius determinato illi oneri per alium satisfaciat, eâ legali, ac tritâ ratione, communi praxi omnium sæculorum, cunctorumque Clericorum observantiâ generalitèr roboratâ, quod qui alium facit, per se ipsum facere censetur (*b*): Non quidèm per quandam fictionem, sed per realem, & legitimam methodum agendi, à Juribus, & Doctoribus approbatam (*c*). Quæ tamen locum non habent in iis, quæ requirunt servitium personale actu, proùt est residentia in beneficio Chorali, ad effectum consequendi quotidianas distributiones, & visitatio ad effectum recipiendi procurationem, ac generalitèr in iis omnibus, in quibus est electa industria personæ (*d*).

10. Si verò beneficium merè simplex, nullius peculiaris servitii debito sit oneratum, tùnc sufficit, quod Beneficiarius Divinum Officium recitet, atquè sic Ecclesiæ generali, sacrâ illâ psalmodiâ, & precibus, coram Deo effusis, deserviat(*e*). Et nedùm non debet Sacramenta in Ecclesiâ beneficii ministrare, prædicare, & similia facere; sed imò non potest sinè expressâ Episcopi, vel Parochi localis auctoritate, id efficere, ne videatur mittere falcem in messem alienam, & si id faciat, vt in pluribus est punibilis. Paritèr expelleretur à Choro per Canonicos, & Beneficiarios Chorales, si vellet ibi tamquàm ex debito interesse, & in eo locum habere. Prætèrquamquod non id potest efficere, quia salvâ conscientiâ, non ei est licitum novum onus suæ præbendæ superinducere (*f*), cujus juravit jura, & libertatem tueri: non tueretur autem, sed proderet; ac eius libertatem sauciaret, atquè perjurium incurreret, si suâ privatâ auctoritate, possessum beneficium indebitis functionibus oneraret. Nàm ubi nec fundator beneficii, neque Ecclesia, illius erectrix, Beneficiarium ad munia personalia coarctat, quomodò quæso potest ipse, sinè gravi reatu, possessam præbendam indebitis obligationibus subjugare? satisfacit ergò suæ obligationi, si Divino Officio privatim persolvendo incumbat, & eleemosynas pro modo suæ facultatis indigentibus exhibeat. Cœtera opera pia, si quæ ulteriùs exercet, benefacit, laudabilitèr agit, commendabilis est: at ad ea, tamquàm ex debito, adstringi non potest, quia nullo jure ad ipsa tenetur, quæ etenim supèr erogationis sunt, obligationem non inducunt.

11. Ad hæc, ut Clericus beneficii simplicis valeat esse capax, sufficit quod annum agat quartum decimum, jam incœptum (*g*). Imò si in fundatione ipsius beneficii cautum sit, quod Clericus, etiam quartodecimo anno minor, illud valeat adipisci, licitè illud ipsum consequitur (*h*). Et ità Clericus, vel ex speciali lege fundatoris, vel ex generali Ecclesiæ lege, beneficium merè simplex ritè, & licitè consequitur in ætate, in quâ nec Sacramenta ministrare potest, nec prædicare, neque alias functiones Ecclesiasticas exercere. Non ergò ad has tenetur Be-

(a) *Natal ab Alex. Theol. l. 2 c. 6.*

(b) *Cap. qui per aliũ de regul Jur. in 6 c. mulære §. ille v. de sent. excom lib. 1. § dejecisse ff. de vi, & vi arm. l. ita § quod si ff. de admin. tut.*

(c) *L. 1. § usus ff. de procur. Barbos. tract. var. axiom 92. n. 1.*

(d) *Tuscus lit. F. Concl 7 à n. 25. tom. 3. Barbos. loc. cit. n. 2.*

(e) *Lotter. de re benef l. 1. qu 6 n. 28. & qu. 7. n. 10.*

(f) *Letter. de re benef l. 1. q. 32. num. 10. & 11.*

(g) *Concil. Trid. sess. 23 c. 6. de reform. Barbos. Summ Rot. decis. Collect. 15. n. 6.*

(h) *Barbos. Summ. Apost. decis. Collect. 392. n. 1.*

Beneficiarius merè ſimplex, tamquàm ex debito, ſed ſolum ad Officium Divinum perſolvendum: alioquin dicendum eſſet, quod Sacri Canones, & Concilia, ac Eccleſia, admittentes Clericos adeò imbecillis ætatis ad beneficia merè ſimplicia, erraſſent uſquè modò, & in dies magis errarent, utpote præbentes ipſa beneficia perſonis inhabilibus, & ineptis ad exercenda officia, quæ ipſiſmet beneficiis ſupponuntur eſſe connexa. Dicere autèm quod Eccleſia in rè tanti momenti, per totum Orbem ità sè gerens, erraverit, & erret, non eſt ſapientèr loqui, ſed delirare.

12. Rurſus jam eſt in Eccleſiâ definitum, non poſſe Epiſcopum cogere Beneficiarios merè ſimplices ad aliquod perſonale officium, cujus debito careant, ſuis beneficiis impendendum (*a*). Nequè illos arctare ad reſidendum in loco, ubi beneficium eſt erectum; ſed ſolummodò compellere ad ei deſerviendum per idoneum ſubſtitutum, ſi aliquam peculiarem obligationem habeant, inibi adimplendam, quam nolint ex ſe ipſis obire (*b*). Beneficiarius ergò merè ſimplex perſonalitèr non tenetur ad aliud, quàm ad Divinum Officium recitandum (*c*). Quatenùs beneficium datur proptèr officium (*d*), ideſt proptèr officium legationis, quam Beneficiarius exercet apud Deum, illum deprecando pro culpis hominum, uti exponit Navarrus (*e*). Quod optimè tùnc facit Beneficiarius merè ſimplex, cum preces, in Divino Officio, juxtà Breviarii ritum, contentas, perſoluit, & eas Domino pro peccatis hominum offert. Tenetur etiàm ad eleemoſynas pauperibus exhibendas juxtà vires ſui ſtatus, & redituum beneficii, ſed hæc non pertinent ad præſentem quæſtionem, nec magis incumbunt Beneficiariis, merè ſimplicibus, quàm aliis quibuslibet viris Eccleſiaſticis; imò & Laicis etiam, congruâ ſempèr proportione ſervatâ: nàm non ſolis Beneficiariis, ſed cunctis quoquè aliis Clericis, & Laicis injunctum eſt: *Frange eſurienti panem tuum* (*f*): *Ex ſubſtantiâ tuâ fac eleemoſynam* (*g*): *Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ* (*h*). Ideòque D. Thomas ait, quod res, quas Chriſtiani *ſuperabundantèr habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi* (*i*). Et D. Baſilius (*l*), & D. Ambroſius (*m*), & plures alii Patres (*n*), in eo ſenſu fuerunt, quod quicumque opes habent, & eas in pauperes non impendunt, nedùm ſuo debito non ſatisfaciant, ſed imò rerum alienarum cenſeantur eſſe raptores.

(a) *Sac. Congr. ap. Barboſ. loc. cit. Collect. 64. n. 5.*
(b) *Sac. Congr. apud Barboſ. loc cit. n. 6.*
(c) *Leo X. conſtit. 7. S. Pius V. conſt. 135.*
(d) *C. ult. de reſcrip. in 6. cap. cum ſecundũ de præben.*
(e) *Navar. in relec. cap. ſi quando in 7. except. n. 1 de reſcript.*
(f) *Iſaiæ c. 58. n. 7.*
(g) *Tobiæ c. 4. n. 7.*
(h) *Proverbior. c. 3. n. 8.*
(i) *S. Thomas 2. 2. qu. 66 art. 7.*
(l) *S. Baſilius Oratiom. ad Divites.*
(m) *S. Amb. ſerm 81.*
(n) *Card. Bellarm. Opuſc. de arte bene morien.*

13. Certè Officium Divinum perſoluere, eſt Eccleſiæ deſervire, & preces Deo effundere, ſeù orare: ob ſolùm autem munus orandi, Sacerdotes, & Clerici, quibus non alia ulteriora munia commiſſa ſunt, ſtipendia eccleſiaſtica promerentur: imò idcircò ſtipendia eccleſiaſtica promerentur, quia orant: eo modo, quo in primis Eccleſiæ Sæculis, eatenùs de obventionibus Eccleſiæ oblatis participabant, quatenùs orationes Deo perſolvebant; Undè D. Hieronymus in epiſtolâ ad Damaſum, *quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, & oblationes accipiunt* (*o*). Prò quâ actione orandi hìc non intelligimus illam ſolemnem, & publicam pſalmodiam, quæ alter nativo in Choro, à Miniſtris Eccleſiæ publicè decantatur: quandoquidem hæc non niſi quarto Eccleſiæ Sæculo in Oriente ſumpſiſſe dicitur exordium, ſub Conſtantio Imperatore, Auctoribus Flaviano, & Diodoro tùnc Monachis, & poſteà Epiſcopis, altero Antiocheno, & altero Tarſenſi (*p*), uti referunt Theodoretus, & Caſſiodorus (*q*). In Occidente verò initium habuiſſe à B. Ambroſio Mediolanenſi, tempore Theodoſii Senioris, uti memorant S. Iſidorus (*r*), Rabanus Maurus (*s*), Radulphus Tungrenſis, & alii (*t*). Tametſi uſquè ab initio Eccleſiæ Fideles inſimul convenirent, ut Hymnos, & Pſalmos, ac Laudes Deo celebrarent, cultumque Domino ſuis orationibus exhiberent, quibus non tantùm Clerici, verùm etiam Laici operam dabant, pro menſurâ eorum pietatis, ac fervoris in hoc laudabili opere ſe exercentes.

(o) *Cap. quia 13. 10. qu. 1.*
(p) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſ. diſcip. p. 1. l. 2. c. 72. n. 6.*
(q) *Theodoret. hiſt. l. 2 c. 24 Caſſiod. in tripart l. 5. c. 32.*
(r) *S. Iſidor. l. 1. de Eccleſ. Offic c 7.*
(s) *Rabanus l. 2. inſtit. Cler. c 50.*
(t) *Radulphus Tung. de Canon obſeru. propoſ. 12 Thomaſſin. loc. cit. Francolin. de hor. Canc. 3. n. 8.*

14. Antè quæ tempora quarti Sæculi, cum plures, ac diverſorum ordinum in Eccleſiâ eſſent Clerici, & Sacerdotes, qui nec animarum curam exercebant, nequè in Choro Divina Officia ut ſuprà ſolemnitèr perſolvebant, & tamèn proven-

ventus Ecclesiasticos percipiebant; oportet ex necessitate concludere, quod ipsi non nisi ob privatam actionem orandi, de stipendiis Ecclesiasticis participabant: & sic quod hæc stipendia, sivè quod Ecclesiastica beneficia in eorum locum succedentia, & primævâ ipsorum origine, & praxi, per quadringentos annos tùnc productâ, debeantur Clericis, & Sacerdotibus, etiàm proptèr solùm munus orandi privatim, sivè ex se horas Canonicas recitandi, quoties beneficia, quæ possident, sunt merè simplicia, & nec ex eorum fundatione, vel dotatione, nequè ex alio quopiam peculiari titulo ad ullum personale servitium destinata esse noscuntur: quemadmodùm stipendia præfata Clericis illis antiquis debebantur, nihil ampliùs tunc agentibus, quàm agant modò Clerici obtinentes beneficia merè simplicia: est enim regula magistralis (*a*), quod subrogatum sapit naturam eius, in cujus locum subrogatur (*b*). Nèc dicatur, quod illi antiqui Clerici, ultrà privatam recitationem Officii (quæ etiam de rigore, vix privata dicenda esse videtur, sed potiùs publica, patres fit à Clerico Ministro Ecclesiæ, nomine Ecclesiæ, & juxtà ritum ab Ecclesiâ præscriptum, quantumlibet non fiat in Choro, atquè solemnitèr in Ecclesiâ) alia quoquè munia sacra in Ecclesiâ personalitèr exercebant, & propterea percipiebant de ipsis stipendiis; Nàm hoc non supponendum est, sed probandum: & quidèm probandum, quod omnes Clerici, nemine excepto, ea munia indispensabilitèr exercerent, & exercere tenerentur, non pro eorum libito, sed ex necessitate, si volebant ad Ecclesiasticos proventus participandos admitti: talitèr ut non illis sufficeret Clericalem statum assumpsisse, ac officium ut suprà ex se ipsis recitare, nisi simùl, & semèl etiàm aliqua alia munia in Ecclesiâ personalitèr exercerent. Hoc est probandum.

(a) *Cravet. cons. 973. nu. 2. Decian. cons. 43. n. 14. lib. 3.*

(b) *Leg. si eum, & ibi Bart. & Bald. ff. si quis caut. l. filia. §. Titia ff. de condit., & demonstr.*

15. Quamvis autèm generali voce dicatur, quod beneficia Ecclesiastica, quæ nùnc sunt, succedant in locum stipendiorum ecclesiasticorum, sivè aliorum redituum Ecclesiæ, quæ antiquis temporibus, Clericis majoris, & minoris ordinis, pro differentiâ graduum, & meritorum porrigebantur; attamèn quidquid sit de huius rei formali, ac rigorosâ veritate (non nisi fortè, similitudinariè, exemplaritèr, & æquivocè locum habente) certè de beneficiis Ecclesiasticis nostri temporis, & nostrâ ætate, non possumus, nec debemus sub eo præciso æquilibrio loqui, sub quo de antiquis rebus Ecclesiasticis, ad pedes Apostolorum positis, vel per proxima illa tempora Ecclesiæ collatis, sub specioso antiquitatis sono fit sermo. Nàm tàm illa bona quidèm, quàm bona, ex quibus nùnc reperiuntur constituta Ecclesiastica beneficia, erant, & sunt bona Ecclesiæ, bona Deo dicata, & patrimonium Crucifixi (*c*). At nihilominùs prima à secundis longè differebant, quippè omissis aliis rationibus, successivè alibi memorandis, antiqua illa bona non conferebantur in titulum, proùt ista, nec solis Clericis præbebantur, sed etiam quibusdam Laicis, quod non sit de beneficiis. Et sicut nùnc beneficia longè differunt à bonis Hospitalium, locorumque piorum, quæ sunt ad usus pauperum destinata; ità, imò & longius differunt à bonis, quæ ad pedes Apostolorum, vel Ministris Ecclesiæ sub primis illis temporibus præbebantur.

(c) *S. August. de oper. Monach. c. 25. tom. 3. S. Prosper de vita contempl. l. 2. c. 16.*

16. Præsertim cum in sententiâ Contradictorum, beneficia merè simplicia non nisi post Sæculum Christi undecimum, vel duodecimum apparuerint: adeòque de illis non debet, nequè potest æqualis haberi ratio, ac de bonis Ecclesiæ præfatis primi, vel secundi Sæculi Æræ Christianæ. Tantò magis quod Civitates, & loca, de quorum beneficiis merè simplicibus nùnc quæstio ventilatur, priscis illis temporibus, vel non erant Civitates, & Oppida, saltem qualia nùnc sunt: Vel si fuerunt loca habitata, longè tamen post illam ætatem ibi fides Christi radices profundas egit, & sese generalitèr diffudit: Quidquid sit an aliqui ex Apostolis, vel eorum discipulis, illùc appulerint, & transeundo aliquos homines Baptismo collato converterint in Christianos. Quo etiàm posito, adhùc tamen non statim post fidem ibi plantatam, sacræ illìc coaluere divitiæ, nequè tot Ecclesiæ fundatæ sunt, & dicatæ, quot ibi sunt modò, sed hæ fuerunt diù post,

vel

vel successivo tempore pedetentim editæ. Quarè sicuti nùnc probari non poterit, quod beneficia illa particularia, de quibus sit controversia, excitata est, & nutritur, fuerint erecta ex bonis Deo, Apostolorum tempore dedicatis; ità neque de ipsis beneficiis est nùnc sub eâ lineâ, & amussi ratiocinandum, quâ de antiquissimis illis bonis à Sanctis Patribus, & Conciliis, Canonibus, & Pontificibus est secutum: diversa enim sunt, & ex notissimis, à diversis non sit illatio (*a*).

17. Certè ad finem ruente Sæculo Christi sexto fuit opinio, de quâ D. Gregorius ad Maximianum Episcopum Syracusanum literas dedit (*b*), nimirum, quod bona Ecclesiæ novitèr acquisita, diversam ab antiquis secumferrent rationem: itaùt ubi vetustiorum Ecclesiæ bonorum reditus debebant sub quadruplici dispensatione distribui; proventus recentiorum solis usibus Antistitis integralitèr deberentur: quam opinionem quidèm D. Gregorius non probavit, præsertim pro locis, ubi nondum fundorum ecclesiasticorum divisio facta fuerat: sed sufficit nobis, quod Patres tùnc habuerunt justum titulum de ipsâ opinione disceptandi; quodque S. Pontifex non eam improbavit, nisi quatenùs noluit bona illa recentiora ad solos Præsules pervenire, illùc prospiciens, ut cœteri quoquè Clerici, & pauperes, illorum essent participes. In reliquis quod bona ipsa dissimilis essent naturæ ab antiquis D. Gregorius non negavit. Quarè indè nobis datur justa ratio asserendi, quod nùnc post ipsam fundorum partitionem, tàm effusè, & post tot alia Sæcula solidatam, non debet de beneficiis ecclesiasticis nostri temporis, novitèr Ecclesiæ à Fidelium recentiorum pietate collatis, eo modo, ac sub æquali prorsùs regulâ ratiocinium haberi, ac de antiquissimis illis bonis, quæ Deo fuerunt Apostolorum ætate, vel sub primis Ecclesiæ temporibus dedicata.

18. Profectò si bona beneficiorum merè simplicium, de quibus quæstio est, non nisi serò, & postremis Sæculis ad Ecclesiam pervenerunt; sinè dubio ad illam profecta sunt, & in beneficia Ecclesiastica sunt erecta, sub illis legibus, & juxtà illam disciplinam, quâ jàm ab ipsis posterioribus Sæculis Ecclesiæ bona, & beneficia regulantur; non verò juxtà aliam, quæ dudum præcedentèr sexdecim, vel septemdecim ab hinc Sæculis efflorebat, & quæ jàm prorsùs dici potest antiquata quodammodò, & obsoletæ: ideoquè non possunt nùnc alienari, & si antiquitùs vendi possent, ac distrahi: non possunt à solo Præsule immediatè ministrari, & si olim id fieret: hæc etenim, & plures aliæ res mutatæ sunt justis ex causis; variique mores, & observationes ab Ecclesiâ sub primis ejus temporibus custoditi, jàm in desuetudinem abiere. Alioquin si cuncta nùnc essent agenda, quæ sub primis Sæculis agebantur; nimiæ confusiones nascerentur, & quoàd plurimas res tota everteretur ecclesiastica disciplina, sub quâ nùnc vivitur, & pacificè Christi Clerus, ac Populus regulatur. Undè benè quoàd hæc prævalet celebris ille D. Augustini Antistitis aphorismus, *si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ità faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est* (*c*).

19. Hanc observationem cupimus attentè à Lectore nostro notari, quandoquidem per illam plura Contradictorum argumenta facillimè dissolvuntur, atquè totalitèr evertuntur: In primisque resonans illud sophisma enervatur, at illa evertitur cantilena, quâ dicitur, quod per partitionem bonorum Ecclesiæ non est immutata eorumdem natura, ut indè subinferatur, quod si antè ipsam partitionem proventus ecclesiastici non nisi ad illos Clericos perveniebant, qui Ecclesiæ ipsi, à quâ reditus accipiebant, servitium aliquod materiale personalitèr exhibebant; nec etiàm nunc alio modo, neque sub aliâ lege valebant à Clericis beneficia ecclesiastica possideri. Nàm quatenùs etiàm hæc posset conclusio ritè, rectè, ac legitimè subinferri, quod negamus; corruit suppositum, cui innititur, nempè quod beneficia in controversiam posita, sint erecta ex bonis illis, quæ fuerunt Apostolorum tempore, vel antè fundorum partitionem Ecclesiæ delata. Et si hoc de singulis beneficiis individualitèr non probatur; quomodò quæso exigi potest, ut ipsa regulentur sub illâ amussi, sub quâ primæva illa bona regulabantur?

(a) *Leg. ult. in fin. & ibi Bartol. ff. de calumniator. Barbos. tr. var. Axiom.* 114.

(b) S. Gregor. lib. 3. *epist.* 11. *cap cognovimus* 29 *caus.* 12. *qu* 2.

(c) S. *August. epist.* 118.

20. Ne-

20. Negatur quoquè aliud suppositum, nimirùm quod beneficia, de quibus controversia fovetur, erecta sint ex illis bonis, quæ ab initio Fidei Christianæ præbebantur primariæ Vrbis Ecclesiæ, Præsul verò illius eadem ministrabat, & proventus ipsorum distribuebat Clericis pro ratione servitii, & meritorum: hoc etenim non subsistit, quoniàm erecta sunt ex bonis recentioribus, non delatis Ecclesię primarię pręfatę, sed alteri Ecclesię particulari, vel Altari, aùt Capellę, in tempore, quo jàm bona unius Ecclesię nihil habent commune cum bonis alterius: Nequè Pręsul Ecclesię primarię illis se ingerit ministrandis: adeòque non sunt regulanda sub illâ formâ, quâ priscorum temporum bona ecclesiastica regulabantur, cum sint ab illis diversa, diverso tempore acquisita, diversis Ecclesiis attributa, demùm rationis Ecclesiasticę effecta tempore, quo diversa Ecclesię disciplina vigebat, & viget. Pręterquàmquod beneficiis non est novum onus ingerendum, quod de sui naturâ non habent (*a*). Nèc obest, quod aliqui canones jubeant, ut bona novitèr per Ecclesiam acquisita, in eosdem usus, ac illa antiqua, erogentur (*b*). Nàm si canones isti loquuntur de locis, & tempore, quo non erat facta memorata partitio, nihil afficiunt, quia involvunt petitionem principij, & suppositum continent, quod superiùs est negatum. Si verò loquuntur post factam partitionem, intelligendi sunt de obligatione impendendi fructus ipsorum bonorum in pios usus, quemadmodùm & ità impendendi tunc erant, & nùnc quoquè idem fieri debet: non verò quod quantùm spectat ad collationem beneficiorum, ex novis bonis erectorum, debeant hęc sub eâ pręcisâ methodo regulari, quâ ab initio regulabantur antiqua.

(a) *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 32. n. 10. 11.*
(b) *Cap. cognovimus 29. caus. 12. q. 2. Conc. Paris. 6 ann 829. c. 15.*

C A P U T II.

In quo discutitur, ex quâ Origine profluxerint Ecclesiastica Beneficia merè Simplicia. An essent quandò proventus Ecclesiastici in solis primitiis, oblationibus, & decimis consistebant. An essent paritèr, quandò in Ecclesiâ vigebat Sportularum usus: & eo tempore, quo incæperunt bona immobilia ab Ecclesiâ possideri.

S U M M A R I U M.

1 *Origo beneficiorum merè simplicium est illa ipsa, quæ est cæterorum Ecclesiæ beneficiorum, quorum ipsa sunt species.*
2 *Deus colendus est, & honorandus, quod fit per sacrificia, hæc verò Sacerdotes sacrificantes prærequirunt, quibus debetur merces.*
3 *Nulla Natio fuit, quæ suis Sacerdotibus alimenta non tribuerit: Nèc debeat esse Christiani deteriores infidelibus in honorem Sacerdotum.*
4 *Sacerdotes, & Levitæ antiquæ Legis habebant primitias, oblationes, & decimas, quarum copia erat major, quàm sint nùnc reditus Sacerdotales.*
5 *Quià vetus testamentum fuit figura novi, decimarum, & oblationum jus ad Sacerdotes Evangelicos transmigravit. Christus etiàm habuit loculos.*
6 *D. Paulus ostendit multiplicitèr, alimenta Sacerdotibus deberi, non ex mero titulo pietatis, sed ex debito, & obligatione.*

7 *Ab initio Ecclesia non possidebat prædia, sed solùm pretium eorum, quod Fideles offerebant. Clerici simùl, & Laici communem vitam ducebant.*
8 *Clerici alii in commune vivebant, alii separatìm cum propriis consanguineis: & utrique participabant de bonis Ecclesiæ.*
9 *Res Ecclesiæ ab initio erant in Episcopi potestate. Canones Nicæni vigesimum excedentes quantæ sint auctoritatis.*
10 *Canones Apostolorum jubent res Ecclesiæ in potestate Episcopi esse. Canones istos prisci Patres citant, habentque auctoritatem.*
11 *Progressu temporis Ecclesia censuit expedire, quod retineret prædia, & de illorum fructibus Clericis subsidia ministraret.*
12 *Clericis habentibus undè viverent, tametsi Ecclesiæ deservirent, non deberi stipendia ecclesiastica, censuit D. Prosper.*
13 *Si tùnc Clerici pauperes, etiàm non ministrantes in Ecclesiâ, proventibus ecclesiasticis digni erant, oportet adfuisse Beneficiarios merè simplices.*
14 *Quarè cùm Ecclesia ab initio non possideret bona immobilia, mutato consilio, incœpit eadem retinere. Refertur doctrina Vrbani PP. I.*
15 *Quod anteà fuerat contrà regulam, posteà transivit in canonem: gravesque pœnas incurrunt alienantes prædia ecclesiastica.*
16 *D. Hieronymus monet non esse danda bona ecclesiastica Clericis habentibus bona patrimonialia. Tùnc non erat idem Clericatu, & beneficio insigniri.*
17 *Ad orandum tenebantur Clerici independentèr à stipendiis ecclesiasticis: adeòque etiàm sine his Ecclesiæ servitio erant adstricti.*
18 *Portio redituum data Clericis Ecclesiæ famulantibus, dicebatur* Matricula, *vel* Propensa diurna, *sivè* Diarium, *aùt* Sportulæ.
19 *Vocis sportularum usus erat in profanis, undè incœperunt stipendia ecclesiastica dici sportulæ, & eorum participes, dici sportulantes.*
20 *Opes Ecclesiasticæ in quatuor partes dividendæ una Episcopo, altera Clero, tertia pauperibus, & quarta ornatui, & reparationi Ecclesiarum.*
21 *Dè hac divisione decretum edidit Gelasius PP. I. Eam anteà memorat Simplicius Papa, & alii tamquàm rem usitatissimam.*
22 *Hæc divisio non in totâ Ecclesiâ locum habuit, nec ubiquè fuit æqualis. In Oriente fuit incognita.*
23 *Partitio hæc in Italiâ, & Galliâ fuit quadruplex. In Hispaniâ, & Lusitaniâ triplex. In Germaniâ qualis fuerit? Et quid in Angliâ?*
24 *Demùm partitio illa obsolevit, & singulis ministeriis, ac locis piis assignati sunt proprii reditus; cujus novæ mutationis quæ causa fuerit?*

1.  RIGO Beneficiorum merè simplicium est illa ipsa, quę est cœterorum Ecclesiæ beneficiorum. Siquidèm beneficia merè simplicia sunt species, quæ sub suo genere continetur: Species beneficiorum, cujus genus sunt ecclesiastica beneficia, in totâ suâ latitudine considerata. Et ideò par eorum cum cœteris beneficiis debet esse origo, quorum & causa communis est, & res eadem, & consimilis institutio. Porrò origo beneficiorum ut sic, communi Doctorum voto radicalitèr ad illas res refertur, quas ab initio Ecclesiæ, fideles Deo, & ministris ejus pietatis titulo offerebant, prout sunt decimæ, primitiæ, oblationes, & dona. Etenim notum est in primitivâ Ecclesiâ Christianos fuisse solitos bona, & prædia, quæ possidebant, libentèr distrahere, ac illorum pretia ad pedes Apostolorum, tamquàm Ecclesiæ prælatorum afferre, ut exindè ab uniuscujusque loci Præsule, per manus Diaconorum singulis distribuerentur, proùt recta ratio suggerebat, & cujuslibet benemerentia, vel indigentia deposcebat (a). Offerebant hæc Christiani libenti animo, ex propriâ devotione, ac nullo ad id eos cogente. Interdùm tamen id agebant etiàm ex voto, & promissione Deo factâ, impendendi bona,

(a) *Act. Apostol. c. 4. & 5.*

bona, quæ possidebant in illius cultum, & in usum ministrorum ipsius, quemadmodùm contigisse censetur in Ananiâ, & Saphirâ (*a*), qui posteà quoniàm fædifragi Sponsionem editam fidelitèr, ut debebant, non adimpleverunt, sed potius fraudare Dominum de bonis illi dedicatis, ausi sunt; morte fuerunt repentino ictu percussi (*b*).

2. Ab his oblationibus, necnon à primitiis, & decimis Deo, ac ministris ejus per fideles porrectis, initium sumpsisse censetur ecclesiastica beneficia, tametsi non valde dilucidum, sed potiùs turbidum, & confusum, analogicum, & remotum. Porrò est per se notum, ut inquit D. Thomas, quod Deus est (*c*). Ipsa nàmque natura dictat supremum dari Rectorem, & Opificem totius mundi, ipsumque esse honorandum, atquè colendum (*d*), quem certè honorari, & coli nostra magis interest, quàm ipsius (*e*). Quippè ipse sive colatur, & honoretur ab hominibus, sive non; semper in se ipso est gloriosus: & si quam gloriam ex cultu, ac honore hominum adipiscitur, totum hæc refunditur in utilitatem eorum, qui honorant, & colunt eum. Honoratur autèm, & colitur per exteriora signa, & potissimè per Sancta Sacrificia (*f*). Sacrificia verò Sacerdotes sacrificantes prærequirunt: sinè quibus etiam juxtà Aristotelem nulla res publica potest diù salva consistere (*g*). Ast Sacerdotibus, eorumque adjutoribus, & comministris debentur, sive stipendia pro labore, sive alimenta pro victu: hocque de jure naturæ esse idem D. Thomas insinuat, dicens, *quod eis, qui Divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, rationaturalis dictat: sicut & his, qui communi utilitati invigilant, scilicèt Principibus, & Militibus, & aliis hujusmodi, stipendia victus debentur à populo* (*h*).

3. Hinc sicuti nunquàm fuit adeò efferata, Gens, & Natio, tàm inculta, quæ Sacrificia non habuerit (*i*), sic nulla fuit, quæ caruerit Sacerdotibus, eisque alimenta, & subsidia pro victu congruo non tribuerit. Romanis Sacerdotibus, quos Flamines vocitabant, stipendia, & victualia fuerunt ære publico contributa, uti memorat Dionysius Halicarnasseus (*l*). Druidæ apud Gallos (*m*), Brachmani apud Indos (*n*), Gymnosophistæ apud Ethiopes (*o*), Agrippei apud Scythos (*p*), Mathematici apud Ægyptios (*q*), & Magi apud Persas, Sacerdotium tenuerunt (*r*), quibus omnibus, congrua eorum Statui, subsidia fuisse à populis contributa, non est indubium revocandum. Et quamquàm antiqua illa sustentatio Sacerdotum apud Ethnicos, valde tenebricosa esset, atquè decolor imago, in verissimâ nostrâ religione Evangelii imitanda (*s*), nihilominùs quià in ea utcumque vox naturæ exauditur, *ne essent Christiani deteriores Infidelibus, qui propter errorem Idolorum, tantum cultum exhibent eorum Sacerdotibus* (*t*), usquè ab initio Ecclesiæ inceptum est sacris Ministris erogationes, & stipendia ministrare.

4. Sumptum etiàm est exemplum à Sacerdotibus, & Levitis Antiquæ legis, de quibus locutus est Dominus ad Aaron, *omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato, atque delicto redditur mibi, & cedit in Sanctâ Sanctorum, tuum erit &c. Primitias, quas noverint, & obtulerint filii Israel tibi, dedi & filiis tuis, & filiabus tuis jure perpetuo &c. Filiis autèm Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro Ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis &c.* (*u*). Tantaque erat oblationum, & primitiarum copia, quæ per filios Israel Sacerdotibus, & Levitis Mosaicæ legis porrigebantur, ut si tantundèm, proportione servatâ, nùnc viri ecclesiastici à laicis Christianis, & Summus Pontifex, à Sacerdotibus, & Clericis obtinerent; Ecclesia longè ditior esset, ac fit (*x*), confusaque erubesceret prolocutio, sive *eorum ambitio, quæ dicere soles, nimis rerum habere Ecclesias Christi &c. Mira nàmque res: Ambitio mundialis satis non habet, & Ecclesia Christi nimium habes* (*y*)?

5. Profectò quià Testamentum Vetus fuit figura novi fœderis Christi (*z*): Jus quoquè decimarum, primitiarum, & oblationum à fidelibus factarum, ad evangelicos Sacerdotes, & Clericos transmigravit, & Christus caput, & apex Sacerdotum

(a) *Actor. cap. 5. n. 5.*
(b) *Vid. S. Jo. Chrysost. homil. 12. in Act. Apostol.*
(c) *S. Thomas 1. par. qu. 1. art. 3.*
(d) *Alphons. à Castr. con Heres. V. Missa: heres. 2.*
(e) *S. Thom. 2. 2. qu. 132. art. 1. ad 1.*
(f) *S. Thom. 2. 2. qu. 30. art. 5. ad 1.*
(g) *Aristot. in Politic.*
(h) *S. Thom. 2. 2. qu. 87. art. 1. in corp.*
(i) *Alphons. à Castr. loco cit.*
(l) *Dionys. Halicarn. histor. lib. 2.*
(m) *Cæsar de Bel. Gall. l. 6 Plin. lib. 16. c. ult. Strabo l. 4 & 14.*
(n) *Eusebius præp. Evang. c. 8. Strab. l. 15.*
(o) *Philo libr. de Abraham Philost. rat. l. 3. c. 1. & l. 6. c. 4*
(p) *Herodot. lib. 4.*
(q) *Pio Rossi Convit. Mor. p. 2. V. Sacerdote.*
(r) *Justin. l. 1. Cicer. l. 1. de divin.*
(s) *Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 3. lib. c. 1. n. 1.*
(t) *S. Jo. Chrys. hom. 65. in Genes.*
(u) *Numer. cap. 18.*
(x) *Jo. Steph. Menodi traten. erudit. cent. 1. cap. 30.*
(y) *Conc. Paris. VI. l. 1. c. 18.*
(z) *S. Thom. Quodlib. 7. qu. 6. art. 15.*

dotum novæ legis, oblata ſibi à fidelibus acceptavit, ea in loculis conſervans, ut exindè ſuis, ac ſuorum neceſſitatibus opitularetur, *tàncque primum eccleſiaſticæ pecuniç forma eſt inſtituta*, uti graphicè inſinuat D. Auguſtinus (*a*). Ex oblationibus ergò, decimiſque, ac primitiis, quas uſque ab initio Eccleſiæ incæperunt Chriſtifideles Deo in Sacerdotibus elargiri, origo beneficiorum à longè profluxit (*b*), de quibus in Concilio Aquiſgranenſi: *Res Eccleſię ſicut à Sanctis Patribus traditur; vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles nàmque fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedia, & Cœleſtis patrię deſiderium, ſuis propriis facultatibus Sanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, ut his & milites Chriſti alerentur, & Eccleſiæ ornarentur* (*c*).

6. Has rerum oblationes, quæ in alimentum cederent Sacerdotum, cenſuit Apoſtolus deberi Eccleſiæ miniſtris, non ex mero pietatis titulo, ſed ex debito, & obligatione; ſcribit enim ad Timotheum: *qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt* (*d*). Et ad Corinthios: *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? debet in ſpè qui arat arare, & qui triturat, in ſpè fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? &c. Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui altari deſerviunt, cum altari participant: ità & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (*e*). Dominus inquam, qui mittens diſcipulos ſuos ad Evangelium diffundendum, hoc illis dedit in mandatis: *In quamcumque domum intraveritis &c. in eàdem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſuâ* (*f*).

7. In ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis non ei offerebantur agri, aut prædia, aut alia bona immobilia, ſed ſolum eorum pretium, quod ad pedes Apoſtolorum religioſiſſimè deponebatur, prout feciſſe Barnabam conſtat (*g*), & Ananiam, atquè Saphiram (*h*), necnon alios, quorum nomina conticeſcit Auctor libri Actuum Apoſtolorum, dicens: *quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quę vendebant, & ponebant antè pedes Apoſtolorum &c. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat* (*i*). Tùnc autèm omnium Chriſtifidelium *erat cor unum, & anima una &c. nèc quiſquam egens erat inter illos* (*l*): Clericos ſimul, atque Laicos, qui Chriſto nomen dabant, collatis opibus in commune vixiſſe, inſinuat Urbanus Papa I. (*m*). Sed citò abſcedentibus à communione vitæ Laicis, ſoli Clerici eum vitæ modum ſectati ſunt (*n*), non tamquàm de præcepto, ſed ut ex conſilio, juxtà monitum Clementis Papæ I. *conſilium dantes veſtram prudentiam hortamur, ut ab Apoſtolicis regulis non recedatis, ſed communem vitam ducentes &c. quæ Domino voviſtis, adimplere ſatagatis* (*o*).

8. Nullo ergò urgente debito viros eccleſiaſticos ad vitę communionem, ſed ſolâ libertate totum agente, pro ratione majoris, & minoris religioſitatis, atque fervoris; alii in commune, alii ſeparatìm vivebant: & ſic duo erant ordines Clericorum, unus eorum, qui ſimul communem vitam agebant, & in Africâ quidèm eos abundaſſe teſtatur D. Auguſtinus (*p*): In Galliâ, S. Proſper (*q*): In Italiâ, & alibi, S. Gregorius (*r*). Alter verò eorum, qui ſeparatìm cum propriis conſanguineis, & in ſuis domibus permanebant. Primos, communi menſâ, loci Preſul alebat: Secundos verò Eccleſia, pro ratione ordinis, & meritorum, ſubſidiis congruis confovebat. Hęc vitę communio in Clericis ſęcularibus per aliqua tempora viguit, ut conſtat ex pluribus canonibus, per Gratianum in ſuâ collectione canonum allegatis (*s*). Sed poſtmodùm paulatìm elanguit, & ad Monachos tandèm commigrans, à Clero ſæculari prorſus abivit: cœperuntque diſtingui Clerici Sæculares à Regularibus.

9. Tàm autèm durante ſtylo vitę communis, quàm illo jam obſoleto, res eccleſiaſticæ in poteſtate Epiſcoporum erant, à quibus Clerici dependebant (*t*). Sed

(a) S. Auguſt. tract. 60. in Joan.
(b) Reginal. l. 19. ſect 2. nu. 74. Tolet. Inſtr. Sacerd. l. 5. c. 77.
(c) Conc. Aquiſgr. ann 816. c. 116.
(d) 1. ad Timotheum cap 5.
(e) 1. Corinth. cap. 9.
(f) Lucę capit. 10.
(g) Actuũ c. 4. n. 36
(h) Actor. c. 5. nu. 1.
(i) Actor. c. 4. nu. 34.
(l) Actor. c. 4 nu. 32.
(m) Urban. I. epiſt. unic. c. 1.
(n) Reginald. lib. 19. num. 74.
(o) Clemens I. ep. 5.
(p) S. Auguſt. ſer. de com. vit. Clericor.
(q) S. Proſp. de vita contemplat. l. 2. c. 29.
(r) S. Greg. epiſtol. ad Auguſt. Angl. Epiſcopum l. 12. epiſt. 31.
(s) C. ſcimus. c. vole. c. non dicatis. c. quoniã. c. videntes c. habeat 12 qu. 2.
(t) Cap. 13 23 & 24. cauſ. 12 qu. 1. ap. Gratian.

Sed quià earum administratio impedimentum præbebat prędicationi Evangelii, aliisque sacris functionibus exercendis, cogitatum est expedire, quod eo modo, quo Apostoli septem Diaconos elegerunt, qui opes ecclesiasticas ministrarent (*a*), ità etiàm Episcopi, in propriâ quique Ecclesiâ, virum pium, & prudentem, pro hoc eodem munere deputarent: quem S. Justinus Martyr *Pręposítum* (*b*): Tertullianus *Seniorem* (*c*): Alii *Defensorem* (*d*): Alii *Oeconomum*, appellarunt (*e*): & Concilium generale Nicœnum primus canone sexagesimotertio eum *Procuratoris* nomine decoravit (*f*). Quem Canonem genuinum esse, vel saltèm gravissimę auctoritatis, omninò certum est; quippè Canones Nicœni, excedentes numerum viginti, tametsi de incertitudine ab aliquibus imputentur, magnam tamen habent auctoritatem ex omnium Orientalium Nationum consensione (*g*), quibus & favent usus, atquè commemoratio eorum, quam faciunt & veteres Pontifices (*h*), & antiqua Concilia (*i*), necnon & Patres Ecclesię (*l*), Historici demùm, atquè Polemici (*m*). Nosque de hâc rè alibi suprà locuti sumus.

10. Res inquam Ecclesiæ prorsùs erant in Sacrorum Antistitum potestate, qui eas *eum reverentiâ, & timore Domini*, facerent ministrare (*n*), juxtà pręceptum, de quo in Canone Apostolorum quadragesimo primo, *in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat: si enim animę hominum pretiosiores illi sunt ereditæ, multò magis oportet eum euram pecuniarum agere*. Cui quoquè Canoni plenariam deberi fidem non est dubium, quandoquidèm Canones Apostolorum citantur à Sanctis Patribus, & præsertìm ab Augustino (*o*), Hieronymo (*p*), Athanasio (*q*), Basilio, & aliis (*r*): ac quidquid de illis cogitent severiores rerum ecclesiasticarum discussores; omninò dicendum est, Canones ipsos, vel sub ipsis Ecclesiæ initiis, vel saltem valdè antiquis temporibus emersisse, jamque illis ex ipsâ antiquitate ingens eis est auctoritas conciliata: ideòque satis nobis est ad intentum, quod dùm eosdem producimus, allegasse dicamur sanctiones, quarum usus est in Ecclesiâ multis ab hinc sæculis, & in quâ vim obtinent legis, parum relevante, quod citiùs, aut seriùs, hìc, aut ibi originem habuerint, & initium.

11. Tametsi autem sub primis Ecclesiæ temporibus non prædia, non immobilia bona Ecclesia possideret, sed solummodò illorum pretia, & pecunias, indigentibus distribuendas; progressu tamèn temporis judicatum est expedire, prædia ipsa accipere, nec ea distrahere, sed servare, ut ex eorum reditibus ministris Ecclesiasticis, & pauperibus subsidia congrua præberentur (*s*). Tùnc autem quandò proventus Sacerdotales, & Clericales iu solis illis reditibus consistebant, quæ Episcopus, vel alter ejus nutu distribuebat, locum habuisse beneficia merè simplicia, sive id, cui beneficia ipsa merè simplicia successerunt; indicio est Doctrina Patrum, qui propè antiqua illa tempora floruerunt, inter quos S. Hieronymus, inferiùs memorandus (*t*), & S. Prosper, sivè ut aliis placet, Julianus Pomærius, qui altis eloquiis declamavit, proventus Ecclesiasticos esse dandos Clericis, non uti laborantibus, & personalitèr ministrantibus in Ecclesiâ, sed uti egentibus, & reditibus propriis, quibus viverent, vacuatis (*u*): ità ut aliqui Clerici tùnc essent personalia officia in Ecclesiâ juxtà gradum suorum ordinum exercentes, qui tamèn de reditibus Ecclesiæ non vivebant, quià propriis bonis, & patrimonialibus abundabant; alii verò è contrà Clerici egentes, ab Ecclesiâ proventus congruos acciperent, tametsi in eâ personalitèr non ministrarent, sed solùm privatìm Orationes funderent apud Deum.

12. Audiatur ipse D. Prosper, sive Julianus, ità perorans, *de Clericis dieit Spiritus Sanctus: peceata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peceata, sed alimenta, quibus indigere videntur, aeeipiunt; ità possessores, non alimenta, quibus abundant, sed aliena peceata suscipiunt &c. Qui autem Eeclesiæ serviunt, & labori suo velut debita reddi oportere eredentes, ea quibus opus non habent, aut aeeipiunt libentèr, aut exigunt; nimis earnalitèr sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ fidelitèr servientes, stipendia terrena, & non potiùs præmia*

æter-

(a) *Actorum cap. 6.*
(b) *S. Justin. Apolog. 2.*
(c) *Tertull. in Apologetic.*
(d) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2 c. 97 & 98.*
(e) *Conc Chalcedon. cap. 26.*
(f) *Concil. Nicęn. I. cap 63.*
(g) *Abraham Echellens. de Rom. Pontif. Bail. Sum. Conc. tom 1. de Can. Apost. Brancat. appar. ad Epit. Canon. Natal. ab Alexandr. histor. sæc. 4. differ. 18. à f. 233.*
(h) *Jul. I. epist. ad Epise. Euseb. Innoc. I. epist. ad Victric Rom. & epist. 23. ad Synod. Toletan Leo I. epist. 24. ad Theodoret. Nicol. I. ad Episcop. Galliæ.*
(i) *Conc. Carth. sub Siric. c. 29. Conc. Arelat. II.*
(l) *S. Athan epist. ad Marc. Papam.*
S. Ambros. epist. ad Eccl. Vercel.
S. Hieron. Præfat. in Judith.
S. Cyril Alex. epist. ad Attic. Constpol.
S Petr. Dom. epist. ad Capel. Duc Lothar.
(m) *Ruffin. histor. lib. 1. c. 6.*
Theodoret. hist. l. 2. cap. 14
Gregor. Turon. lib. 9. cap. 33.
Echellens. loc. cit.
Franc. Turrian. de Canon. Apostol.
(n) *Conc. Antioch. cap 25.*
(o) *S. August. epist. ad Casulan.*
(p) *S. Hieron. epist. ad Damas. & ad Marcellum.*
(q) *S. Athanas. epist. ad Orthodox.*
(r) *S. Basil. ad Amphiloch. S. Cyril. homil. 10. S. Bonif. epist. ad Gudbert. Anglum.*
(s) *Cap. futuram, & seq. 12 qu. 1.*
(t) *Vid. infr. in hoc cap. n. 16*
(u) *Vid. c. pastor. 7. 1 qu. 2. c. illi autem 25. 12. qu. 1.*

aeterna accipiant &c. Undè satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum, propter stipendium temporale, praemia sempiterna contemnat. Quod si quilibet Minister Ecclesiç non habet unde vivat, non ei prçmium reddit hic, sed necessaria praestat Ecclesia, ut in futuro prçmium laboris sui recipiat, quod in hac vitâ jam spe Dominicç promissionis certus expectat &c. (a). Prosequitur indè D. Prosper, sivè Pomerius: *illi quoque, qui velut idonei, nihil quidèm sibi dari velut debitum poscunt, sed tamèn Ecclesiç sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum praesumendo suscipiant, qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insupèr gravant &c.*

(a) S.Prosper.de vita contempl.lib.2 c.10

13. Et infrà prosequitur idem Auctor: *Qui tàm infimi sunt, ut possessionibus suis renunciare non possint; si ea, quç accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua; quià & ipsi quodammodò sua relinquunt, quandò propriis contenti rebus, nihil eorum, quç labori, vel ordini suo deberi arbitrantur, accipiunt. Quod si putant ideò accipi debere, eorum quç conferuntur Ecclesiç portionem, ne eam videantur abiicere; sè verò non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos pauperes reddi: noverint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci* (b). Distinguit ergò D. Prosper, sive Julianus Pomerius inter Clericos simplices, & Clericos, qui Ecclesiae servientes, labori suo mercedem deberi de reditibus Ecclesiasticis cogitabant: distinguit quoque intèr ea, quae labori, & ea quae debita esse eorum ordini reputabant, & dicendo quod Clerici pauperes, etiàm non ministrantes in Ecclesiâ, portione dictorum proventuum digni erant, proculdubiò Beneficiarios merè simplices, vel eos, quibus nùnc Beneficiarii merè simplices succedunt, manifestissimè designavit. Et ità patet, quod etiam illâ florente aetate, in quâ bona Ecclesiastica in solis manualibus erogationibus consistebant: dabantur in Ecclesiâ beneficia merè simplicia: sive illorum imagines, & schemata quantum ratio ipsorum temporum, & disciplina illius aetatis, distingui posse permittit.

(b) Idem S.Prosper. lib.2.cap.10. & 11.

14. Porrò primis Ecclesiae temporibus, ut innuimus, non praedia, non domus, non fundi, non agri, non demùm bona immobilia, sed solae res immobiles ab Ecclesiâ possidebantur (c), quae ipso earum usu citissimè consumebantur. Successivè autem fuit à Patribus cogitatum, quod opportunius esset Ecclesiae utilitatibus bona immobilia, semel acquisita non distrahere, sed illa in perpetuum retinere, ut non jam unicus, & transiens esset eorum usus, sed permanens, & perennis, nec pretium bonorum erogaretur, sed potiùs ex eis fructus annui perciperentur, ecclesiasticis usibus deputandi (d). Quâ de rè Urbanus PP. I. *Videntes Summi Sacerdotes, & alii, atquè Levitae, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si haereditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus praesidebant Episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum, tàm praesentibus, quàm futuris temporibus plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum; caeperunt prçdia, & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Ipsae verò res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt usque adhùc, & futuris semper debent esse temporibus* (e).

(c) Cap. futuram 15 caus.12.qu.1.

(d) S.Petr.Dam. l.1. epist.13. & l.4.ep.12.

(e) Cap. Videntes 16.caus.12. qu.1.

15. Ità id, quod anteà fuerat contrà regulam ecclesiasticam, nempè bona immobilia, & latifundia retinere, transivit in canonem: & mutatâ rationabilitèr Ecclesiç disciplinâ, mutata est quoquè moralitas actionis, ita ut ex tùnc evaserit contrà regulam ecclesiastica praedia inposterùm alienare: talitèr quod adversus alienatores fundorum, per Ecclesiam adeptorum, perplures canones emersere, quos referre ònerosum esset, paritèrque superfluum (f). Omnibus enim notum est, alienantes praedia ecclesiastica, suspensionis, excommunicationis, & etiam depositionis respectivè poenâ percelli (g). Cujus alienationis prohibitio ut sciatur quàm sit antiqua, & observantia, ejus constans; sat sit innuisse, quod Polichronius Episcopus Hierosolymitanus fuit apud Sixtum Papam III. in Concilio Romano, à Pri-

(f) Vid. in Jur. tot. tit. de reb. Eccl. non alien.

(g) Vid. plur. canones in jure tit. de reb. Eccles. non alienan. Barbos. jur. Eccl. lib. 3. c. 30 c. 46.

à Prisco ejus Diacono gravi accusatione pulsatus, eo quod prædia quædam suæ Ecclesiæ vendidisset (*a*). Sancto quoque Cæsario Arelatensis, facultatem petenti quædam bona ecclesiastica vendendi, Agapitus Papa I. eam constantissimè denegavit (*b*).

16. Sanè ex fructibus hujusmodi bonorum ecclesiasticorum una pars Clericis, & Sacerdotibus, prò alimentis, sivè prò quotidiano eorum victu porrigebatur: non tamèn omnibus, sed illis tantùm, qui bona propria non habebant: Undè S. Hieronymus ad Damasum Papam: *Clericos illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt* (*c*). Similia superiùs attulimus ex Divo Prospero (*d*). Ex quo patet, quod non idem tùnc erat Clericatu, & beneficio, sive stipendiis ecclesiasticis munerari, uti contendunt Contradictores, qui Beneficiarios merè simplices residentiæ onere involvere gestiunt: cum enim Clerici divites, Clerici quidem essent, sed tamen beneficio carerent; profectò non erat idem Clericatu, & beneficiis ecclesiasticis munerari. Sicut etiam idem olim non erat beneficium, sive stipendia ecclesiastica promereri, & Ecclesiæ personalitèr deservire, prout ipsimet Contradictores autumant, quippè aliqui Clerici eadem obtinebant, quamquàm Ecclesiæ actualitèr non servirent; modò seorsim orationi incumberent, & horis canonicis privatim persolvendis operam darent (*e*), uti superiùs ostendimus.

17. Cœterùm Ecclesiæ servitium, & præsertìm solemnis, ac publica psalmodia, seu choralis recitatio Divini Officii, talis ab initio non erat, ut proptèr illam deberentur sic orantibus ecclesiastica stipendia, sive beneficia, cum etiam fine istis Clerici orandi debito tenerentur. Audiatur doctissimus Thomassinus. *Non ex distributionibus, aut qualibuscumque beneficii reditibus lex illa recitandi officii oriebatur, quam impositam accepere nobilissimæ, & clarissimæ fœminæ Demetrias, Eustochium &c. & in numeri Monachi, qui opere manuum victitabant. Vt appareat candem prorsus esse, & Clericorum orationem. Cum enim sit illorum sors, ut participes sint Christi Sacerdotis, atquè adeò mediatores quidem hominum, & Dei, ad eos multò magis pertinet orandi, & jugiter orandi obligatio; ergò & horas canonicas, nulla temporalium proventuum ratione habitâ recitandi* (*f*). Vides quod servitium publicum Ecclesiæ de sui naturâ stipendia ecclesiastica non exposcit: Adeòque stat benè, quod sub primis temporibus aliqui Clerici essent Ordine, non vero stipendio, sive beneficio ecclesiastico insigniti: seu quod aliqui Ecclesiæ deservirent, & tamèn stipendia ecclesiastica non susciperent. Et è contrà alii Clerici aliqua stipendia ecclesiastica obtinerent, & ideò Ecclesiæ publicè non servirent. Cujus etiàm postremæ rei documentum aliquod eruitur ex Concilio Agathensi (*g*).

18. Portio autèm illa, quæ ex fructibus bonorum Ecclesiæ singulis Clericis, ad illam participandam admissis, porrigebatur, per Metonymiam dicebatur *Matricula*, de qua fit sermo in Conciliis Agathensi (*h*), Antisiodorensi (*i*), Aurelianensi IV. (*l*), & alibi: quatenùs de portione illâ participabant illi Clerici, qui erant Catalogo Ecclesiæ famulantium inscripti. Tabellam enim illam, seu Elenchum, Canonem, sive Seriem nominum, cui erant adscripti Clerici, vocant Canones Apostolorum *Catalogum* (*m*), S. Basilius *Inscriptionem* (*n*), Sidonius Apollinaris *Album* (*o*), Concilium Agathense, ac alia mox præfata, *Matriculam*. Et Dudo S. Quintini Decanus portionem antedictam appellat *Propensa diurna*. Refert enim Richardum Normanniæ Ducem Ecclesiam ædificasse, & quod ibi *Clerum numerosæ multitudinis, propensa diurna quotidiè recipientem &c. Christo deservire coegit* (*p*). Dicebatur etiàm *Diarium*, vel *Stipendium*, vel antiquiori nomine *Sportula* vocabatur: nomine antiquissimo, quo usus est S. Perpetuus Episcopus

scopus

(a) *Concil. Rom. sub Sixt. III cap. 10. apud Bin. tom. 1 Conc. f. 681*
(b) *Cardin. Baron. an. 535. n. 108.*
(c) *Cap. Clericos 6. caus. 1. qu. 2.*
(d) *Vid. hic supr. num. 12. & seq.*
(e) *Vide Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2. c. 73. num. 12.*
(f) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2. c. 73. n. 12.*
(g) *Concil. Agath. cap. 2. & ibi Cabasut.*
(h) *Concil. Agath. cap. 2.*
(i) *Concil. Antisiodor. cap. 1.*
(l) *Concil. Aurelian. IV. cap. 13.*
(m) *Canon. Apostol. 17. & 51.*
(n) *S. Basilius epist. ad Corepiscop.*
(o) *Sidonius Apollinar. lib 6 epist 1 S.*
(p) *Dudo S. Quintini de morib. & act. Norman. lib. 3. f. 153. in fin. ap. Duchesne in bibl. Norman.*

ſcopus Turonenſis in ſuo teſtamento relinquens duobus Presbyteris, quos à ſuo gradu dejecerat, *Sportulam quamdiù vixerint* (*a*). Et diutiùs etiam antè ipſum S. Cyprianus in epiſtolâ ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenſes, eſt identidem uſus, de Celerino, & Aurelio loquens, à sè ad Lectoratum promotis: *Hos Lectores interim conſtitutos, ſciatis, quià oportebat lucernam ſuper candelabrum poni; undè omnibus luceat &c. Cæterùm Præsbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut ex ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum provectis, & corroboratis annis ſuis, quamvis in nullo minor poſſit videri ætatis indole, qui conſumavit ætatem gloriȩ dignitate* (*b*).

19. Sportularum voce utebatur tùnc Eccleſia, ad ſignificandas erogationes de fructibus, & pecuniis ſacris, quas Clericis conferebat, quià vocabulum Sportularum ad ſignificandas erogationes manuales, etiam in profanis communitèr fuit antiquitùs uſurpatum: & ita reperitur apud Poetas (*c*), apud Hiſtoricos, & Oratores (*d*), & apud Legiſtas (*e*), hæc vox adhibita reperitur. Ideòque portiones illæ de bonis eccleſiaſticis, quæ erant Clericis deſtinatȩ, *Sportulæ* nuncupabantur; Clericique ipſi earundem participes, communi vocabulo *Sportulantium* fratrum nominabantur; prout eos appellavit S. Cyprianus dicens: *Hæc nùnc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſiâ Domini ordinatione Clerici promoventur, in nullo ab adminiſtratione Divinâ avocentur, nec moleſtiis, vel negotiis ſæcularibus alligentur; ſed in honore Sportulantium fratrum, tamquàm decimas ex fructibus accipientes, ab Altari, & Sacrificiis non recedant, ſed die, ac nocte cœleſtibus rebus, & ſpiritualibus ſerviant* (*f*). Præſulis uniuſcujuſque loci erat, indigentiam, & merita, graduſque quorumlibet Clericorum perſpectam habere, ſingulíſque illorum portionem congruam de Eccleſiæ reditibus impertiri: æquitate ſervatâ, viribus proventuum attentis, omnibus tandèm prò ratione loci, temporis, & perſonarum, providè, ac prudentèr conſideratis.

20. Verùm quià cum opum acquiſitione, alicubi diſcordia quoquè in Eccleſiâ ſe ingeſſit, citò crebræ querimoniȩ audiri cœperunt ſuper hujuſmodi fructuum erogatione, dolentibus multis, quod huic plùs, illi minùs: alteri lautiùs, alteri parciùs conferretur, quam juſtitia, & æquitas poſtularet: *unus tandèm eſuriret, alius ebrius eſſet* (*g*). Ac ſicuti ab ipſis Apoſtolorum temporibus inchoata eſt ſuper hac rè ſuſurratio, quando *creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in Miniſterio quotidiano viduæ eorum* (*h*). Ità ſucceſſivo tempore creſcentibus opibus Eccleſiæ, creverunt quoquè ſuper earum erogatione querelæ tàm Epiſcopos, qui earundem adminiſtrandarum poteſtatem tenebant, quàm Oeconomos, & Præfectos, qui eiſmet diſpenſandis incumbebant, de non rectâ fide, & juſtitiâ in ipſarum diſtributione carpentes. Ea eſt enim hominum quandoque procacia, ut etiam ſuper ſpontè ſibi datis lamentationes inſtituant, & autumant quodammodò ſibi ſubtrahi quidquid, vel aliis contribuitur, vel ſibi minus traditur, quam optatur. Et fortè etiam alicubi æquitas integra à diſpenſatoribus proventuum eccleſiaſticorum non ſervabatur. Ad propulſandas igitur hujuſmodi querimonias, & omnem ſuſpicionis notam cum ipſis Clericorum dicacium vocibus comprimendam, atquè ad elidendas calumnias eorum, *qui ſunt faciles ad querelam, ubi ſolitâ conſuetudine poſſint Judices etiam de ſuſpicione accuſare* (*i*); cogitatum eſt publicæ quieti, & Eccleſiæ incolumitati expedire, quod opes Eccleſiaſticæ in quatuor partes dividerentur, quarum una Epiſcopo loci, altera Clero, tertia Pauperibus, & quarta in reparationibus, & ornatu Eccleſiarum impenderetur.

21. Extat hâc de rè antiquum decretum, à Gelaſio Papâ I. in epiſtolâ ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios, intimatum, apud Gratianum, reſonans hoc eloquio: *quatuor tàm de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiȩ facultas admittit (ſicut dudùm rationabilitèr eſt decretum) convenit fieri portiones,*

(a) *Spicileg. tom. 5. fol. 107.*

(b) *S. Cyprian. lib. 4. epiſt. 5. alias epiſt. 34.*

(c) *Martial. lib. 8. 44. Juvenal. Satyr. 1. 10.*

(d) *Plin. lib. 10. Sveton. in Claud. Neron. & Domitian.*

(e) *Leg. 2. § ult ff. de donat. intr. Vir. leg. 6 § fin ff de Decur. & alibi.*

(f) *S. Cypr. epiſtola 34.*

(g) *1. Corinthiorum cap. 11. n. 21.*

(h) *Act. Apoſtol. c. 6. num. 1.*

(i) *Caſſiodor. Var. lib. 1. epiſt. 4.*

tiones, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda (*a*). De quâ etiam divisione Simplicius Papa Severo Episcopo anteà scripserat, tamquàm de rè usitatissimâ, & inconcussâ, atque à Gaudentio Episcopo Aufiniensi, ejusdem prevaricatore, inposterùm observandâ (*b*). Cujus quoquè divisionis memoriam facit Concilium Tarracouense, illam vocans *antiquam traditionem* (*c*), & Synodus illa, quam Gratianus rhapsodiæ suæ, sive Canonum collectioni inseruit, sub nominæ Concilii Toletani, divisionem ipsam nuncupans *præceptum Apostolorum* (*d*), quod tamen minus propriè dici videtur, cum post Apostolorum tempora divisio hęc emerserit in Ecclesiâ.

22. Profectò ista divisio nec in totâ Ecclesiâ locum habuit, nec ubi locum habuit, ubique fuit æqualis, sed varia, prò varietate temporum, & locorum. Nàm in *Oriente*, fuit inaudita, & incognita (*e*), nec in Conciliis, neque in Patribus Orientalibus, de illâ fit mentio: quinimò videtur, quod inibi fuisset repudiata, si fuisset proposita; Ideò cum Episcopi scirent, ad sè jus disponendi de reditibus ecclesiasticis pertinere; novam illam legem de quadruplici, vel aliâ fructuum partitione, non nisi ægrè, & reluctantèr audissent, quemadmodùm S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui initio quinti sæculi vixit, valdè conquestus est, quod ab Episcopis repeteretur ratio distributionis bonorum Ecclesiæ, quam soli Deo ab iisdem deberi cogitabat; ait enim; *malè habet, magnâque tristitiâ afficit Sanctissimos Episcopos, qui sunt ubique terrarum, quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur: sive ex ecclesiasticis reditibus, sive ex fructu aliundè percepto. Unusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Judici* (*f*).

23. Hęc eadem partitio tùm in *Italiâ* (*g*), tùm in *Galliâ* quadruplex olim fuit (*h*), In *Hispaniâ* verò triplex, ut ex Conciliis Tarraconensi (*i*), & Toletano IV. deducitur (*l*): Totidem quoquè scissiones habuit in *Lusitaniâ*, ut ex Conciliis Emeritensi (*m*), & Bracarensi initescit (*n*). In *Germaniâ*, si Concilium Aquisgranense attendamus, fuit triceps (*o*): Si Vvormaciense, fuit quadruplex (*p*). In *Angliâ* demùm, nec tres, nec quatuor partes habuit, seu eam non habere peroptavit S. Gregorius scribens Augustino illius gentis Episcopo, quippè maluisset omnia inibi communitèr possideri, eo modo, quo nascentis Ecclesiæ initio fiebat (*q*). Sed an præfata rerum divisio, sive triplex, sive quadruplex, juxtà pragmaticam semel introductam, semper constiterit; semelque definita, semper fuerit imprevaricabilitèr observata, in dubio esse videtur. Nàm quoàd *Germaniam* in Concilio Moguntiaco, non quarta pars, sed nona, & decima, prò Ecclesiarum reparationibus assignatur (*r*). Quod & identidem respectu *Gallię*, in Meldensi Synodo definitur (*s*). Idem in aliis Regionibus discernere est. Hoc autèm prò certo habeatur, quod hujusmodi proventuum Ecclesiæ divisio, sivè in tres, sivè in quatuor, sivè in plures partes discissa, processu temporis obsolevit.

24. Et ità cuilibet ecclesiastico ministerio proprii sui reditus assignati fuerunt & prædia, & corpora bonorum, seu latifundia; ità nt Mensa Episcopalis propria bona possideret, quemadmodùm & nùnc habet; Parochię, Dignitates, Canonicatus, Mensionariæ, & cœtera Beneficia sua paritèr bona peculiaritèr haberent: Nosocomia ubi infirmi; Xenodochia ubi peregrinantes; Orphanotrophia ubi orphani; Ptochotrophia ubi inopes; Berphotrophia ubi infantes; Gerontocomia ubi senes, & debiles sustentantur: Asceteria demùm Monialium, Cœnobia Monachorum, & alia loca pia, propria agnoscerent latifundia: & jam non reditus Ecclesiastici universalitèr dividerentur; sed prædia quibuslibet locis, & piis operibns destinata, intèr ea permanerent incommixtibilitèr separata: eo modo quo nostris quoque temporibus perseverant. Cui novæ mutationi causam ut putamus, dedere, vel æquitas alicubi à redituum distributoribus, nt innuimus, non servata; vel querulositas eorum, qui de reditibus ipsis participabant, indesinentèr clamantium proventus non omnibus æquâ lance distribui, sibi diminutas portiones tradi,

(a) *Cap quatuor. 27. caus. 12. qu. 2.*
(b) *Simplic. Pap. epist. 2.*
(c) *Concil. Tarracon. cap. 8.*
(d) *Cap. Sanctorum 31. caus. 12. qu. 2.*
(e) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. par. 3. l. 2. c. 11. num. 7. & 8.*
(f) *S. Cyril. Alex. Episc. can. 10. 5. par. 2. fol. 212.*
(g) *S. Gregor. lib 12. epist. 31.*
(h) *Capitul. Carol. Magn. l 7. c. 190.*
(i) *Concil. Tarracon. cap. 8.*
(l) *Concil. Tolet. IV. cap. 32.*
(m) *Concil. Emeritens. cap. 14.*
(n) *Concil. Bracar. II. cap. 25.*
(o) *Concil. Aquisgr. an. 816. cap. 116.*
(p) *Concil. Vvorm. an. 868. c. 7.*
(q) *S. Gregor. l. 12. epist. 31.*
(r) *Cap 1. de Eccles. ædificand.*
(s) *Concil. Meldens. cap. 62.*

aliis ultrà mensuram debitam dispensari, & *iniquum esse, ut de unâ substantiâ, quibus competebat æqua successio, alii abundantèr affluerent, alii paupertatis incommodis ingemiscerent* (a). En origo tota beneficiorum ecclesiasticorum, quæ retrotracta ad suum initium profluunt, seu in locum succedere videntur, sportularum, & proventuum manualium, qui antiquo tempore, de bonis Ecclesiæ Clericis præbebantur: ità ut beneficia residentialia subrogata intelligantur portionibus illis, quæ Clericis personalitèr, & publicè in Ecclesiâ ministrantibus, porrigebantur; beneficia verò merè simplicia locum teneant sportularum, seu portionum illarum, quæ Clericis indigentibus tradebantur, non ratione personalis, & publici Ministerii, sed ratione Clericatus, & privatæ actionis orandi Deum, quæ nihilominùs eo ipso, quo fit de mandato Ecclesiæ, à Clerico ministro Ecclesiæ, & juxtà ritum ab Ecclesiâ præscriptum, servitium Ecclesiæ ipsi præstitum dici debet.

(a) Cassiodor. Var. lib. 1. epist. 7.

C A P U T III.

In quo discutitur, quandonàm incœperint in Ecclesiâ Dei Beneficia merè Simplicia expressè distingui, & quid circà hoc, tùm ex ipso Beneficii *nomine deducatur, tùm ex rè significatâ, per illud nomen? Ac ex antiquitate minorum Ecclesiarum, quæ in qualibet Diœcesi erant.*

S U M M A R I U M.

1 *Beneficia merè simplicia incæperunt eo tempore, quo incæperunt cætera beneficia ex fundorum partitione emergere.*

2 *Vox* Beneficium *apud S. Dionysium Corinthium, apud S. Hieronymum reperitur, & apud alios Patres, ac apud Innocentium I. & Simplicium Papas.*

3 *Idem Innocentius memorat alibi vocem beneficii, agens de Monachis, qui sunt totidem beneficiati: alluditque beneficiis merè simplicibus.*

4 *Concilium Aurelianense I. mentionem facit verbi beneficium, vetans ne Clerici ad petenda beneficia Principes temporales adirent.*

5 *In variis Conciliis vox beneficium est, ut significans beneficia ecclesiastica, de quibus loquimur, etiàm merè simplicia.*

6 *Longè antè id, quod legitur in Decretalibus, reperitur apud Patres, & Concilia vox beneficium, comprehendens etiam beneficia merè simplicia.*

7 *Oratoria, & Abbatiæ in epistolâ D. Gregorii nominatæ, erant beneficia simplicia, sicque tempore ipsius Pontificis beneficia hæc erant.*

8 *Distinctio beneficiorum in compatibilia, & incompatibilia: & in residentialia, & non residentialia, an esset antiquitùs cognita.*

9 *Ecclesiæ, Oratoria, Tituli, Altaria, Martyria, Capellę priscis Ecclesiæ temporibus constitutæ, non erant nisi totidem beneficia.*

10 *Olim in qualibet Diœcesi unica erat Ecclesia Cathedralis, & Parochialis totius Diœcesis. Episcopus est Parochus Parochorum.*

11 *Incæperunt posteà erigi minores Ecclesiæ, ubi erant Presbyteri, Diaconi, & Clerici. In aliquibus tamèn Ecclesiis nullus ex his erat.*

12 *Si*

11 *Si Presbyter regebat curam, beneficium erat parochiale. Si ei alia functio personalis incumbebat, erat beneficium residentiale. Si ad nullum opus personale tenebatur, erat beneficium merè simplex.*

13 *Ex Divo Paulo constat, quod Corinthi, prætèr Cathedralem, erat alia Ecclesia dicta in Cenchris. In aliis etiam Diœcesibus, prætèr Cathedralem, erant aliæ Ecclesiæ.*

14 *Evaristus, qui anno* 110. *præesse incæpit Ecclesię, divisit Romę Titulos. Quid essent Tituli? S. Gregorius Thaumaturgus ædificavit Ecclesiam ruri.*

15 *S. Cyprianus epistolam scribit ad Felicem, & Paulum, &* plebem ipsis commissam. *Dionysius quoquè Papa divisit parochias, & Presbyteris commisit.*

16 *Concilium Ancyranum memorat parochias, in quibus non se ingererent Presbyteri Civitatis. Earum quoquè, ac Martyriorum fit mentio in Concilio Laodiceno.*

17 *Concilium Antiochenum vetat, ne lædantur cæterę Ecclesiæ. S. Epiphanius in Ecclesiâ villæ ordinavit quemdam reluctantem. In aliis Conciliis memorantur parochiæ.*

18 *Concilium Hyponense, S. Augustinus, S. Joannes Chrysostomus loquuntur de minoribus Ecclesiis in variis occasionibus.*

19 *Ex dictis infertur usque ab illo tempore fuisse beneficia merè simplicia. Concilium Chalcedonense sermonem habet de Ecclesiis diversis.*

20 *S. Gennadius Constantinopolitanus mandavit unicuique Ecclesiæ suos reditus dari, non verò ab Oeconomo Cathedralis, ut anteà ministrari.*

21 *Cum usque ab initio Ecclesię essent Capellæ, Tituli, Oratoria, Sacella suis instructa reditibus, jàm tùnc erant beneficia merè simplicia.*

1.  UNC incæperunt in Ecclesiâ Dei beneficia merè simplicia, expresiè distingui, quandò incęperunt fundi, & prædia sacra dividi, atquè cuilibet Ecclesiæ, Oratorio, Capellæ, Tituloque, aut Altari, sua propria latifundia peculiaritèr assignari: quippè illa sic assignata in beneficii titulum, ab aliquo Clerico possidendum, partìm beneficia residentialia evaserunt, partìm merè simplicia, prout ratio, & qualitas ipsius beneficii deposcebat. Quandonàm autèm inchoata fuerit hujusmodi fundorum partitio, non est facilè definire, tùm propter magnam ejus antiquitatem, tùm propter variam, & multimodam disciplinæ diversitatem variis in Locis, & Regionibus observatam: non enim ubique eodem tempore initium habuit, sed alicubi citiùs, alicubi seriùs, pro locorum, personarum, atque temporum diversitatibus, & circumstantiis. Attamèn sive nomen hoc *Beneficium* attendamus, sive rem, significatam per illud; partitio ipsa videtur omninò ad antiqua Ecclesiæ sæcula referenda: & ità etiam beneficia merè simplicia sunt ad eadem tempora referenda. Siquidèm si de nomine *Beneficii* loquamur, ejus est memoria apud S. Dionysium Corinthium, qui floruit circà annum Christi 180. & in epistolâ ad Ecclesiam Romanam hæc habet: *Apud vos jam mos inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis* (a). Est etiàm apud D. Hieronymum, in epistolâ ad Nepotianum, ità scribentem, *multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando* (b).

(a) S. Dionys. Corinth. ap. Euseb. l. 4. c. 23.

(b) S. Hieron. ad Nepot. de vit. Cleric. ep. 2.

2. Sed quamvis ibi tàm D. Dionysius, quàm D. Hieronymus beneficii nomine utantur ad significandam perceptionem redituum ecclesiasticorum, tamèn ibi de sportulis potius, vel muneribus, vel stipendiis manualibus eloquuntur, per Ecclesiam distributis, quæ *beneficentiæ dispensatio* in Gangrensi Synodo vocitantur (c), quàm de fundis ad perfruendum perpetuò Clericis in titulum veracis beneficii, collatis. Meliùs ergò est alibi reperire antiquitatem vocis *beneficium*, (uti signifi-

(c) Conc. Gangrens. cap. 7. & 8.

cantem jus percipiendi fructus ex fundis ecclesiasticis alicui in titulum attributis), Siricius Papa ipsam vocem beneficii memorat, loquendo de Episcopatu, cum decernit, ut saltèm tres, non verò unus tantùm *Episcopus Episcopum ordinare præsumat, ne furtivum beneficium præstitum videatur* (*a*). Et antè illum in eodem sensu vocem hanc adhibuit Innocentius Papa I. in epistolâ ad Victricium Rotomagensem (*b*). Reperitur quoquè hæc ipsamet dictio, apud S. Joannem Chrysostomum, qui floruit anno Christi 398. & sequentibus; nàm præter ea, quæ ex illo suprà retulimus (*c*), scribens ipse libros de Sacerdotio, ità profatur: *plerique non constituunt sibi Oeconomos, nisi fideles homines, & eos, qui divitias suas maximâ prudentiâ regant, cum interim Ecclesiæ beneficia, & animarum curas hominibus minùs optimæ conscientiæ, minùs prudentibus, & denique pueris sæpè committunt* (*d*). En itàque hìc memorata beneficia Ecclesiç, tùm simplicia, tùm curata, hæcque ab illis distincta, atque omninò divulsa, talitèr ut beneficia animarum curâ carentiâ, ipsis pueris conferrentur: quod quidèm improbat S. Chrysostomus, non quià puris Clericis etiam adolescentibus dari non possent beneficia eadem, quibus animarum cura, non inhęrebat, sed quià ineptum erat pueris elargiri beneficia ipsa, tametsi merè simplicia, quemadmodùm etiam nùnc vetitum est antè quartodecimum annum cuiquam simplicia beneficia largiri (*e*).

(a) *Siric. Pap. ep. 4.*

(b) *Capit. extrà 5. dist. 64.*

(c) *Vid. supr. tom. 1. Sæc. 1. c. 2. n. 5. in fin.*

(d) *S. Joan. Chrys. de Sacerdot. lib 2.*

(e) *Conc. Trid sess 23 c. 6 de reform. Barbos. jur. Eccl. univ l. 3. c. 13 num. 163.*

3. Rursùs hujusce dictionis *Beneficium* fit peculiaris mentio in epistolâ præfati Innocentii Papç I. cujus fragmen Gratianus suæ compilationi Canonum interseruit: ait enim: *Si Monachus ad Clericatum promoveatur, beneficia ei plenitèr, & annonæ, & decimç donentur, absque ullâ minoratione, ut quantò meliùs possit, juxtà possibilitatem suam, quandò necessitas extiterit, ad opera ecclesiastica, & ipsam restaurandam Ecclesiam adjutorium faciat* (*f*). Monachi fuerunt semper, & adhùc sunt totidem beneficiati (*g*). Carebant autèm ab initio ut plurimùm Clericatu (*h*). Et ideò in vitâ S. Pachomii legitur, quod *non patiebatur inter eos*, idest Monachos, *esse quempiam, qui Clericatus honore fungeretur: dicebat enim, multò meliùs esse, atquè commodiùs Monachis non solum nullius prorsùs honoris quærere primatus, & gloriæ, verùm etiàm occasiones hujusmodi de cœnobiis amputare &c.* Hincque fiebat, ut *cum solemnitas ex more deposceret, ut mysteriorum cœlestium participes fierent, ex proximis viculis presbyteros convocabant, qui eis festivitatem lætitiæ spiritualis implerent* (*i*). Verùm etsi Monachi sacris ordinibus insigniti non essent; eos tamèn ex causâ poterant adipisci: & ità idem S. Pachomius cuidam Monacho, ut ordinaretur, permittendum esse consuluit (*l*). Itàque cum Monachi possent è Laicali, ad Clericalem statum transire, quoties id ad effectum perducebatur, assignandum eis erant reditus, & proventus, ac vivendum, sive aliquod beneficium regulare, de bonis Ecclesiç, quo nedùm vivere possent, sed etiam ad opera ecclesiastica, & ad restaurationem Ecclesiæ contribuere. Jàm igitur tempore Innocentii Papæ I. qui sedit anno Christi 400. erant beneficia ecclesiastica, & quidem merè simplicia; non enim curata, nequè residentialia fuisse videntur ea, de quibus apud Innocentium est sermo.

(f) *Cap. si Monachus 22. caus. 16. qu 1.*

(g) *Thomass. vet & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 13. n. 1.*

(h) *Cap. generalitèr 40 caus. 16 qu. 1. Barbos Jur. Eccl. univ l. 1. cap 42. n. 99 & c. 43. num. 10.*

(i) *Vita S. Pachomii cap. 24.*

(l) *Ex eadem vita Menocch. Hist. Miscel. p. 2. § 65.*

4. Paritèr in Concilio Aurelianensi I. quod celebratum est anno Christi 511. vocis *beneficii* in hâc ipsâ significatione, fit mentio; ait enim: *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in religionis professione viventibus, sine discussione, vel commendatione Episcoporum, pro petendis beneficiis, ad Dominos venire non liceat* (*m*). Interdicit ne Monachi, vel Clerici, pro adipiscendis ecclesiasticis beneficiis officia Childeberti, Clodomiri, Clotharii, & Theodomiri, qui tamquàm Reges, & Domini in Regno Galliæ Clodoveo patri successerant, sine Antistitum approbatione interponerent, ne beneficia, regiæ commendationis intuitu, sed solius ratione meriti conferrentur. Sermo autèm ibi est nedùm de beneficiis residentialibus, aut curatis, quorum Abbates, & Presbyteri esse possent secundum jura capaces; sed etiam de merè simplicibus, ad quæ cœteri de Clero inferiori, & in minoribus constituti, possent aspirare.

(m) *Conc. Aurel. I. an. 511. n. 9.*

5. De

5. De eâdemmet dictione *Beneficii*, uti significante jus percipiendi fructus, ex bonis ecclesiasticis Clerico in titulum attributis, memoria habetur in Concilio Francfordiensi 300. circitèr Episcoporum, habito anno Christi 794. ubi decernit: *Ut decimas, & nonas, sive census omnes generalitèr donent, qui debitores sunt ex beneficiis, & rebus Ecclesiarum*. Et infrà: *Ut Domus Ecclesiarum, & tegumenta ab eis fiant emendata, vel restaurata, qui beneficia exindè habent* (a). Paritèr eadem vox habetur in Concilio Moguntino, congregato anno Christi 813. ubi præceptum est, ut habentes beneficium ecclesiasticum, ad tecta Ecclesiæ restauranda, & pro necessitate emendanda concurrerent. En textus: *quicumque ecclesiasticum beneficium habent, omninò adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas* (b). Nota hìc verbum esse non de beneficiis Curatis, & residentialibus, quippè de quibus nulla poterat esse ambiguitas, an ad restaurationem Ecclesiæ, cui præerant, vel personalitèr deserviebant, concurrere tenerentur (c). Sed de beneficiis merè simplicibus, qui hoc à se onus excutiebant. Memorantur quoquè ipsamet vox *beneficii*, circà hæc eadem tempora ab Hincmaro Remensi, scribente de Hincmaro Laudunensi Nepote suo, *quasdam res prædictus Episcopus filio Nortmanni sibi commendato, in beneficium dedit, quas ab eo receptas tenes* (d). Similitèr in Concilio Meldensi, celebrato anno Christi 845. ubi est acritèr conflictatum inter Episcopos, & Proceres Galliæ, ob repetendas res Ecclesiæ, quas Rex Carolus laicis dederat in beneficium (e). Uberiùsque vox illa postmodùm reperitur in subsequentium temporum Patribus, & Conciliis (f), quâ de rè nulla potest esse rationabilis difficultas.

(a) *Conc. Francford. an.794.c.25.& 26*

(b) *Concil. Mogunt. an.813.c.4.c.1.de Eccl.ædificand.*

(c) *Barbos.de Paroch. p.1.c.13.de Luca Miscel.disc.29.n.2.*

(d) *Hincm. Remens. ep.ad Hadr.Pap.f.583*

(e) *Vide Bail. sum. Conc.to.2. in Conc.Remens.an.845.*

(f) *Concil Mogunt. an.888.c.25. Hincm. Rem.tom.2.f.317.*

6. Et ità quantumvis in corpore Decretalium, nulla fiat vetustior commemoratio nominis *Beneficium* (in sensu de quo hìc agimus, beneficii, tùm residentialis, tùm merè simplicis) eâ quam exhibet Concilium Moguntinum anni 813. (g). Apud Concilia tamèn trecentis annis antiquior est illa, quam suprà ex Concilio Aurelianensi I. allegavimus; & apud Patres, illa, quam ex D. Joanne Chrysostomo, quadringentis annis, & ultrà, antè mentionem Moguntinam, attulimus: Et quidèm significando, ut advertimus, per illam vocem, nedùm beneficia ecclesiastica curata, & residentialia, sed etiam merè simplicia. Verùm quidquid sit de nomine *Beneficii*; res certè per illud significata est ad remotiora Ecclesiæ secula referenda, proùt fusiùs paulò infrà ostendemus, interimque allegamus epistolam S. Gregorii, quâ scripsit Candido Presbytero Galliæ, commendans ei quemdam Candidum, & monens, ut *sicubi in possessionibus B. Petri Apostolorum Principis, Oratorium, aut locus, qui Presbytero, vel Abbate indiget, inveniri potuerit, ei debeas committi, quatenùs ipse subsidium vitæ præsentis inveniat &c.* (h). Hìc non exprimitur vox *beneficium*, sed connotatur tamèn res per illud significata, & quidem non in sensu beneficii residentialis, sed in qualitate merè simplicis beneficii.

(g) *Cap. 1. de Eccl ædificand.*

(h) *S.Greg.l.9.ep.65*

7. Nàm prætérquàmquod non est credibile Oratoria illa, & Abbatias, de quibus loquitur D. Gregorius, fuisse parochias, vel beneficia curata, sive residentialia, cum à simplici Presbytero dispensarentur; & idcircò alicui conferrentur, ut provisus ex eis posset subsidium vitæ, sive proventus beneficiales percipere; Expendit hoc factum Thomassinus, & illud ità declarat: *Juspatronatus sacri in illâ præclarè emicat Gregorii epistolâ, quâ declarat conferri à se beneficia, quæ essent in patrimonio B. Petri, quamvis in Gallicanorum Episcoporum Ecclesiis illa sita essent. His quidèm verbis non satis exprimuntur parochiæ &c. Abbatiales, saltèm illæ Ecclesiæ, & beneficia simplicia terrarum patrimonialium S. Petri, ad nominationem, vel collationem Papæ spectabant* (i). Tametsi ergò priscis illis temporibus non fuisset in usu vox *beneficium*; erat tamèn in usu res per illam significata, nempè jus percipiendi fructus de rebus Ecclesiæ, Clerico concessum, & ab ecclesiasticâ potestate collatum: non beneficia curata, & residentialia, sed beneficia *simplicia*: qualia erant Oratoria illa, & Abbatiæ, de quibus D. Gregorius effatur.

(i) *Thomass. p.2.l.1. c.30.n.1.*

8. An autèm beneficia illa simplicia exigerent à Beneficiario debitum residen-

tiæ,

tiæ, & perſonalis ſervitii: non eſt locus examinandi in præſenti Capitulo, in quò de ſolo nomine beneficiorum agimus, non de reſidentiæ debito illis inhærente, vel non: Ex propoſito inferius, & quidem lautè de hujuſmodi quęſtione tractabitur. Idem ſanè Thomaſſinus non metuit affirmare, quod non inveniantur *mille ducentis ampliùs annis ulla veſtigia, ac ne umbra quidem ejus diſtinctionis, quâ alia dicuntur compatibilia, alia incompatibilia eſſe beneficia; & rursùs alia ſtrictę, alia liberæ eſſe reſidentiæ* (a), quæ verba Contradictores magnificant, & extollunt. Sed quanto fundamento hæc opinio ſubſiſtat, infrà videbitur. Certè vel antè duodecimum Sęculum beneficia merè ſimplicia erant in rerum naturâ, vel non. Si erant: ergò malè ſupponitur, quod nulla eorum fuerint veſtigia: quomodò enim nulla erant veſtigia rei, quæ erat? Si verò beneficia ſimplicia antè illud tempus non erant; ergò fuerunt fundata poſt idem tempus, & conſequentèr ſub illis legibus, quibus Eccleſia eo tempore beneficia merè ſimplicia regulabat: Sed hæc nùnc omittamus, & ad rem ſignificatam per nomen beneficii deſcendamus.

(a) *Thomaſſ. vet. & nov. Eccl. diſc. p. 2. l. 3. c. 34. n. 1.*

9. Si à rè ſignificatâ per nomen hoc *Beneficium*, antiquitas beneficiorum merè ſimplicium repoſcatur, pluſquàm vetuſta eſſe invenietur, & cum primis Eccleſiæ ſæculis de antiquitate contendere: quid enim fuerunt Eccleſię, Oratoria, Tituli, Altaria, Martyria, Capellæ priſcis Eccleſię temporibus conſtitutæ, niſi totidem beneficia, vel reſidentialia, vel merè ſimplicia, locaque inſtructa propriis proventibus, qui per eorum Rectores, & Titularis more beneficiorum percipi debebant? Sanè propter interdictum, quo cavetur, ne Eccleſia ædificetur, niſi aſſignatâ illi competenti dote ad luminaria, ornatum, & congruam reſtaurationem, atquè ad Rectori ejus ſtipendium conferendum (b), non erigebantur Capellæ, Oratoria, Tituli, Altaria, Eccleſiæ, Martyria &c. niſi aſſignatâ illis congruâ bonorum quantitate, per eorum Rectorem, & Cuſtodem poſſidendâ; hoc autèm erat idem, ac totidem beneficia conſtituere; vel reſidentialia, ſi Rector eorum locorum debebat ibi perſonalitèr deſervire; vel merè ſimplicia, ſi ad nullum opus perſonale ibi exercendum tenebatur, præter divinum officium, quod ex ſe poterat ubilibet recitare: vel eleemoſynas, quas pariter ubique poterat elargiri: vel Miſſas, quas poterat per alium celebrare.

(b) *Cap. nemo Eccleſiam de conſec. diſt. 1. c. piæ mentis 16. qu. 7. c. cum ſicut. de conſec. Eccl.*

10. Olim, & ſub ipſis Eccleſiæ initiis, in unaquâque Diœceſi, nonniſi unica erat ædes ſacra, ſaltèm ut plurimùm nempè Cathedralis (c), apud quam reſidebat Epiſcopus, & ad quam pertinebant omnes reditus, Deo dicati, per Antiſtitem in ſuas partes diſtribuendi, prout ſuperiùs prætactum eſt. Ipſe Epiſcopus ſolus erat Parochus totius Diœceſis, qui etiam nùnc ſolet communitèr appellari, Parochus Parochorum (d). Ipſa Eccleſia Cathedralis erat parochialis totius Civitatis, & Diœceſis Epiſcopalis, qualis etiam nùnc ſolet in ſenſu aliquo nuncupari (e). Ipſe tandèm Epiſcopus curam habebat & animarum, & fidelium ſuę Diœceſis, & operum piorum, & monialium, & viduarum, & peregrinorum, & omnium tandem, quę ad eccleſiaſticum pertinent miniſterium; eadem ſive per ſe, ſive per alios, pro opportunitate, & pro ſuo arbitrio peragendo. Sed quamquàm id ut in pluribus ità eſſet, attamèn quià nec ſolus Epiſcopus ubilibet tantæ rerum moli immediatæ curandæ, ſufficiens erat; nec ſola Eccleſia Cathedralis cunctos Diœceſanos in ſuo ambitu poterat continere; vel ſi poterat, non illis omnibus erat commoda, præſertim longiùs commorantibus; incęperunt ædificari per Urbes, & Subrubia, & per Caſtra, & Oppida, & Agros alię minores Eccleſię, Capellæ, Tituli, Oratoria, Martyria, & Altaria, quæ Epiſcopi Diœceſani juriſdictioni ſubeſſent, de quibus in Concilio Aurelianenſi I. *Omnes Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructę ſunt, vel quotidiè conſtruuntur, placuit ſecundum priorum Canonum regulam, ut in ejus Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cujus territorio poſitæ ſunt* (f).

(c) *Thomaſſ. p. 1. l. 2. cap. 21. per tot. Vid. in hoc to. c. 6. n. 26.*

(d) *Bellet. diſquiſ. Cleric. p. 1. de diſcipl. Cler. §. 4. n. 34.*

(e) *Barboſ. de Canon. & Dignit. c. 6. num. 19. & 20.*

(f) *Conc. Aurel. I. c. 19. cap. omnes Baſilicæ 16. qu. 7.*

11. Apud aliquas ex his ædibus ſacris reſidebant Presbyteri, regentes deſignatam portionem populi Diœceſani, quem paſcebant verbo, & exemplo, atque Sacramentorum adminiſtratione. Apud alias verò ſuam ſedulitatem impendebant alii

alii Presbyteri, vel Diaconi, aut Clerici, vel per se, vel per alios, prouti fundatorum lex, mos locorum, & Episcopi Diœcesani eis jussio committebat. Ad quas profectò Ecclesias populi, pro suo libito, confluebant, ut orationes Deo persolverent, & alia pia opera exercerent, juxtà quod eis, vel ministrantium pietas, vel propria devotio suggerebat. Aliquibus tamèn ex ipsismet Ecclesiis nullus erat Presbyter, nequè Diaconus, nequè Clericus assignatus, qui easdem regeret, & custodiret, tamquàm cum eis desponsatus, incardinatus, & intitulatus. Sed, si nullus alius erat ad eas custodiendas peculiaritèr à Præsule deputatus; Oeconomus, vel Thesaurarius Ecclesiæ Cathedralis illarum habebat curam, non tamquàm titularis specificus, & individualis, sed uti generalis omnium Ecclesiarum in Diœcesi existentium Superintendens, & Curator. Itàque, *vela*, inquit D. Isidorus, *& ornamenta Basilicarum, quæ in urbe sunt, & non habent presbyterum ipse custodit* (*a*): Ergò etiàm tùnc dabantur Ecclesiæ inter se dissimiles, & quarum aliæ habebant proprium Rectorem, possidentem eas in titulum, & velut ecclesiasticum beneficium. Aliæ verò proprio Rectore titulari carebant, quarum bona ministrabat generalis illius Diœcesis Oeconomus.

(a) *S. Isidor. Hispal. epistol. ad Laudefr. int. ejus opera f. 693. B.*

12. Si Presbyteris, apud Ecclesias illas minores famulantibus, commissa erat portio gregis, in viâ Domini dirigenda; Ecclesiæ ipsæ, illarumque beneficia erant parochialia, vel aliàs rectoralia, & residentialia. Si Presbyteris ipsis, & Clericis inibi ministrantibus, nulla erat portio gregis commissa, sed solæ aliæ functiones sacrę personalitèr exercendę, uti missas, & officia sacra, per se solemnitèr celebrare &c. erant beneficia Choralia, vel Canonicalia, vel hisce similia, adeòque residentialia. Si verò nullum opus personale ministris ipsis erat injunctum, sed sola privata recitatio divini officii; vel eleemosinæ, aut missę, aut alia opera, pèr se, vel per substitutum adimplenda; tùnc Ecclesiæ illæ, Oratoria, Capellę &c. in titulum beneficii merè simplicis præbebantur. Et en ex hac minorum Ecclesiarum erectione patefactum, emersisse cum illis in Ecclesiâ Dei, tàm beneficia residentialia, quàm beneficia merè simplicia, nempè illa, quæ nequè curam animarum habent, nequè dignitatem ecclesiasticam, nequè administrationem, sed solùm titulum, & proventus perpetuos, ab omni personalis functionis ministerii, & residentiæ debito immunes.

13. Quandonàm autèm incœperint ędificari hujusmodi minores Ecclesię, Capellæ, Oratoria, Martyria &c. ecce quidquid nobis notum est, ordine chronologico subsignatum. Apostolus D. Paulus anno Christi 58. scripsit epistolam ad Romanos (*b*), in quâ memorat Phæben, operam dantem *ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris* (*c*). Cenchris erat portus, vel pagus, aut suburbium Corinthi (*d*), vel ut illud vocat Ferrarius, erat Navale Corinthiorum in ora Sinus Saronici ad Isthmum (*e*). Et cum jàm erecta esset Ecclesia Corinthiensis, ad quam Apostolus binas direxit epistolas; patet quod inibi, prætèr Cathedralem, jàm ex tùnc aderant alię minores Ecclesię, propriis præditæ Nominibus, & Ministris: Phæben etenim erat Diaconissa dictæ Ecclesię in Cenchris erectę, uti exponit D. Joannes Chrysostomus (*f*). An in aliis quoquè Diœcesibus, ultrà Cathedralem, aliæ tùnc temporis essent Ecclesię, quemadmodùm erant Corinthi, quis audeat affirmare? Sed & quis audeat negare? Certè nulla lex erat, quę prohiberet pluralitatem Ecclesiarum. In Cenchris erat hęc minor Ecclesia. Cernimus ulteriùs, quod paulò post in Urbibus, & pagis, frequentes erant minores Ecclesię. Benè igitùr, & prudentèr judicabimus, si dicamus, quod usque à temporibus Apostolorum, ac quę illis fuerunt proxima, incęperunt per orbem, prętèr Cathedrales, construi etiàm alię minores Ecclesię, Parochiales, Oratoria, Martyria, & ędes similes Deo Sacrę, ad commodum Christianorum, quibus omnibus non erat sufficiens, vel satis commoda Cathedralis. Eusebius ex Philone refert, quod D. Marcus totam Ægyptum in Episcopatus, & Parochias divisit (*g*).

(b) *Cornel. à Lap. in epistol. Paul. in argum. antè eas §. nota.*
(c) *Romanor. c. 16. num. 1.*
(d) *Cornel à Lapid. in Romanor. 16. n. 1.*
(e) *Phil. Ferrar. Lexic. Geograph. V. Cenchræ.*
(f) *S. Joan. Chrys. in epist. ad Romanos.*
(g) *Christian. Lupus in can. 6. Chalced.*

14. Anno Christi 110. Summum Pontificatum adeptus est Evaristus, qui Titulos

tulos in Urbe distribuit (*a*). Hi autem tituli erant idem ac Ecclesiæ minores, seù Parochiæ intrà Urbis mœnia constitutæ, de quibus in Vitâ S. Marcelli Papæ I. *Hic vigintiquinque titulos in Urbe Româ constituit, quasi Diœceses, propter Baptismum, & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex Paganis &c.* (*b*) Dicebantur Tituli eo quod Presbyteri, apud quos Ecclesiarum illarum inferiorum cura erat, *Titulum indè ducerent & nomen* (*e*). De illis tandèm ità loquitur Ciaconius, Tituli erant *reditus, & proventus ex villis, prædiis, fundis, aût agris, à piis, sivè viris, sivè fœminis, ad alendos Ecclesiæ ministros relicti; in quâ significatione dicitur quemquam ad titulum, sivè beneficii, sivè patrimonii, ordinari; hoc est ad reditus, qui vel ex beneficio, vel ex patrimonio percipiuntur in sustentationem Ordinandi* (*d*). Non multò post, nempè circà annum Christi 230. vixit S. Gregorius Cappadox, cognomine Thaumaturgus, de quo refert Eusebius, quod cum in quodam loco *ruris angusti res posceret Ecclesiam construi, rupes quædam vicini montis ex parte Orientis objecta, ex aliâ verò præterfluens fluvius spatium, quantum ad Ecclesiam suffiecret, denegabat*; ideò Sanctum Oreste ut mons loco cederet, ad locum Ecclesiæ structuræ præbendum, & ità factum esse ut optabat (*e*). Erant ergò tùnc temporis Ecclesiæ rurales, Ecclesiæ minores à Cathedrali distinctæ, Diœcesani Episcopi auctoritate fundatæ, ac ad populorum commodum ædificatæ.

15. Paritèr circà vicina illa tempora, nempè ætate S. Cypriani, qui floruit anno Christi 250. (*f*), prætèr Cathedralem aderant aliæ Ecclesiæ minores, & Parochiales: ipse nàmque D. Cyprianus Epistolam scripsit, hoc titulo prænotatam: *ad Felicem Presbyterum, & Paulum Diaconum, & plebem ipsis commissam* (*g*). Erant ergò & Presbyteri, & Diaconi, quibus peculiares plebes inveniebantur commissæ, & consequentèr etiam Ecclesiæ, ad illarum plebium regimen constitutæ. Dissonat aliquantulum Pamelius in titulo huic Epistolæ præfixo (*h*). Verùm cùm eam non Episcopis Asturicensi, & Emeritensi, sed Presbytero, & Diacono plebium ad illas Civitates pertinentium inscribat; signum est apud Asturicam, & Emeritam fuisse Ecclesias minores, in quibus Presbyter ille, & Diaconus ministrabant. D. Dionysius Papa, qui in Cathedrâ S. Petri sedere cœpit anno Christi 261., Parochias se divisisse profitetur; scribit enim Severo Episcopo: *Ecclesias singulas, singulis presbyteris dedimus; parochias, & cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus: ità videlicèt, ut nullus alterius parochiæ terminos, aût jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, & talitèr Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut antè tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat* (*i*). Si ergò tot aderant Parochiæ singulis Presbyteris commissæ, qui Ecclesias, & plebes sibi respectivè commissas regerent, & custodirent; patet, quod eo tempore in unoquoque territorio Episcopali, seù Diœcesi, non una tantùm, sed plures erant Ecclesiæ.

16. Parochias paritèr, intèr se divisas, memorat Concilium Ancyranum, habitum anno Christi 314., ubi jubet, ne Presbyteri Civitatis valeant *sinè auctoritate literarum Episcopi in unaquâque Parochiâ aliquid agere* (*l*). Si etenim hoc illis erat interdictum, patet quod Parochiæ tùnc fuerant intèr se talitèr dispertitæ, ut non liceret Presbyteris Urbanis se in earum sivè curâ, sivè aliâ administratione miscere, sinè auctoritate Episcopi, expressis literis declaratâ. Hunc canonem genuinum esse tuetur Hallier de Sacrâ Ordinatione (*m*), tametsi Petavius eum censeat aliquam perpeti eclipsim (*n*), & certè nullam patitur difficultatem circà id, quod causam nostram concernit. Paritèr in Concilio Neocæsariensi, celebrato eodem anno Christi 314. memorantur Presbyteri *corregionales*, ut contradistincti à Presbyteris Civitatis (*o*). Itidèm in Concilio Laodiceno, quod convocatum est anno Christi 320. mentio fit Parochiarum, nec non & Martyriorum, quæ in idem recidunt ac Sacella, Oratoria, & Capellas, seù minores Ecclesias (*p*). Prout etiàm in Concilio Romano, cujus convocationem S. Silvester Papa I.

(a) *Cardin. Baron. an. 212. n. 4. 5.*

(b) *Anastas. Bibliot. in Vit. Marcel. I.*

(c) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 21. n. 12.*

(d) *Alph. Ciaccon. in Vit. Pontif. post Vit. Higini.*

(e) *Eusebius histor. lib. 7. c. 25.*

(f) *S. Hier. de Scrip. Eccl. in Cyprian. c. 67. Honor. Augustod. eod. Verb. n. 67.*

(g) *S. Cyprian. lib. 1. ep. 4.*

(h) *S. Cypr. juxt. Jacob. Pamel. ep. 68.*

(i) *Cap. Ecclesiast. 7. caus. 13 qu. 1.*

(l) *Concil. Ancyr. ann. 314 c. 12.*

(m) *Franc. Hallier. de sac. Ordin. sec. 5. c. 2. ar. 2 § 2.*

(n) *Petav. not. in S. Epiphan. hæres. 63.*

(o) *Concil. Neocæs. an. 314 c. 13.*

(p) *Concil. Laodicen. an. 320. c. 9. 14. & 57.*

pa I. habuit anno Christi 324. de Parochiis reperitur facta locutio, vetitumque est, nè in singulis earum plusquàm duo Diaconi ponerentur (*a*). Qui sanè Diaconi, non Rectores earum, sed Comministratores erant Parochorum, à quibus ipsæ Parochiæ regebantur.

(a) *Concil. Rom. ann. 324. c. 6.*

17. Coaluit quoquè anno Christi 340. Concilium Antiochenum, præcipiens intèr cœtera, ut Episcopus rerum ecclesiasticarum habeat potestatem, non eas tamèn ità ministret, *ut cœteræ lædantur Ecclesiæ* (*b*). Quibus verbis plusquàm clarè indicatur, eo tempore, prætèr Cathedralem, in vnaquâque Diœcesi, alias quoquè minores Ecclesias adfuisse. Vixit paulò post, nempè anno Christi 370. S. Epiphanius, qui Ecclesias memorat in pagis, & Villis constitutas: recensens enim provectionem Clerici, à se in Diaconum ordinati, ait; *cum celebraretur collecta in Ecclesiâ Villæ, quæ est juxtà Monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; & primùm Diaconum ordinavimus &c.* (*c*). De Parochis Campestribus, seù Diœcesanis, fit memoria in Concilio Valentino, habito anno Christi 374. (*d*), & in Concilio Carthaginensi IV., quod celebratum est anno Christi 398. (*e*). Proùt etiàm in Concilio Carthaginensi V. paulò post convocato (*f*). Et est notabile id, quod tamquàm ex Concilio Carthaginensi, in Decreto Gratiani refertur: *Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis* (*g*).

(b) *Concil. Antioch. c. 25.*

(c) *S. Epiph. ep. ad Joann. Hierosol ep 60. intèr ep. D. Hier.*

(d) *Concil. Valent. an. 374. in fin.*

(e) *Concil. Carthag. IV. c. 36.*

(f) *Concil. Carthag. V. c. 5.*

(g) *Cap. placuit 51. caus. 12. q. 2.*

18. Ex his patet, Ecclesias minores tùnc fuisse, in quibus erant Presbyteri constituti, sivè intitulati, aùt beneficiati; quorum alii erant parochiales, & personali onere adstricti, alii merè simplices, & ad nullam functionem personalitèr obligati: propriis fuisse ditatas prædiis, & latifundiis illas Ecclesias, quorum fructus ipsi Presbyteri percipiebant. Circà eadem tempora coaluit Concilium Hipponense, quod Synodalitèr definivit: *Episcopus matricis non usurpet quidquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi constitutæ sunt* (*h*). Paulò post, nempè ruente Sæculo quarto, & quinto ineunte, floruit S. Joannes Chrysostomus, qui Ecclesias in Villis ædificari à Magnatibus deposcebat, & ibi Diaconos, & Presbyteros deputari, per quos sacrificia offerrentur, & alia pia opera exercerentur; ait enim aliquandò: *Oro, ac supplico, & gratiam peto, imò & legem pono, ut nullus, qui habet villam, appareat carere Ecclesiâ. Ne mihi dixeris propè est: in viciniâ est: magnus est sumptus, non magnum commodum: si quid habes insumendum in pauperes, illùc insume: melius illùc, quàm ibi. Educa Magistrum, educa Diaconum, & Sacerdotalem ordinem &c. Preces illic perpetuæ proptèr tè, laudes, & synaxes proptèr tè, oblatio per singulos dies dominicos &c.* (*i*). Circà annum Christi 420. S. Augustinus intèr Sacros Antistites corruscavit, qui Ecclesias per populum fundatas commemorat (*l*). Et alibi sermonem habens Auditorio denuntiat, quosdam Clericos prędia quædam Ecclesiis, & Monasteriis contulisse (*m*).

(h) *Concil. Hippon. apud Ferrand. Diac. Breviar. c. 38.*

(i) *S. Joan. Chrysost. hom. 18. in Act. Apost.*

(l) *Cap. hortamur 8. dist. 71.*

(m) *S. August. ser. 50 de divers. to. 10. f. 522*

19. Non ergò dubium est, quin eâ ętate plurimæ in qualibet Diœcesi, Ecclesiæ fuerint, in quibus, vel parochialia officia, vel alia sacra ministeria exercerentur per Clericos, Diaconos, & Presbyteros, qui ex prędiis earumdem Ecclesiarum proventus congruos percipiebant suo labori, & operi, respondentes, illa exercendo, vel personalitèr, & per se ipsos, vel respectivè per alios, à se legitimè substitutos: juxtà diversitatem operum piorum ibidem adimplendorum. Et ità usquè ab eo tempore in Ecclesiâ Dei vigebant beneficia tùm residentialia, tùm merè simplicia: Sermonem quoquè facit Ecclesiarum, tàm in urbe, quàm in pagis erectarum, aliorumque piorum locorum, Concilium Chalcedonense, actum anno Christi 451., distinguens titulos, ad quos voluit posse Clericos ordinari, vel respectiuè provehi administrandum: talitèrque idcircò decrevit: *Nullum absolutè ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialitèr in Ecclesiâ Civitatis, vel pagi, vel Martyrio, vel Monasterio is, qui ordinatur, designetur* (*n*). Et infrà; Cle-

(n) *Concil. Chalced. can. 6.*

Clerici Ptochotrophiorum Monasteriorum, & Templorum Martyrum sub potestate Episcoporum, qui sunt in unaquàque Civitate, ex Sanctorum Patrum traditione permaneant. Et adhùc inferiùs: *Non licere Clerico in duarum Civitatum Ecclesiis eodem tempore in Catalogum referri &c*. Pariter: *Si quispiam ex aliâ in aliam Ecclesiam translatus est, nihil prioris Ecclesiæ, vel eorum, quæ sub eâ sunt Martyrium, vel Ptochotrophiorum, vel Xenodochiorum rebus communicare* (*a*).

(a) Concil. Chalced. c. 8. & 10.

20. Ex quibus patet, quod tempore Concilii Chalcedonensis erant Ecclesiæ minores, & loca pia, urbana, & ruralia, Clericique illis addicti; qui cum in aliis quoquè Ecclesiis eodem tempore ministrare aggrederentur (*b*); signum est, quod in eâ versabantnr opinione, non teneri inibi ex se ipsis actualitèr operari eos, qui non tenebantur personalitèr famulari Ecclesiis, in quibus erant intitulati: Nequè Concilium vetuit Clericis ipsis, nè Ecclesiis, in quibus titulum simplicem, sivè beneficium merè simplex, habebant, per substitutos idoneos deservirent; sed nè id facerent in duabus, in quibus tenerentur personalitèr famulari. Currente anno Christi 458. Cathedram Patriarchalem Constantinopolitanam ascendit S. Gennadius, Acacii successor (*c*), qui officium Oeconomi cuidam Marciano commisit; sed ubi anteà omnes oblationes, reditus, & proventus sacri solebant ad majorem Ecclesiam deferri, in alias Ecclesias, & loca pia pro ratâ congruâ dispertiendos; voluit ut uniuscujusque Ecclesiæ reditus propriis illius Clericis conferrentur: *Constituit, ut Ecclesiæ cujusque Clerici, & Beneficiarii oblationes ejus reciperent, cum anteà deferri solitæ fuissent ad Ecclesiam majorem* (*d*). Erant ergò Ecclesiæ minores propriis proventibus ditatæ, quos Clerici debebant consequi Ecclesiis ipsis addicti. Concilium Arvernense, celebratum anno Christi 541., memorat Presbyteros, & Diaconos habitantes in Villulis apud Oratoria, & ut contradistinctos à Presbyteris, ac Diaconis Canonicis in Civitate, vel Parochiis (*e*).

(b) Ibidem c. 10. & 20.

(c) Card. Baron. an. 458. n. 32.

(d) Thomassin. vet. & nov. Eccl. disc. p. 3. l. 2. c. 2. n. 4.

(e) Concil. Arvernen. ann. 541. c. 14.

21. Ultrà hæc tempora progredi non est necesse, cum post Sæculum Christi quintum facilè sit reperire ecclesiastica beneficia, dilucidiùs indicata. Satis ergò sint ea, quæ jàm retulimus; nàm cum Ecclesiæ, Oratoria, Capellæ, Martyria, Tituli, Sacella &c. usquè à primis Christianæ Fidei Sæculis, essent erecta, & ab Ecclesiâ Cathedrali diversa, propriis reditibus instructa, ministros peculiares habentia, nempè Clericos, Diaconos, & Presbyteros inibi intitulatos, & de reditibus ipsis viventes, vel alio modo participantes, hæcque participatio nihil aliud sit, quàm idèm ac ecclesiastica beneficia; evidens est, quod usquè ab illâ remotiori ætate fuerunt ecclesiastica beneficia. Et quià ex deductis in hoc ipso Capitulo, & uberiùs ex infrà deducendis, demonstratur, quod Clerici, redituum illorum participes, quibus Ecclesiæ illæ minores instructæ erant, non omnes personalis obsequii ministerio adstricti erant, sed alii personalitèr inibi famulari tenebantur, alii id exequi poterant per idoneum substitutum; patet quod jàm ex tùnc fuerunt in Ecclesiâ Dei nedùm beneficia residentialia, sed etiàm merè simplicia.

* *
*



CA-

CAPUT IV.

In quo quæritur, quandonàm incæperint prædia Ecclesiastica in Beneficiarios dividi: Undè fluxerunt Ecclesiastica Beneficia, tàm Residentialia, quàm merè Simplicia.

SUMMARIUM:

1 *Beneficia sunt introducta de jure positivo. Dionysius PP. divisit parochias. Baronius censet beneficia incæpisse initio Sæculi sexti.*

2 *Videtur præcessisse sextum Sæculum, hoc verò tempore factam fuisse magis universalem, nec verisimile est, quod ubilibet idem initium habuerit.*

3 *Satis liquet, quod eodem tempore initium sumpserunt, nedùm beneficia residentiæ debito adstricta, sed etiàm merè simplicia.*

4 *Ex Concilio Agathensi deducitur, quod beneficia circà tertium Christi Sæculum inicium habuerunt, & quod tùnc erant Beneficia simplicia.*

5 *Concilium Aurelianense I., & alia Concilia de sacris ædibus disponentia, indicant tùnc adfuisse Beneficia merè simplicia.*

6 *Beneficia erant Sæculo sexto, & perrexerunt ampliùs dilatari. Dicebantur interdùm* Agelli Ecclesiæ, *vel* res Ecclesiæ, *aùt* munificentia Ecclesiæ.

7 *S. Gregorius consulit cuidam Ecclesiam, in Diœcesi Importuni Episcopi sitam, quo videtur fuisse beneficium merè simplex.*

8 *Ex aliâ epistolâ D. Gregorii habetur beneficium merè simplex, quod Rectori patrimonii Galliæ mandavit, ut cuidam Aurelio conferret.*

9 *In Conciliis antiquis memorantur beneficia ecclesiastica sub nomine* Tituli, *vel* Stipendii, *aùt* Præcariæ.

10 *Concilium Emeritense decernit posse Episcopum traducere Parochos rurales ad Ecclesiam Cathedralem, & in eâ præbendatos facere.*

11 *Presbyteri Illi sic traducti, erant veri Canonici, simùl retinentes in titulum, vel commendam perpetuam beneficia illa ruralia.*

12 *Ex dictis patet non esse novam distinctionem intèr beneficia residentialia, & merè simplicia: quippè utraque simùl innotuerunt.*

13 *Ab initio bona stabilia non servabantur, sed alienabantur, & eorum pretium in Clericis alendis, & in aliis piis usibus impendebatur.*

14 *Posteà servatis prædiis, introductum est eorum reditus in Clericos, & usus pios distribuere, vel per porciones mensurnas, vel diurnas.*

15 *Deindè divisa fuerunt prædia, & partim locis piis assignata, partim Ecclesiis, Oratoriis, Capellis &c. addicta, pro sacris ministris alendis.*

16 *Nomina beneficii, & præbendę tametsi promiscuè sumantur, tamèn sunt intèr se diversa: & quomodò.*

17 *Choralia beneficia alicubi habent massam grossam, in quâ consistunt. Alibi habent prędia propria, & ulteriùs distributiones ex massâ minori.*

18 *Ostenditur quod saltèm nongentis ab hinc annis erat distinctio intèr beneficia, & prębendas, intèr Clericos Canonicos, & non Canonicos.*

19 *Usquè à remotioribus Sæculis introducta est bonorum divisio, ut qualibet Ecclesiæ, Oratoria, Beneficia, Capellæ propriam haberent dotem.*

20 *Præfatæ prædiorum assignationi datus est titulus Beneficii, sumptâ metaphorâ à beneficiis militaribus.*
21 *Etiam Clerici sunt milites Christi. Concilium Francfordiense anno 794. memorat beneficia ecclesiastica Clericis dari solita.*
22 *Ad promerenda beneficia ecclesiastica, vel refert, an quis militet in Ecclesiâ ut Beneficiarius simplex, vel uti residentialis.*

1.  CCLESIASTICA Beneficia esse introducta à jure positivo in confesso est apud omnes, tùm Theologos (*a*), tùm Canonistas (*b*). Cum etenim non sint nequè de jure Divino, nequè de naturali; necessariò debent à positivo jure descendere. Quo tempore autem hoc fieri incœperit; non satis videtur esse dilucidum. Nàm S. Dionysius Papa scripsit quidèm Severo Episcopo Cordubensi, se parochias, & cœmeteria divisisse, & Ecclesias singulas singulis Presbyteris commisisse (*c*). Verùm hinc tota nostra quæstio non dissolvitur. Eruditissimus ergò, nec tàm dignitate, quàm doctrinâ Eminentissimus Cardinalis Baronius, in suis pretiosis Annalibus, præsentem causam attingens, in eâ fuit opinione, quod solo initio sexti sæculi latifundia ecclesiastica incœperint Clericis assignari, undè profluxerint beneficia sacra, solita Viris ecclesiasticis in titulum conferri. Ait enim: *Cum solerent Clerici ab Ecclesiâ per Episcopum mensibus singulis, victus causâ, meritam stipem accipere &c. posteà verò factum est, ut aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones quoàd viverent, ab Episcopo concederentur, quæ beneficia dici cœperunt, eo quod, ut habet Symmachus in eâ epistolâ, benemeritis tantummodò concedi liceat* (*d*). Idipsum censet Severinus Binius (*e*).

(a) *Azor. inst. mor. par. 2. l. 9. c. 1. qu. 1.*
(b) *Barbos. Jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 7.*
(c) *Dionys. l. epist. 2. est in cap. un. 13. qu. 1. ubi DD.*
(d) *Card. Baron. an. 502. n. 36.*
(e) *Binius in not. ad epist. 5. Symmachi in tom. 3. Conc. fol. 677.*

2. Sed rè verâ quemadmodùm longè anterior fuit Ecclesiarum, Titulorum, Martyriorum &c. erectio,ità valdè præcedens fuit beneficiorum ecclesiasticorum exordium; & sine dubio satis prior tempore fuit divisio prædiorum ecclesiasticorum, quæ incœperunt Clericis in titutulum assignari, ut ex his, quæ deduximus, in præcedentibus capitibus enitescit: nisi fortè Baronius, & qui cum eo sentiunt, significare velint, quod eodem initio sexti Sæculi, præfatæ bonorum ecclesiasticorum divisiones incœperint latiùs se diffundere, invalescere, & quodammodò effusiùs dilatari: quippè rè verâ tùnc illæ fundorum divisiones, & assignationes, cursum universaliorem sumpsère, & factæ sunt per totam Christianitatem, communiores, atque magis domesticæ: non enim verosimile est, quod ubilibet, ac eodem tempore divisio hæc initium sumpserit, & progressum, cum nulla lex generalis de hac rè fuerit edita per Ecclesiam. Potiùs ergò censendum esse videtur, eandem fuisse paulatìm introductam, modò hìc, modò ibi, donèc totum suum cursum implevit. Dudùm tamèn ante Gelasii I. PP. tempora exordium sumpserat, qui Pontificatum inivit anno Christi 492. & mediatè præcessit Symmachum: jubet enim Gelasius, *ut quascumque munificentias* (quæ sunt idem, ac prædia, in beneficium collata) *Clericis de rebus Ecclesiæ præcedentes dederint Sacerdotes* (idest Episcopi), *subsequentes Pontifices nullatenùs auferre præsumant* (*f*). Sed & præcedentia adhùc tempora rei similis dant memoriam, nempè sub regimine Sixti Papæ III. qui sedere in D. Petri Cathedram inchoavit anno Christi 434. In Concilio nempè Romano, per eum celebrato, in causâ Polychronii Episcopi Hierosolymitani Pontifex cum Patribus coassidentibus judicium ferens super eo, quod *ad decem libras auri Ecclesias consecrabat, damnaverunt eum extrà Civitatem, & dederunt ei, vel constituerunt prædia tria Ecclesiæ; ità tamèn, ut locus ejus intactus servaretur in gremio Urbis Hierusalem. Et dum cessissent ei usufructuaria prædia, subscripserunt omnes Episcopi &c.* (*g*). Quid sunt hæc usufructuaria prædia, nisi totidem bona Ecclesię Hierosolymitanæ, Polychronio in beneficium collata?

(f) *Cap. illud 2. caus. 16. qu. 6.*
(g) *Concil. Roman. sub Sixto III. cap. 9. ap. Binium tom. 2 Conc. f. 681.*

3. Porrò decretum Symmachi Papæ, à Baronio enunciatum, intèr cœtera hæc

hæc habet: *possessiones Ecclesiæ sub quocumque titulo, vel argumento, alienari non patimur, nisi fortè aut Clericis, bonorum meritorum, aut monasteriis, religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit &c.* (a). Prædia ergò Ecclesiarum ad perfruendum, sive in beneficium, dari posse decrevit Pontifex, Clericis, Monasteriis, & Peregrinis. Certè Monasteria hùc, vel illùc erecta, & Monachi in eis vitam degentes, qui, ut alibi notavimus, sunt totidem beneficiarii (b): Peregrini quoquè perfunctoriè advenientes, & alicubi temporalitèr tantummodò commorantes, non inserviebant Ecclesiæ, de cujus proventibus beneficium ecclesiasticum percipiebant, & neque Clericos omnes prædiorum ipsorum participes, ibidem personalitèr ministrasse, vel saltèm debuisse necessariò personalitèr ministrare, ullum documentum habemus: ideòque si vis verborum decreti illius Pontificii attendatur, assignatio bonorum inibi approbata, non tantùm beneficiis residentialibus, quantùm etiam merè simplicibus est communis: & sic admisso etiam, quod beneficia non nisi tempore Symmachi Papæ initium sumpserint; satis tamen liquet, quod tùnc non tantùm beneficia residentialia, verùm etiam beneficia merè simplicia suum exordium habuerunt.

(a) *Symmach. epist. ad Cæsar. Arel. cap. 1. cap. possessiones 61. caus. 16. qu. 1.*

(b) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1. l. 3. c. 13. n. 1.*

4. Circà eadem tempora, nempè anno Christi 505. convocatum est Concilium Agathense, cui præfuit S. Cæsarius Arelatensis (c), & in eo hujusmodi est edita constitutio: *Etsi superfluum sit de rè notâ, & antiquis Canonibus prohibitâ aliquid iteratò definire, attamèn &c. statuimus, ut Civitatenses, sive Diœcesani Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi teneant, vendere autem, aut donare penitùs non præsumant* (d). Ecclesiæ igitur bona in beneficium concedebantur Clericis tanto tempore ante initium sæculi sexti, ut illâ ætate concessio beneficiorum esset res antiqua, & de quâ antiqui canones notissimas ediderant sanctiones: quarè Concilium Agathense supponit, quod jàm per aliqua sæcula beneficiorum introductio præcessisset: sicque referenda videtur saltem ad tertium circitèr sæculum. Rursùs beneficia ipsa concedebantur, non minus Presbyteris ruri commorantibus, quàm degentibus in Urbe: nec minus Clericis, quàm Presbyteris. Memorat quoquè Concilium prætèr Parochias, etiam Oratoria ruralia, ubi poterant missæ sacrificia celebrari (e). Mentionem demùm facit beneficiorum sub alio nomine *remunerationis Ecclesiæ* (f), quæ si singula singulis congruè referantur; non obscurè indicabunt, Synodum loqui non tantùm de beneficiis residentialibus, quàm etiam de beneficiis merè simplicibus, qualia sunt Oratoria campestria, & prædia sacra, ad fruendum Clericis inferiorum ordinum attributa.

(c) *Card. Baron. an. 506. n. 2.*

(d) *Concil. Agathens. can. 22.*

(e) *Idem Concil. Agath. c. 25.*

(f) *Ibidem canon. 59.*

5. Anno Christi 511. coaluit Concilium Aurelianense I. in quo disponitur de Basilicis, *quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidiè construuntur &c. ut in ejus Episcopi, in cujus territorio sitæ sunt, potestate consistant* (g), per quas non nisi Oratoria, Sacella, & Capellæ intelliguntur, à privatis viris erectæ ad eorum commodum, vel ex peculiari devotione, quæ cùm preventivè ambigeretur, an essent sub potestate Episcopi Diœcesani; patet fuisse beneficia merè simplicia, quæ Constructores, & Fundatores censebant posse ex sè prò suo nutu quibuslibet impertiri. Nàm si fuissent Ædes, sive Beneficia parochialia, nullus dubitandi locus fuisset, quod eorum dispositio ad Episcopum Diœcesanum pertinuisset. Paritèr Concilium Epaonense, habitum anno 517. beneficia ecclesiastica memorat, eaque vocat *munificentiam Ecclesiæ* (h). Quo paritèr nomine illa nuncupat Concilium Aurelianense III. in annum Christi decidens 540. memoratque parochias, atque Basilicas, tàm in pagis, quàm in Civitatibus existentes, propriis honestatas substantiis (i). Concilium quoquè Arvernense anni 541. verba facit de Presbyteris, & Diaconibus, qui erant in Civitate, & in Parochiis, Canonici, nempè intitulati, beneficia in titulum ibi habentes: & de aliis, qui in Villis Oratoriis deserviebant (l), & his postremi, uti à prioribus Contradistincti, non nisi beneficiarii merè simplices fuisse videntur.

(g) *Conc. Aurelian. I. cap. 17.*

(h) *Concil. Epaonense c. 7. & 14.*

(i) *Concil. Aurel. III. cap. 5. & 17.*

(l) *Concil. Arvernense ann. 541. c. 17.*

6. Con

6. Concilium Aurelianense III. habitum est anno Christi 540. in quo sic Patres decreverunt: *Si quis Sacerdos res Ecclesię debitas, vel proprias* (idest ipsius Ecclesiæ) *orrendâ cupiditate occupaverit, retinuerit, aut à Potestate* (idest Principe, vel Potente viro) *ex competitione perceperit &c. Si agnito jure ecclesiastico non statim Ecclesię, vel Sacerdoti reformaverit &c. tamdiù à communione ecclesiasticâ suspendatur, quamdiù restitutis rebus, tàm Ecclesiam, quàm Sacerdotem reddat indemnem* (a). En beneficia ecclesiastica, quæ noluit Concilium à Magnatibus peti, vel proprio arbitratu à Sacerdotibus occupari, sed peti, & implorari ab Episcopis. Paulò suprà idem Concilium memoraverat beneficia, sub titulo *munificentię Sacerdotum* (b). Paritèr anno sequenti Concilium Aurelianense IV. celebratum est, quod de beneficiis ecclesiasticis mentionem facit, sub nomine *Agelli Ecclesię* (c). Concilium quoque Lugdunense anni 570. dè iisdem loquitur, sub nomine *Munificentię Ecclesiasticę* (d). Concilii demùm Turonensis habiti anno ipso 570. celebris est dispositio, definiens, ut consuleretur indemnitati rerum Ecclesiæ, Episcopi, Abbatum, Monasteriorum, & Presbyterorum: jubensque, ut contrà earum direptores invocentur maledictiones in Psalmo 118. contrà Judam prophetalitèr pronunciatæ (e). Ex quibus enitescit, quod per idem sæculum Christi sextum, beneficia, & divisio prædiorum in particulares Ecclesias, & beneficiarios erat, & perrexit ampliùs dilatari, invalescere, ac solidari, atquè tùm beneficiariis residentialibus, tùm aliis merè simplicibus prædia ipsa ad perfruendum concedi.

(a) *Conc. Aurel III. ann. 540. c. 22.*

(b) *Concil Aurel. III. cap. 17.*

(c) *Concil. Aurel. IV. cap. 33.*

(d) *Concil. Lugdunens. ann. 570 c. 5.*

(e) *Conc Turon. an. 570. c. 24. & 25.*

7. Cathedram Pontificalem conscendit S. Gregorius Magnus anno Christi 590. qui intèr cœtera Ecclesiam S. Mariæ Campisonis, in diœcesi Importuni Episcopi sitam, contulit Dominico Presbytero, monuitque Importunum ipsum, ut *ei emolumenta ejusdem Ecclesię faceret sine cunctatione præstari* (f). Ecclesiam hanc beneficialem fuisse patet, sed non nisi in beneficium merè simplex concedi consuevisse censemus; quippè si curam Animarum, vel aliud opus personale, junctum habuisset, vix est credibile, quod S. Gregorius, in tantâ distantiâ positus, viro, quem fortè nesciebat, an esset illi loco, & muneri aptus contulisset: præsertìm cum Presbyterum illum non illùc dirigat ad aliquod opus spirituale personalitèr exercendum, sed solùm ad percipienda emolumenta, quibus vitam posset ducere competentèr.

(f) *S. Gregorius l. 2. epist. 10.*

8. Sed clariùs adhùc beneficia merè simplicia ex D. Gregorii Magni epistolis enitescunt. Aurelius quidam Gallus Pontifici supplicavit, ut aliquod ei beneficium conferret, ex iis, quæ in Galliâ ad Sedem Apostolicam pertinebant: scripsit ergò Gregorius Candido Presbytero Rectori Patrimonii Pontificii per Gallias constituti, ut Aurelii votis satisfaceret: *Lator præsentium filius noster Aurelius presbyter, à Galliarum partibus veniens, petiit, ut sicubi in possessionibus B. Petri Apostolorum Principis Oratorium, aut locus, qui Presbytero, vel Abbate indiget, inveniri potuerit, ei debeat committi: quatenùs & ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, & nos inveniamur petitionibus illius paruisse &c.* (g). Hæc beneficia Abbatialia, vel Presbyteralia, fuisse beneficia merè simplicia insinuat Thomassinus, dicens: *Mandavit ergò Pontifex Candido, ut cum sè daret occasio, Aurelio conferret ejusmodi aliquod simplex beneficium; in quo haberet ille & paupertatis levamentum, aliquod suæ, & Pontificiæ largitatis beneficium* (h). Vides hic & Ecclesias minores propriis ditatas proventibus, & latifundia beneficiariis dispertita, & beneficia merè simplicia non obscuris characteribus indicata.

(g) *Idem S. Gregor. lib 9. epist. 65.*

(h) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. part. 1. l. 2. c. 93. n. 12.*

9. In Concilio V. Parisiensi, ad quod Antistites convenerunt anno Christi 615. de beneficiis ecclesiasticis verba fiunt sub nomine *Titulorum*, interdiciturque, nè *deficiente Abbate, vel Presbytero, vel his, qui per Titulos deserviunt*, eorum ædes diripiantur (i). In Concilio Toletano VI. celebrato sub anno Christi 638. de iisdem paritèr beneficiis mentio fit sub denominatione *Stipendii*, & *Precarię*: ait etenim: *Decernimus, ut si quis Clericorum stipendium de rebus Ecclesię cujusquam* Epi-

(i) *Concil. Parisiens. V. cap. 8.*

Episcopi percipit largitate, sub precarię nomine, debeat professionem scribere, nè per retentionem diuturnam prajuditium afferat Ecclesię &c. (a). Hic evidentèr fit sermo, non de erogationibus manualibus, sed de prædiis. Ejusdem verbi *precarię* memoria in pluribus Conciliis habetur, ut in Concilio Carthaginensi, Bellovacensi, Mediomatricis (b), & alibi quoquè (c), licèt alicubi significationem diversam præseferat ab ecclesiasticis beneficiis. Unum est ergò, quod ex hisce documentis constat per ea tempora valdè invaluisse divisionem bonorum, ex quibus beneficia sacra coaluerunt, tàm residentialia, quàm merè simplicia.

(a) Concil. Tolet. VI. cap. 5.

(b) Cap. præcarię 4. & 5. cap. de precariis 6. 10. qu. 2. cap præcariæ 44. cauf. 12. qu. 2.

(c) Conc. Agathens. cap. 59. Conc. Epaon. cap. 18. Conc. Aurel. I. cap. 23. Conc. Meldens. cap. 22. Conc. Remens. cap. 36 37.

10. Anno Christi 666. convenerunt Episcopi ad Concilium Emeritense, ubi actum est intèr cœtera de Clericis, quod simul esse possent Canonici Cathedralium, & Ecclesias per diœcesim retinere, deputato in eis idoneo substituto. En Canon: *Si priorum Canonum sententia hunc rectè tenet ordinem, ut Episcopus ab alio Episcopo, si indigentiam habuerit, Clericum ad ordinandum petat, & accipiat; cur qui in diœcesi suâ habet eos, quos prò Dei officio, & suo juvamine, dignos repererit, ad suam principalem Ecclesiam non perducat, & habeat? Prò hujus rei causâ, hoc elegit unanimitas nostra, ut omnes Episcopos Provincię nostrę, si voluerint de Parochianis presbyteris, atquè Diaconibus Cathedralem sibi in principali Ecclesiâ facere, maneat per omnia licentia. Hi tamèn, qui fuerint traducti humilitatem dignam Episcopo suo teneant, & eo honore, & reverentiâ habeantur, & veneren‍tur in Cathedrali Ecclesiâ, sicuti quos constat fuisse ordinatos in eâ. Et quamvis ab Episcopo suo, stipendii causâ, per bonam obedientiam, aliquid accipiant; ab Ecclesiis tamen, in quibus priùs consecrati sunt, vel à rebus earum, extranei non maneant; sed Pontificali electione, Presbyteri ipsius ordinatione, Presbyter alius instituatur, qui sanctum officium peragat, & discretione prioris Presbyteri victum, & vestitum, rationabilitèr illi ministret, ut non egeat &c.* (d).

(d) Concil. Emeritens. cap. 12.

11. Habemus hìc Presbyteros, & Diaconos, per Diœceses beneficiis parochialibus, vel diaconalibus insignitos, & simul ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium assumptos, talitèr ut Canonicatus præfatos retinendo, Ecclesias etiam illas Diœcesanas non dimitterent, sed eas in titulum retinerent, deputato idoneo Presbytero, vel Diacono, qui eorum loco sacra munera obirent. Canonicatus autèm ipsi citrà dubium erant beneficia residentialia, quippè Canonici illi dimissis Ecclesiis Diœcesanis ad ministrandum in Cathedrali se transtulerant. Ecclesię verò illæ Diœcesanæ, quę ab iisdem fuerant dimissæ, vel erant, ex sui naturâ, beneficia merè simplicia, opus personale non exigentia, vel si ex sui naturâ erant beneficia Parochialia, & Curata, sive alio titulo residentialia; versa fuerant in merè simplicia, auctoritate Synodi decernentis, ut assignatâ competenti mercede Presbytero, aut Diacono inibi ministranti; cuncti proventus Ecclesię ad Canonicum pervenirent, qui erat ipsius Ecclesię, sive beneficii, titularis, & quodammodò commendatarius. Adeòque ex Concilii Emeritensis decreto evidentissimè comprobatur bonorum ecclesiasticorum divisio in beneficia nedùm residentialia, sed etiàm merè simplicia.

12. Ulteriora documenta de hujusmodi rè non conferimus, quippè post hæc tempora facile est reperire divisa bona ecclesiastica, in Beneficia, & Beneficiarios, atque Prębendarios: & beneficia ipsa residentialia à merè simplicibus distincta: Satque sit ostendisse distinctionem hanc emicuisse sub ipsis initiis, in quibus beneficia ecclesiastica prodiere; ut pateat, eandem distinctionem non esse novam, vel recentiùs adinventam, sed antiquam, antiquissimam, & suâ ipsâ vetustate honorabilem, ut non sine administratione audiri possit, quomodò Contradictores audeant affirmare, novam esse, ac recentem in Ecclesiâ Dei denominationem beneficiorum simplicium, sive merè simplicium, ac eorum distinctionem à beneficiis residentialibus, quandò ex relatis constat eadem illo prorsùs tempore illuxisse, quo primum apparuerunt, & omnibus nota facta sunt, cœtera beneficia.

13. Supputando ergò totam rationem institutionis beneficiorum, tùm residentialium

tialium, tùm merè simplicium, hoc evidentèr infertur, quod ab initio bona per fideles Ecclesiis collata (quibus nùnc beneficia ipsa succedunt) non servabantur, sed integralitèr distrahebantur, & pretium eorum in usus ecclesiasticos erogabatur, nempè in pauperibus orphanis, invalidis, & personis miserabilibus subveniendis, In peregrinis hospitio consovendis, in redimendis captivis, in adjuvandis illis, qui erant ad metalla damnati, in liberandis aliis, qui reperiebantur carceribus mancipati: in fabricis Ecclesiarum reparandis, vel ornandis: in vasis demùm, paramentis, & luminaribus comparandis, pro cultu Dei, & sacrificiis honorificè peragendis, & in aliis sacris usibus, prout Antistiti Diœcesano videbatur meliùs expedire: præcipuè autèm in Clericis majorum, & minorum ordinum sustentandis, quibus portionem congruam pro alimentis conferri voluit Ecclesia, ut de altari viverent, qui altari deserviebant, vel illi actualitèr in loco peculiari famulando, vel ejusdem famulatui se addicendo per ordinum susceptionem, & per officii recitationem quocumque in loco, pro suo arbitrio expletam.

14. Successivè introductum est prædia, & latifundia servare, solosque illorum fructus, & proventus, in alimoniam Clericorum impendere, atque aliis sacris usibus prout suprà, arbitrio, & juxtà prudentiam Antistitis, applicare. Ità beneficia ecclesiastica, seu eorum schemata, & imagines, antiquis illis temporibus, in solis sportulis, distributionibus, & erogationibus manualibus consistebant, quę si quolibet mense consueverant Clericis, aliisve illarum participibus, dispensari, *divisiones mensurnæ* dicebantur (*a*): si verò dietim porrigebantur, vocabantur *propensa diurna* (*b*): Et hęc alicubi singulis Clericis seorsim viventibus exhibebantur: alicubi cunctis insimul, & in commune viventibus, juxtà laudabilem morem, de quo Possidius in vitâ S. Augustini (*c*), Honoratus Massiliensis in vitâ S. Hilarii Arelatensis (*d*), & plura Concilia, atquè præsertìm Aquisgranense (*e*), Aurelianense II. (*f*), Turonense III. (*g*), & alia, quæ loquuntur de Clericis sæcularibus, communem vitam sub Antistitis directione ducentibus, non ex obligatione, ut suprà innuimus, sed ex propriâ devotione, & studio perfectionis: nisi ubi fortè lex aliqua, & ratio peculiaris aliud exposceret.

(a) *S. Cyprian. lib. 1. ep. 5. alias 34.*
(b) *Dudo Decan. S. Quintini de moribus Norman l. 2. apud Duchesne Hist. Norman. fol. 153.*
(c) *Possid. Vit. S. Augusti. c. 52.*
(d) *Honorius Massil. c. 7 & 10.*
(e) *Conc. Aquisgran. sub Ludov. Pio. c. 121. 122. 134.*
(f) *Conc. Aurelian. II. cap. 9.*
(g) *Conc. Turonens. III. cap. 23.*

15. Postmodùm paulatìm incœptum est non ampliùs fructus bonorum, tamquàm sportulas, in partes congruas distribuere, sed ipsa prædia, & fundos in usus ecclesiasticos dispertiri: talitèr ut alios Xenodochiis, Hospitalibus, Orphanotrophiis, aliisque locis piis addicerent, pro infirmis, peregrinis, orphanis, & pauperibus sublevandis. Alios fabricis, & Ecclesiis applicarent, pro paramentis, luminaribus, ornatibus, & restaurationibus earundem Ecclesiarum; Alios demùm adscriberent quibuslibet separatim Ecclesiis, majoribus, vel minoribus, Capellis, Oratoriis, Sacellis, Martyriis, vel quocumque alio nomine nuncuparentur: Nàm quocumque nomine nuncupentur beneficia, parum refert (*h*), pro sacris ministris alendis, adeòque in titulum Episcopalem, Parochialem, Canonicalem, aut alitèr Beneficialem, Clericis conferendos: hac distinctione servatâ, ut si prædia in titulum Clerico perfruenda concederentur, essent beneficia: si verò fructus prædiorum eis manualitèr erogarentur, essent præbendæ.

(h) Barbos. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 30.

16. Quæ nomina Beneficii, & Præbendæ, tametsi promiscuè aliquandò sumantur, in rei tamen veritate intèr se sunt valdè distincta, nec unum venit appellatione alterius (*i*). Nàm *Beneficium* est illud, quod in titulum est erectum ab ecclesiasticâ potestate; & in titulum datur Clericis propter officium divinum, & respectivè propter alias sacras functiones: itàut ratione præfati tituli Clericus beneficio insignitus, jus habeat strictum, & rigorosum ad percipiendos illius fructus. *Prębenda* verò est erogatio manualis, portionem aliquam fructuum ecclesiasticorum continens, ab Ecclesię Præside, de sui naturâ liberalitèr distributam, sive Clerico, sive Laico, vel ob servitium Ecclesiæ præstitum, vel ob paupertatem, vel ob aliam honestam causam (*l*): dicta præbenda à prębendo, & uti talis nullum Jus de sui naturâ in recipiente supponens, sed prorsus pendens à liberalitate præbentis: nisi aliud

(i) *Felyn. in c. postulasti nu. 4. de rescript. Barbos. tract. var. appel. 33 n. 11.*

(l) *Toletus Instr. Sacer. l. 5. c. 77. n. 2.*

aliud ratio beneficii, cujus sit consecutrix exposcat, prout sunt erogationes illæ manuales, sive distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis, habentibus alioquin prędia propria in beneficium Canonicale: quæ erogationes, sive prębendę dicuntur, quid à Canonicatu distinctum (*a*).

17. Et ità prębenda, quatenùs refertur ad Clericos Ecclesiæ deservientes, habet aliquam similitudinem, & analogiam magis propriam cum antiquis sportulis, & cum illis etiàm emolumentis, quę nùnc quoque sunt in usu, & dicuntur distributiones quotidianæ, appellatione beneficii non contentę, quę percipi solent à Clericis officio aliquo personalitèr defungentibus, differuntque, ut innuimus, à beneficiis (*b*), quamquàm aliquatenùs cum istis conveniant, eo quod debentur de jure Clericis, ad quos spectant ratione beneficiorum, vel tamquàm ipsorum beneficiorum portio, sive appendix; vel tamquàm totum id, in quo beneficia ipsa consistunt. Alicubi enim beneficia Choralia consistunt in distributionibus majoribus, quę dicuntur usualitèr Massa grossa, & non habent alia peculiaria prędia, sive fundos proprios, quales sunt Canonicatus Basilicarum Urbis (*c*). Alicubi, & ut plurimum, habent sua prædia particularia, & insupèr parvam Massam redituum, qui de die in diem distribuuntur personalitèr interessentibus Choro (*d*).

18. Hæc autèm differentia inter beneficia, & præbendas, non est nova in Ecclesiâ Dei, sed antiquissima, & nongentis saltèm circitèr ab hinc annis omnibus nota. Nàm in Capitularibus Caroli Magni fit utriusque mentio, sub his terminis: *Canonici, Clerici, qui in Civitatibus, vel in Monasteriis degunt, qui beneficia habent, undè victum, & vestitum habere possunt, ut his juxtà Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, undè pauperiores vitam sustinent, nequaquàm absumant. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, idest beneficio, & præbendâ, atque si gradibus fruitur ecclesiasticis, his privetur* (*e*). Distinguuntur igitur hic Beneficia à Præbendis; Clerici Canonici, à non Canonicis: Et ex his, alii gradibus ecclesiasticis fruebantur, alii non: aliqui demùm Beneficia, alii Præbendas, alii neutrum habebant, quales erant illi, qui ad alios, quàm ad beneficiales titulos ordinati erant, de quibus in Concilio Chalcedonensi (*f*): Sicque non erat idem antiquitùs Clericatu, & beneficio insigniri, ut aliqui perperàm comminiscuntur.

19. Usquè à remotioribus ergò sæculis incœperunt prædia ecclesiastica singulis Capellis, Oratoriis, Ecclesiis, Martyriis, locisque piis assignari: necnon Clericis ad usufructuandum concedi, undè beneficia, tùm residentialia, tùm merè simplicia profluxere, hæcque divisio, quæ, ut innuimus, nec ubilibet, nec eodem tempore, initium sumpsit, postquàm introduci incœpit, successivè posteà tamquàm utilis, & proficua, atquè ad pacem in Ecclesiâ servandam valdè opportuna, paulatìm ubique invaluit, & est latiùs dilatata, donec tandèm hæc ipsa prædiorum ecclesiasticorum discissio, appropriatio, & distinctio, generalis ubilibet facta est, seù integrum suum habuit complementum (*g*). Adeò ut jàm ex tùnc quælibet Ecclesia, locus pius, & beneficium bona sua propria, & peculiaria possideat, cum alterius prædiis impermixta; propriamque agnoscat dotem, ab alterius dote prorsùs alienam.

20. Cui prædiorum assignationi, Clericis in titulum tradendorum, nomen beneficii appositum est, sumptâ metaphorâ à sæculari militiâ (*h*), in quâ olim, ex indulgentiâ Principis, quædam prædia, & possessiones militibus de Republicâ benemerentibus, tradebantur, ad tempus, vel ad vitam usufructuariè possidenda, de quibus in Jure (*i*). Prout & nùnc fit à Magnis Magistris Ordinum militarium, qui Equitibus suarum Religionum, strenuis, & in armorum exercitio probatis, Commendas militares conferunt, ut earum fructibus, donec vixerint, perfruantur. Id alicubi quoquè fieri contingit apud aliquos magnos Principes, spè talis retributionis allicientes hominęs ad virtutem: *nihil* enim *non aggressuri sunt homines, si magna conatibus, magna præmia proponantur* (*l*). Et ità apud Turcas Magnus Sultanus habet

(a) *Card. de Luca de Pensionib. discurs. 76.*

(b) *Gemin. conf. 85. n. 20 Barbos. tract. var. appel. 32. n. 9.*

(c) *De Luca de canon. disc. 32. n 6. & 7. & ad Conc. disc. 15 nu. 8. 9. & 10.*

(d) *Barbos. loco cit. num. 4.*

(e) *Capit. Carol. M. l. 2. c. 76.*

(f) *Conc. Chalced. c. 6. c. neminem, & ibi Glos. dist. 70.*

(g) *Thomass. vet. & nov. Eccl. disc p. 1. lib. 2. c. 68. n. 1. & p. 3. lib. 2. c. 23. n. 1. & 3.*

(h) *Azor. p. 2. l. 3. c. 1 quæst. 1. Reginald. l. 19. sect 2 n. 73.*

(i) *In Codic. lib. 11. tit. 59.*

(l) *Titus Livius dec. 1 lib. 4.*

habet Timarros, quos strenuis, & benemeritis de se militibus impertitur. Itàque beneficii ecclesiastici nomen, metaphorice, uti diximus, à beneficiis militaribus est desumptum (*a*), quâ de rè audiatur opportunè Ludovicus Thomassinus loquens, ut sequitur.

21. *Beneficia*, inquit, dicuntur *eo sensu*, quo ea vox usurpatur apud *historiæ Augustæ Scriptores. Agri erant, & prędia, quibus ab Imperatore duces, militesque donabantur, ut suo deinceps sumptu stipendia facerent. Ubi agros, & fundos Ecclesiæ laici usurparunt, eosque illis Princeps, & Ecclesia ipsa fruendos concessit, eâdem conditione merendi, & stipendia faciendi ad Regni, & Ecclesiæ tuitionem, ea dici tùm cœpere beneficia. Postquàm deniquè ab Imperatoribus, & Regibus illi ipsi agri Ecclesiarum, laicis adempti, Clericis, Monachisque restitui cœpere, inhæsit bis usque ea vox beneficii, quæ & deinceps latiùs patere cœpit, omnes prorsùs titulos, & dignitates, sive Regularium, sive Sæcularium Ecclesiarum complexa. Eo nimirùm sensu capienda vox ea in Concilio Francfordiensi, quo jubentur beneficiarii omnes officio fungi in reparationibus Ecclesiarum, in decimis, & nonis exsolvendis: Qui debitores sunt ex beneficiis, & rebus Ecclesiarum* (*b*): *Et infrà: qui beneficia exindè habens*. Hùcusque Auctor (*c*). Benè autem, & congruè à beneficiis militaribus translatum est nomen ad beneficia ecclesiastica; quippè etiam Clerici sunt Christi milites, quemadmodùm eos vocat Gelasius Papa I. (*d*), & post eum Synodus Aquisgranensis (*e*), militant etenim ipsi quoque, ut Deum colant, fidem, honoremque illius promoveant, ac tueantur, iratum orationibus placent, propitium laudibus prosequantur, animas quoquè fidelium, illi nomen dantium, & eorum corpora respectivè protegant, ac defendant.

(a) *Azor. & Reginal. loc. cit. Filliuc. to 2. tr. de benef. c. 2 qu. 1. n. 1.*

(b) *Conc. Francford. an. 794. c. 25 & 26.*

(c) *Thomass. vet. & nov Eccl. disc. p. 2. l. 3. c. 13 n 5.*

(d) *Gelas. Pap in cap. Christianis 12. caus. 11 qu. 1.*

(e) *Conc. Aquisgr. l. cap. 116.*

22. Absquè eo quod quidquam referat, an militent uti Beneficiarii residentiales, Curati, Chorales, Prælati locorum &c. vel uti beneficiarii merè simplices, nullo servitii localis, & simul personalis debito adstricti; sicuti nihil refert ad promerenda beneficia militaria, bello nomen dedisse, vel in officio ducis, vel in munere directoris, aut tamquàm signifer, aut veluti decurio, seu in esse viri simplicissimi militaris, aut quod quis manu, aut consilio, sive in patriâ, sive foris, sive alio quocumque modo militiæ nomen dederit, vel Reipublicæ utilitati suam sedulitatem impenderit. Ubicumque igitùr, & utcumque in ecclesiastico ordine militent Clerici, *quià Deo servientibus beneficium negare non convenit* (*f*), beneficia ecclesiastica eos decet adipisci, quibus munerati discant, in militiâ Clericali fortiùs decertare: & aliis etiam exemplum strenuitatis exhibeant, *hæc enim causa*, ut ait Concilium Emeritense, *& majoribus majorem præstat gratiam, & minores excitat, ut ad melius tendant* (*g*).

(f) *Gelas. Pap. loco citat.*

(g) *Concil. Emerit. cap. 13.*



DE



DE QUALITATIBUS BENEFICIORUM SIMPLICIUM; EORUMQUE DIVISIONE:

Et dè differentiâ, quam habent à Beneficiis Residentialibus.

CAPUT V.

In quo consideratur quænam sint Qualitates de essentiâ, & quęnam de solâ honestate Beneficiorum merè Simplicium? Et an hęc Beneficia sint necessariò Clericis magìs dignis conferenda.

SUMMARIUM.

1 *Eædem Qualitates sunt de essentiâ beneficiorum merè simplicium, quæ sunt dè essentiâ residensialium. Prima est, quod sint perpetua.*

2 *Perpetua debent esse beneficia sæcularia. Regularia verò de sui naturâ sunt ammovibilia, qualia sunt etiàm commendæ Melitenses.*

3 *Tametsi beneficia de sui naturâ debeant esse perpetua, tamèn ex speciali jure aliqua possunt esse non perpetua.*

4 *Beneficia debent esse auctoritate Episcopi erecta, alloquin sunt legata pia. Capellaniæ non collativæ non sunt beneficia.*

5 *De naturâ etiàm cujuslibet beneficii est, ut habeat aliquid spiritualitatis adnexum, & saltèm onus recitandi officium.*

6 *Debent quoquè beneficia à solo viro ecclesiastico conferri. Laicus enim de se est incapax talis juris sine privilegio Apostòlico.*

7 *De substantiâ beneficiorum est, quod Collator non ea sibimet valeat impertiri: debet enim esse distinctus dans à recipiente.*

 8 *De-*

8 *Debent beneficia merè ſimplicia ſolis Clericis concedi. Ex Papæ diſpenſatione etiam laici; imò & fœminæ ſunt eorum capaces.*

9 *Alias qualitates adiicere poteſt beneficio illius fundator, dummodò licitas, & honeſtas, etiàm ſi juri communi contrariæ ſint.*

10 *Liberum de ſui naturâ præſumitur beneficium, & in dubio reputatur eſſe merè ſimplicia, nec aliud onus habet, quàm recitationis officii.*

11 *Beneficiario ſimplici, ſi appoſita ſit obligatio celebrandi tot miſſas, adhùc eſt liber ab onere perſonali, niſi fundator alitèr declaraverit.*

12 *Alia conditio de honeſtate eſt, quod Beneficiarius merè ſimplex non debeat habere ætatem Sacerdotii, cum ad illa ſufficiant 14. anni.*

13 *Beneficiarii merè ſimplices non tenentur ordines ſuſcipere nec majores, nequè minores, ſufficit in eis enim prima tonſura.*

14 *Debere beneficia etiam merè ſimplicia Clericis dignis concedi, Canones clamant. Tamèn ſi ſecùs fiat, non eſt invalida collatio.*

15 *De honeſtate eſt quod ſingula ſingulis præbeantur. Etiàm quandò ſportulis in uſu erant, non omnes Clerici de illis participabant.*

16 *Prętèr titulum beneficii, Concilium Chalcedonenſe alios titulos aſſignavit, ad quos poſſet aliquis ordinari, & præſertìm titulum patrimonii.*

17 *Prędia, & fructus beneficiorum exemptione gaudent ab oneribus fiſcalibus: nec obeſt diſtinctio beneficii, & prædiorum ab illorum fructibus.*

18 *Reditus beneficiorum debent in pios uſus impendi: de quibus beneficiarius habeat nedùm arcta, ſed etiàm congrua alimenta.*

19 *Prętèr ea, quæ congruo ſuo victui, & ſtipendio reſpondent, cætera in uſus pios inſumat, & de altari vivat, non de eo ſuperbiat.*

20 *Beneficia primariò inſtituta ſunt in utilitatem Eccleſiæ, conferenda digno ex juſtitiâ commutativâ: digniori verò ex juſtitiâ diſtributivâ.*

21 *Dignioritas reſpectu ad beneficia non deſumitur à majori ſanctitate, vel doctrinâ, ſed à majori aptitudine ad regendum beneficium.*

22 *Quatuor conditiones ponderandæ ſunt in judicio de dignioritate faciendo, & quænam illæ ſint. Et quis eas habens ſit dignior.*

23 *In ſcrutinio ſuper dictis qualitatibus attendenda eſt ratio Eccleſiæ generalis, & ſufficit ut Collator mediocrem adhibeat diligentiam.*

24 *Beneficia curata conferenda ſunt dignioribus: Nulla verò eſt lex, quæ ad id obliget Collatores beneficiorum merè ſimplicium.*

25 *Bona data prò fundando beneficio evadunt bona eccleſiaſtica, & illis legibus ſubſunt, quibus cætera bona Eccleſiæ ſubjecta ſunt.*

26 *Cenſent aliqui, quod patronus beneficii etiam Curati, non teneatur præſentare magis dignum, ſed ſufficiat, quod præſentet dignum.*

27 *Si Collatores beneficiorum curatorum non tenentur præferre digno digniorem, multò minus tenebuntur ad id Collatores beneficiorum merè ſimplicium.*

28 *Ad beneficia animarum curâ carentia, ut ſunt Canonicatus, Manſionariæ &c. Conſtans opinio eſt, quod ſatis ſit eligere dignum, omiſſo digniore.*

29 *Si licitum eſt Canonicatus, Manſionarias &c. conferre digno, omiſſo digniore: multò magis id erit licitum de beneficiis merè ſimplicibus.*

30 *Itàque Collatores beneficiorum merè ſimplicium illa poſſunt liberè Clericis, etiàm non dignioribus, dignis tamèn conferre.*

1. LURIMÆ sunt Qualitates, tàm de essentiâ, quàm de honestate, quæ requiruntur ad constitutionem Beneficiorum merè simplicium, & sunt eædem, quæ requiruntur ad constituenda Beneficia residentialia; quippè ex dignitate, & ex debito servitii personalis, inhærente beneficio, non mutatur ejus natura, sed solummodò adiicitur prærogativa, & onus (*a*). Adeòque tàm est beneficium Ecclesiasticum, beneficium merè simplex, quàm quodcumque aliud beneficium residentiale. Quæ autèm qualitates requirantur ad hoc, ut beneficium Ecclesiasticum dicatur tale, videre est apud Doctores (*b*). Nos hic strictìm earum magis præcipuas adnotabimus. Et in primis de essentiâ beneficiorum merè simplicium, est quod sint perpetua, nempè in perpetuum, quoàd vitam recipientis concessa (*c*). Cum etenim beneficium merè simplex detur, vel proptèr solum Officium, qnod in Laudibus Divinis consistit (*d*), vel proptèr aliquod aliud munus, ei aliquandò adjectum, quod æquè possit à Beneficiario, vel per se ipsum, vel per alium adimpleri, hoc autèm onus, & respectivè officium, debeant à Beneficiario totâ durante illius vitâ compleri; sequitur, quod etiam beneficia merè simplicia debeant esse perpetua, saltèm ad vitam ipsius Beneficiarii.

(a) *Barbos tract var. Appell. 32 num. 1. cum aliis.*

(b) *Alois. Ric. prax. aur. res. 358. Gonzal. ad reg. 8. Canc. glos 5 à n 6 Barbos de Off Epis. alleg. 57. n. 141 & 10. cit.*

(c) *Cap. Sanctorum 2. dist. 70.*

(d) *Barbos Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4 n. 14.*

2. Sed quidquid sit de hac ratione; quià beneficia, tametsi aliquam analogiam, & remotam relationem habeant ad præstationes jure Divino debitas Sacerdotibus, & Levitis, tamèn rè verâ inducta sunt à solo Jure positivo (*e*), ideò dicimus, Beneficia merè simplicia necessariò debere esse perpetua, quià sic Jura Ecclesiastica statuerunt. Et præter alios recentiores textus (*f*), Gelasius Papa I. decrevit, *ut quascumque munificentias Clericis, aùt sibi servientibus de rebus Ecclesiæ in usum &c. præcedentes dederint Sacerdotes, subsequentes Pontifices nullatenùs auferre præsumant* (*g*). Concilium quoquè Aurelianense III. mandavit, *de munificentiis Sacerdotum id observandum, ut si quid præsenti tempore à Clericis, de decedentium munificentiis habetur, vel possidetur; deinceps à successoribus nullatenùs auferatur* (*h*). Hæc tamèn perpetuitas intelligenda est de Beneficiis Ecclesiasticis Sæcularibus, quæ Sæcularium Clericorum sunt usibus deputata, non verò de Regularibus, quæ solis Monachis, vel Religiosis, in Claustro commorantibus, conferuntur: hujusmodi etenim Beneficia Regularia, non sunt perpetua, neque ad suscipientis vitam porriguntur; sed manualia sunt, & ad tempus traduntur, ac semper, & quandocumque possunt ad Superioris arbitrium ammoveri (*i*). Sunt tamèn veracitèr beneficia, quià si non actu; saltèm aptitudine, sunt perpetua (*l*). Ipsæ Commendæ inclyti Ordinis militaris Hierosolymitani, quæ beneficia Regularia sunt, amovibilitatis legibus non se substrahunt (*m*): Nihil attento, quod strenuissimi ejusdem Equites ipsasmet consequantur Commendas proptèr meritum exercitæ generoso modo virtutis, vitæque periculis multiformitèr expositæ, ac magnanimæ fortitudinis pluries, atquè pluries ostensæ; dùm in præliis maritimis, atquè terrestribus, actionibusque in bellicis, sibi ab Ordine designatis, gladio potentèr accincti, atquè Cruce candidâ nobilitèr insigniti, inimicos Crucis Christi in brachio forti prosternunt. Non enim pro terreno, sed pro cœlesti premio, & viros Deo dicatos decet (*n*), præliantur prælia Domini: pro cujus honore *vivunt in communi, jucundâ, & sobriâ conversatione, absquè uxoribus, & absquè liberis. Intùs fide, fortis ferro se muniunt: procedunt ad bella pacifici: & ubi ventum fuerit ad certamen, irruunt in adversarios: hostes velut oves reputant: nequaquàm, etsi paucissimi, vel sævam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Quod frequentissimè experti sunt, itaùt plerumquè quasi persecutus sit unus mille, & duo fugaverint decem millia* (*o*). Ipsorum, inquam, Commendæ manuales sunt, etsi ammovibilitas ipsa, nec sinè causâ, nec vix unquàm ad effectum redigi dignoscatur (*p*).

(e) *Selv de Benef p. 1 q. 4. Azor. p 2. l. 9 c. 1. q. 1. Barbos. Jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n 7.*

(f) *Cap. Dilecto vers. præbenda de præbend. cap. ex parte de concess. præb. cap. postulast. de rescript.*

(g) *Cap. illud 8. caus. 16 qu 6.*

(h) *Concil. Aurelian. III. c. 17.*

(i) *Garcia de benef. p. 1. c. 2. n. 66. Mandos. ad reg Canc. q 10. n 5. Vivian. de Jurepatron. p. 1. l. 1. c. 1. n. 65.*

(l) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3 c. 4. n. 70.*

(m) *Card de Luc. de Regular. disc. 4. n. 7.*

(n) *S. Thomas citat. sup. 10. 3. c. 16. n. 25.*

(o) *S Bernard. to 1. serm. ad Milites Templi cap. 4.*

(p) *Card. de Luca de Jurisd disc. 2. n. 12.*

3. Beneficia itaquè sæcularia debent esse perpetua (*q*): Sed nihilominùs nihil re-

(q) *Vivian. ubi supr. Barbos. loc. cit. num. 12. Azorius part. 2. lib. 3. c. 1. q. 2.*

repugnat, quin fpeciali jure, vel ex privilegio, vel aliâ fimili de causâ, aliqua beneficia poffint effe non perpetua (*a*), quià cum beneficia fint de jure pofitivo, alterationem, & modificationem omnem juftam, & rationabilem fufcipere poffunt, quam illis inferre valet Ecclefiaftica poteftas, jura fanciens, & pro locorum, perfonarum, ac temporum opportunitate jura relaxans. Quarè ait Auguftinus Barbofà: *Eft advertendum quod licèt perpetuitas de jure fit de effentiâ beneficii &c. non tamèn repugnat, ut fpeciali jure, & privilegio aliqua beneficia poffint non effe perpetua* (*b*). Citatque plures Doctores, & Rotam Romanam in Gerunden. Perfonatus 17. Maii 1630. coràm Verofp. Nèc defunt fentientes, quod cuncta beneficia etiàm fæcularia, five merè fimplicia, five refidentialia, refpectu Papæ fint manualia, itaùt poffit fempèr, & quandocùmque illamet provifis aufferre: cujus opinionis quanta fit vis, agunt magis ex propofito Canoniftæ (*c*).

4. Ad fubftantiam quoquè beneficiorum merè fimplicium pertinet fecundò, quod fint auctoritate Epifcopi conftituta (*d*). Nàm quæcumque bona, per Chriftifideles Ecclefię contributa funt, etiam in æternum poffidenda, in piam largitionem, five in legatum pium refolvuntur (*e*), nec induunt rationem Ecclefiaftici beneficii, five refidentialis, five merè fimplicis, nifi auctoritas Epifcopalis accedat, quę eadem bona in beneficium erigat, & beneficiali titulo afficiat (*f*): Quâ de rè latiùs Doctores (*g*). Adeòque bona, ad beneficium erigendum deftinata, non funt beneficium, nifi de facto in beneficium ab Ordinario actualitèr erigantur (*h*), ficùt & Capellanię amovibiles, vel etiàm perpetuę, tametfi obligatione Miffarum, vel aliorum piorum operum oneratę, non collativę, nec in beneficium erectę; beneficium non funt, fed funt aliquid pium opus beneficio diftinctum (*i*). Hanc effe conclufionem certam afferit Cardinalis de Luca dicens, quod *Capellania*, quę *formalem erectionem in beneficium cum Ordinarii, vel alterius fuperioris auctoritate non habet, regulanda non eft cum terminis fpiritualibus, feù beneficialibus, fed cum profanis, tamquàm fimplex legatum celebrationis Miffarum, quod hæredi injunctum fit faciendi per quemcumque Presbyterum ejus libito eligendum, juxtà magiftralem decifionem in Melfiten. Legati Pii coràm Dunozet.* (*l*).

5. Tertiò: de naturâ, & effentiâ beneficiorum merè fimplicium eft, quod habeant aliquid fpiritualitatis adnexum (*m*). Nàm beneficium Ecclefiafticum eft quid fpirituale, ergò habere debet aliquid fpiritualitatis adnexum, aliàs non erit beneficium Ecclefiafticum, fed Laicale. Ideòque fi beneficium merè fimplex nihil aliud habeat fpiritualitatis, hoc faltèm habere debet, quod Beneficiarius ad recitandas horas canonicas teneatur: In quo fenfu communitèr dicitur, quod beneficium datur proptèr Officium (*n*), nempè proptèr horas canonicas perfolvendas (*o*). Jàm enim generali lege cunctis beneficia ecclefiaftica poffidentibus, tametfi merè fimplicia, injunctum eft onus recitandi quotidiè horas canonicas juxtà ritum ab Ecclefiâ ftatutum, indifpenfabilitèr, (nifi aliqua gravis causa infirmitatis, vel impoffibilitatis excufet) fub pœnâ lethalis culpę, ac obligationis reftituendi fructus ipfius beneficii, omiffionis vicibus refpondentes: quâ de rè Morales Theologi magis ex propofito, atquè fufiùs eloquuntur.

6. Quartò, ad naturam beneficii merè fimplicis, ut & aliorum beneficiorum refidentialium, fpectat, quod non poffint conferri, nifi à viro Ecclefiaftico (*p*). Laicus etenim eft incapax poteftatis conferendi rem fpiritualem, five jus ad eam: Tria fiquidèm confiderentur in beneficio, primùm eft obligatio in eo exiftens, quę eft quid fpirituale: Secundùm eft jus percipiendi reditus ex bonis Ecclefiafticis, & hoc etiàm eft quid fpirituale: Tertium eft five funt ipfi fructus, qui temporales quodammodò dici poffunt (*q*). Quià autèm fpirituale non valet legitimè à Laico dimanare, qui nihil fpiritualitatis in fe habet, hinc fit, quod de effentiâ beneficiorum, etiàm merè fimplicium, eft, quod non valeant ab ullâ poteftate laicali, fed à folo ecclefiaftico Superiore conferri. Ex hac radice fluxerunt fune-

(a) *Cap. fi gratiosè de refcrip in 6. Garcia de benef. p. 1. c. 2. n. 57.*

(b) *Barbof. loc. citat. n. 12.*

(c) *Fagnan. in cap. confultationib de Cler. ægrot. n. 29. & 76. l. 3.*

(d) *Lotter. de re benef. l. 2. q. 5. n. 40. Cavaler. dec. 649. n. 8. Barbof. loc. cit. n. 15.*

(e) *Lotter. l. 1. qu. 5. n. 56. Barbof. loc. citat. n. 17.*

(f) *Cap. ad hæc de relig. domib. cap. 10. & 15. de jurepatr. e quæftium 1. q. 3.*

(g) *Garcias de benef. par. 1. c. 2. Lotter. de re benef. l. 1. qu 3. Engel. Colleg. Jur. Can. p. 2. l. 3. tit. 25. n 3. Vivian. p. 1. l. 1. c. 1 n. 61.*

(h) *Pelyn. conf. 45. n. 3. Barbof. tract. var. Appel. 32. n. 13.*

(i) *Lotter. de re benef. l. 1 q. 5. n. 60. Barbof. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4 n. 29.*

(l) *De Luca de Jurep. dif. 15. n. 4.*

(m) *Barbof. loc. cit. n. 27.*

(n) *Cap fin. de refer. in 6. Abb. confil. 47. n. 1. Ricc. par. 4. Collect. 1042. Barbof. loc. cit.*

(o) *Garc. de benef. p. 1. c. 2. n. 60. & p. 7. c. 11. n. 3. Gonz. ad reg. 8. Canc. glof 5. n. 8. Barbof. loc. cit. n. 14.*

(p) *Cap fi quis deinceps, cap per Laicos 16 q. 7. Abb. conf. 47. Barbof. loc. cit. n. 25.*

(q) *Barbof. jur Eccl. univ. l. 3. 4 n. 10.*

nestæ illæ concertationes, pluriès memoratæ, quæ intèr Bonifacium Papam VIII. & Philippum IV. cognomine Pulchrum Regem Galliæ acciderunt, insistente Papâ adversus Regem, beneficia ecclesiastica conferentem: *omnia jura clamant, collationem beneficiorum non posse cadere in Laicum; ità quod habeat jus, & potestatem spiritualem conferendi* (a). Ex privilegio tamèn Apostolico Laicis permissum esse potest beneficia sacra, præsertim merè simplicia, conferre (b), quippè hi tùnc nihil spiritualitatis impertiunt, sed est Ecclesiasticus Superior, qui eorundem Laicorum ope, beneficia ipsa confert (c). Et ità de quibusdam Regibus legitur in historiis, quod præditi fuerint potestate conferendi ecclesiastica beneficia (d). Imò & fœminas ex consimili privilegio posse beneficia conferre tenent Doctores (e), beneficia enim conferre non est actus ordinis, sed jurisdictionis, cujus tàm Laici, quàm Fœminæ ex Privilegio Apostolico sunt capaces. Quo casu Reges ipsi Laici, aùt Fœminæ præbendas illas, & beneficia conferendo, sunt organum voluntatis Pontificis (f), adeò ut collatio non tantùm ipsis, quantùm Papæ, privilegium impartienti, congruè referatur.

7. Quintò, de substantiâ beneficiorum merè simplicium est, quod illorum dispensator non ea possit sibimetipsi conferre (g). Quippè cum collatio sit actus rem intrà receptus, sed extrà immissus, necessariò requirit terminum extraneum, in quem feratur: ergò collatio beneficiorum à nullo potest fieri sibi ipsi, quià nemo à semetipso est extraneus. Ideòque sapientissimè jura sanxerunt, neminem posse beneficia sibimetipsi conferre, debereque esse distinctionem personalem intèr dantem, & recipientem (h). Opus est enim ut intèr se differunt dans, & accipiens, *sicùt eligens, & electus: instituens, & institutus: vendens, & emens: locans, & conducens: imperans, & subditus: restituens, & restitutus* (i). Itàut nec etiàm procurator possit præsentare ad beneficium Patronum, qui illum constituit procuratorem ad præsentandum semetipsum (l). Nèc solùm alteri debet collator beneficia largiri, sed etiàm liberè tenetur sinè ullâ conditione, & sinè aliquâ diminutione conferre (m).

8. Sextò, natura beneficiorum merè simplicium hoc exposcit, quod solis Clericis, non verò Laicis conferantur (n). Laici enim ex naturâ suâ sunt incapaces beneficiorum, & tales eos usquè ab anno Christi 650. Cabilonensis Synodus pronunciavit (o). Notaque est eruditis declamatio S. Fulberti Episcopi Carnotensis, quâ de hujusmodi rè Fulconem Parisiensem Episcopum objurgavit: *Doleo super tè charissimè, eum tè à pristinâ virtute apostatare video. Olìm apud mè conquereberis de tuo Antecessore; qui sacrilegâ temeritate Altaria Laicis in beneficium dederat; nùnc mihi suades, ut ego similitèr faciem. O Cœlum! O Terra! quid clamem? aùt quo tuis meritis digno modo tè objurgare possim? sed compesco nùnc frementes animi mei motus, donèc te præsentialitèr exquisitis increpationum tormentis excruciem. Vale* (p). Olim Laicos consuevisse obtinere ecclesiastica beneficia non semèl legitur in historiis (q); sed facto magis, quàm jure, & invasione potiùs, quàm legitimâ acquisitione. Accedente nihilominùs Apostolicâ dispensatione, gravibus, & urgentibus de causis concessa, posse etiàm Laicis beneficia conferri, sentiunt sine ambiguitate Doctores (r). Imò non solùm Laicos, sed etiàm Fœminas esse possent sùb pari dispensatione capaces beneficiorum, currit etenim utrobiquè par ratio, vel saltèm in essentialibus non difformis (s). Et ità reperiuntur alicubi in jure memoratæ Canonicissæ, tùm regulares, tùm sæculares (t). Atquè in literis Hadriani Papæ II. legitur injunctum Lothario Regi, ut vel Theutbergam Reginam, à se repudiatam, ad regalem thalamum revocaret, vel ei Abbatias, quas spoponderat ad vitam sustentandam contraderet: *habeat*, inquit, *in potestate suâ Abbatias, quas ei dare ipso ore proprio promisisti, de quarum sumptibus, atque reditibus necessaria possit habere stipendia, dignaque subsidia* (u). In tali tamèn casu committerentur quidem beneficia Laicis, aut Fœminis, sed eis non conferrentur in titulum: jus nempè haberent ad percipiendos fructus benefi-

cii,

(a) *Spondan. ad ann.* 1302.

(b) *Decius in cap. decernimus de judiciis n. 54 Seraph. dec.* 1383

(c) *Mart. de Jurisd. p 2. c. 40. n. 3. & cap. 46 n. 12 & 13.*

(d) *Alex IV. vol. cons. 74. in 3 col. German. de Indult. Card. §. in quibuscumq; n. 5.*

(e) Beliss. *disquis. Cler. par. 1. de discipl. Cler. § 8. n. 17. Vivian. de Jurepatr par. 2. l 6. c. 3 n. 11.*

(f) *De Luca de benef disc. 9 n 12.*

(g) *Gonzal ad reg 8. Canc glos. 5. n. 14 Barbos. jur. Eccl univ. l. 3. c. 4. n. 29.*

(h) Cap. *fin. de Institution.*

(i) Barbos *in cap. cùm ad nostram n. 2. de instit. & ibi DD.*

(l) *Bellet. disquis. Cler. de bonis Cleric. § 11. n. 23 24.*

(m) *Cap. ex parte l. 1. de Off. de leg. c. 2. de elect. in 6. Barbos. loc. cit. n. 28.*

(n) *Cap. cum adeo, & ibi glos. verb. nec Clericis de rescript. c. ex literis de transact c. 2. de instit. Barbos l. c. n. 26. Vivian. p. 1. l. 1. c. 1. n. 63.*

(o) *Concil. Cabilon. an. 650. c. 5.*

(p) *Fulbert. Carn. ep 42.*

(q) *Thomassin. vet. & nov Eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 12. & 16 & p. 3. l 2. c 16. 17 & 19.*

(r) *Camil Borel summa decis. tom. 1. tit. 20. c. 89 cum aliis ab eo allegat.*

(s) *Vid. Vivian. de Jurepatr p 2. lib. 6. c. 3. n 6. & 8.*

(t) *Cap dilect de major. & obed Clementin. attendentes §. illa de stat. Monach Gonzal. ad reg 8 Cancell. glos. 22. n. 16 & 17.*

(u) *Hadrian. PP. II. epist 6.*

cij, non verò jus ad exercendas functiones spirituales ipsi beneficio adnexas (*a*).

9. Hæ sunt potissimæ qualitates, quæ spectant ad essentiam Beneficiorum merè simplicium. Aliæ tamen adhùc in limine fundationis adiici possunt, tamquàm substantiales, quià unusquisque bona sua tradere valet Ecclesiæ, in beneficium erigenda, illis conditionibus, quæ sunt illi magis acceptæ, dummodò licitis, & honestis (*b*). Spectatque ad Superiorem Ecclesiasticum examinare ipsas conditiones in actu erectionis beneficii, licitas admittere, incongruas verò refutare, cum alioquin etiàm si essent conditiones contrà jus, conclusio est certa apud Jurisconsultos, quod *in limine fundationis de explicito, vel implicito Ordinarii consensu, patronus adiicere potest leges, & conditiones etiàm juri contrarias* (*c*). Proùt etiàm ejusdem Ordinarii est, dùm erigit beneficium, attentâ consideratione perpendere sufficientiam dotis illi assignatę, convenientiam loci, cui affigitur, & quidquid aliud pertinere debebit ad futurum illius regimen (*d*).

10. Prętèr qualitates verò, & conditiones, quę sunt de substantiâ beneficiorum merè simplicium, de quibus hùcusque dictum est, alię quoquè sunt, quę ad solam eorum pertinent honestatem: harumque una in primis est, quod ex sui naturâ sint libera, & libera esse pręsumantur ab omni onere, nisi de contrario constet, ex fundatione, vel statuto, vel privilegio, vel alio legitimo documento: tùm quià omnia beneficia, ex sui naturâ pręsumuntur esse libera (*e*). Tùm quia si aliquibus beneficiis libertas inesse debet, maximè hoc beneficiis merè simplicibus competit, quę de se aliud onus, quàm recitationis Divini Officii non habent (*f*). Ideòque sicuti beneficia, in dubio, merè simplicia esse pręsumuntur (*g*), & beneficii nomine strictè loquendo, sola beneficia merè simplicia intelliguntur (*h*). Ità in dubio beneficia merè simplicia ab omni onere esse libera reputantur.

11. Et ideò si prętèr onus Officii Divini adjecta sit Beneficiario merè simplici, quod Missam celebret, tot vicibus per annum, vel per mensem, vel per hebdomadam (*i*), nisi expressè dicatur, quod Beneficiarius per se ipsum celebrare teneatur, in dubio liber est ab hoc onere personali (*l*), tùm quia potest ipsi oneri satisfacere per idoneum substitutum (*m*). Tùm quià si Fundator voluisset hoc onus personale Beneficiario injungere, illud expressisset, utpotè necessariò exprimendum, eò quod libertatem beneficii sacri coarctet. Tùm demùm, quia repugnat in terminis, quod beneficium sit merè simplex, & quod Beneficiarius ad personalia onera sit adstrictus; alterum etenim non est cum altero compatibile: & beneficium esse quidem poterit simplex, sed non merè simplex, si Beneficiarius sit personali aliquo gravamine oneratum, prętèr recitationem Divini Officii. Regula igitur est, inquit Cardinalis de Luca, quod beneficia *non sint Sacerdotalia, quamvis annexum habeant onus celebrationis Missarum, cum illi rectè satisfieri valeat per alium, juxtà allegationem Lopi 35. num. 3. & 4. communitèr receptam &c. & hanc tenet sine dubio Rota* (*n*).

12. Secunda qualitas beneficiorum merè simplicium est, quod non exigant in Beneficiario ætatem ad Sacerdotium requisitam, nisi de honestate, non verò de necessitate; nàm liberè conferri valent cuicumque Clerico in ætate quatuordecim annorum constituto (*o*), talitèr ut sufficiat quatuordecim annos esse incoeptos, tametsi non adhùc expletos (*p*). Ad differentiam aliorum beneficiorum, curam Animarum habentium, vel Choralium in Cathedrali, quæ requirunt ætatem ad illos ordines necessariam, quos ipsa beneficia deposcunt: vel saltèm talem, ut infrà annum ad eosdem ordines Beneficiarii valeant promoveri (*q*): Quidquid sit de Canonicatibus Collegiatæ, pro quibus etiàm sufficiunt quatuordecim anni, si nullum sacrum ordinem in Canonico exposcant (*r*). Isti etenim Canonicatus, tametsi non sint, habent tamen quamdam speciem beneficiorum merè simplicium (*s*). Imò si Fundator beneficii merè simplicis disponat, ut beneficii ipsius sit ca-

(a) *Vid Petr. Murgam de benef. q. 3. sect. 1. n. 516. Barbos. de Offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 75.*

(b) *Card. de Luc. de Jurisd. disc. 40. n. 9.*

(c) *Idem de Luca de Jurisd. disc. 41. n. 7.*

(d) *Lotter. de rè benef. l. 1. q. 39. n. 5. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 21.*

(e) *Verall. dec. 130. n. 2. p. 2. Mantic. decis. 358 n. 3 Barbos. jur Eccl univ. l. 3. c. 4. n. 42. Cardin de Luca de benef. disc. 73. n. 78.*

(f) *Garcia de benef. p. 1. c. 2. n. 60. & par. 7. c. 12. n. 1. Barbos. loc. cit n. 14.*

(g) *Ludovis. dec 185. num. 3. Barbos. loc. cit. n. 42. Card. de Luca ad Concil disc. 4. n. 12.*

(h) *Barbos. jur. Eccl. univ. lib. 3. cap. 4. n. 83.*

(i) *Garcia loc. citat. num. 87. Barbos. Sum. Apost. decis. loc. citat. n. 12. & 15.*

(l) *Garcia de benef. p. 7 c. 1 num. 87. & 93. Barbos. Sum. Apos. decis. Collect. 21. n. 13.*

(m) *Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 5. n. 72. 80. 81. 84. Pirasec. prax. epis. p. 2 c. 33. num. 33. Barbos. loc. cit. n. 11. 12.*

(n) *De Luca de benef. disc. 96. n. 4.*

(o) *Concil. Trid. sess. 23. c. 6.*

(p) *S. Congr Episc. & Regul. in Adrien. 22. Novembr. 1674 Barbos. Sum. Apost. decis. Collect 64 n. 1.*

(q) *Conc. Trid. sess. 24. c. 12. Barbos. de Canon. & Dign. c. 13. n. 9.*

(r) *Cap. super inordinato, & ibi gloss. verb. pueri de præb. Rebuff. prax benef. de dispens ætat. n. 2. Barbos. loc cit. n. 14.*

(s) *Navar. cons. 97. n. 9. Gratian. discept. for. 10. 4 c 591. num. 2. Barbos. loc. cit. n. 2.*

capax puer septem annorum, eidebet sinè controversiâ concedi, proptèr legem à fundatore præscriptam (a), quæ alioquin est consentanea juri communi, requirenti in suscepturo beneficium septennium (b). Ex quo fit, quod non laxior est nùnc Ecclesiæ disciplina in dispensatione beneficiorum, sed strictior, cum olim beneficia ipsa conferri possent agentibus, septimum ætatis annum; nùnc verò non nisi habentibus quartumdecimum valeant de jure concedi.

(a) *De Luca de Jurepat.disc.*20.n 3.

(b) *Idem de Luca de Fideic.disc.*8 n.16.

13. Tertia qualitas est, quod beneficia merè simplicia nullum ordinem Ecclesiasticum, nec majorem, nec minorem in Beneficiario deposcunt; sufficitque ut hic sit solâ Tonsurâ Clericali insignitus (c), nec tenetur nisi de honestate ipsos ordines adipisci. Nequè ad eos capiendos potest ab Episcopo, sivè ab aliâ auctoritate compelli, donèc beneficia remanent merè simplicia: Si verò justâ de causâ, vel principalitèr, vel per viam unionis, converterentur in beneficia residentialia, uti sunt Canonicatus Cathedralium, Dignitates &c. tùnc in Beneficio requirerent ordines ipsi beneficio, tamquàm residentiali assignatos, prout in cunctis beneficiis residentialibus accidit, ad quæ nulli dubium est Sacros Ordines requiri, & posse Beneficiarios ad eosdem Ordines adipiscendos impelli (d). Quarta qualitas est, ut beneficia merè simplicia nullam incompatibilitatem producant; itaùt non nisi de honestate sit, quod unus unum retineat. Et ideò Beneficiarius merè simplex potest vnà cum suo beneficio merè simplici etiàm aliud beneficium Curatum, Chorale, vel quocumque alio nomine residentiale adipisci; imò etiàm Episcopatum titularem: cum hoc etenim beneficium merè simplex non est incompatibile (e). Multò magis alia beneficia merè simplicia consequi potest, & quidem duo de assensu Episcopi (f), ac etiam tria, & ultrà ex dispensatione Apostolicâ, servatâ semper æquitatis ratione, habitoque respectu ad benemerentiam suscipientis, & ad valorem beneficiorum, congruæ Beneficiarii sustentationi correspondentem.

(c) *Gratian. loc cit.* n.3.*Lotter.de re benef.* l.3 q.5.n.1.*Barbos.loc. cit* n.2.& *de off.Episc. alleg.*60.n.71.

(d) *Concil.Trid sess.*23. c.4 & *ibi Barbos.*

(e) S.*Cong Conc. in Bracaren.* 22. *Octobr.* 1640. *Barbos. Summ. Apost.decis.Collect* 61 n.31.

(f) *Barbos.loc.citat.* n.9.*ad* 15.

14. Quinta qualitas beneficiorum merè simplicium, ad eorum honestatem pertinens, est ut ipsa non quibuscumque, nequè indistinctè cunctis Clericis conferantur, sed solùm doctis, & morigeratis, ac de Ecclesiâ benemerentibus, seù, ut ait Symmachus Papa in epistolâ ad S. Cæsarium Arelatensem, dentur *Clericis honorum meritis* (g). Quâ in rè adeò insistentes sunt Sacri Canones, ut hoc in eis reperiatur sæpè sæpiùs inculcatum. Nàm Concilium Emeritense præcipit, ut beneficia, seù emolumenta Ecclesiastica, dentur iis Clericis, quos *Episcopus ad bonum profectum viderit crescere &c. & juxtà quod in officio præsicit eos esse intentos* (h). Alibi præcipiunt Leges Sacræ, ut *ea suâ Pontifex ordinatione distribuat, proùt cujusque locum, meritumque cognoscit* (i). Item alibi, *Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat* (l). Verùm hæc, ut innuimus, non strictam necessitatem, sed solam honestatem concernunt, nec ex contrario successu derogatur validitati collationis: sed solùm conscientia conferentis oneratur, qui providæ, vel improvidæ distributionis bonorum Ecclesiæ rationem Deo æterno, & justo Judici reddet.

(g) *Symmachus PP. ep.*5.

(h) *Concil. Emerit.* c.13.& 14.

(i) *Cap. Vulturanæ* 25.*caus.*12 q 2.

(l) *Cap.Concesso* 26. *caus.*12.q.2.

15. An verò beneficia merè simplicia, nedùm dignis, & benemerentibus Clericis sint conferenda, sed etiàm magis dignis; quæstio est apud aliquos valdè implexa, de quâ paulò infrà redibit sermo: patebitque hoc quoque non nisi ad honestatem pertinere: quæ est sexta qualitas in beneficiis merè simplicibus desiderata, nempè quod ipsa de congruo, & honestate, Clericis magis dignis conferantur; quidquid sit de aliis beneficiis ordinis superioris, quæ nedùm ex honestate, verùm etiàm ex justitiâ, Clericis magis dignis, & idoneis conferenda sunt, & præsertim curata. Prò septimâ qualitate habeatur, ad solam honestatem spectare, non verò ad necessitatem, quod beneficia merè simplicia conferantur Clericis non habentibus alia beneficia residentialia, ad hoc ut singuli Clerici, singula obtineant beneficia: Siquidèm nec etiam eo tempore, quo beneficia ipsa in manualibus erogationibus, sivè sportulis, consi-

ſtebant, hæ ſingulis Clericis debebantur, ſed illis tantum, quibus patrimonialia bona deerant, ad victum congruum neceſſaria (*a*). Ità namque tùm Canonico (*b*), tùm Civili jure verbis expreſſiſſimis definitur (*c*). Hocque præſertim, quod ſingulis Clericis ſingula beneficia non ſint neceſſariò conferenda, verum eſt uſque ab eo tempore, quo incœperunt ordinati Clerici, nedùm tot, quot ſunt Eccleſiæ neceſſarii, ſed etiàm alii, qui ex propriâ devotione Clericatum peroptant, & non niſi ad uberiorem Eccleſiæ utilitatem ad gradus Eccleſiaſticos admittuntur.

16. Quæ quidèm ratio fuit, ut prætèr titulum beneficii, ſivè ſtipendii Eccleſiaſtici, Sacri Canones alios quoquè titulos admiſerint, (& ſignantèr titulum proprii patrimonii), ad quos poſſint Clerici promoveri. Quatuor nàmque titulos deſignavit Magnum Concilium Chalcedonenſe, & ex eo totidem approbat Jus Canonicum, definiens, *neminem abſolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Eccleſiaſticâ ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſiâ Civitatis, ſivè poſſeſſionis, aùt Martyrio, aùt in Monaſterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum* (*d*). Ubi pro *Eccleſiâ*, Eccleſiæ, Cathedrales, & Collegiatæ, illarumque Beneficia, Parochiæ &c. ſatis evidentèr ſignificantur. Prò *Martyriis*, Eccleſiæ minores intelliguntur Oratoria, & Sacella &c. Martyrum reliquiis decorata (*e*). Prò *Monaſterio*, Menſa Conventualis Regularium, quæ hodiè dicitur *titulus paupertatis*, efficitque, vt Monachi pro totidem Beneficiariis habeantur (*f*). Tandèm pro *poſſeſſionis* connotatur *titulus Patrimonii*; quemadmodùm illum exponit vocem Gloſſa in *cap. neminem verb. ſivè poſſeſſionis diſt. 70.*

17. Octava qnalitas, cunctis beneficiis communis, eſt, ut eorum capitalia, prædia, fructus, & latifundia, immunitate potiantur ab oneribus, & functionibus laicalibus, quippè quam immunitatem uſquè ab antiquis Sæculis, à piis, ac juſtitiæ cultoribus, Principibus habuerunt (*g*), & Sacri Canones, ac plurima Concilia eorum ſanctionibus roborarunt (*h*). Qualitas, quæ non videtur de neceſſitate beneficiorum, ſed tantummodò de honeſtate; quatenùs etiam ſinè illâ poſſent beneficia ipſa ſubſiſtere: niſi ponamus, quod præfata immunitas ſit de Jure Divino, quemadmodùm ità eſſe tenent infiniti propè Theologi, & Canoniſtæ (*i*). Profectò cum bona Eccleſiæ ſint bona Chriſti, ad illius proprietatem immediatè ſpectantia (*l*), nulla hnmana poteſtas ea licitè fiſcalibus oneribus gravare valet, vel aliàs ea ſtatutis laicalibus implicare (*m*): multò minùs eiſdem capiendis, ſequeſtrandis, applicandis, miniſtrandis, ſe poteſt ſinè culpa miſcere (*n*). Abſquè eo quod in adverſum nihil prævaleat ſophiſtica illa diſtinctio prædiorum ab illorum fructibus; itaùt fundi ſint quid ſpirituale, fructus verò ſint quid temporale; quandoquidem fructus vel ſunt pars fundi, vel quid acceſſorium ad illum, & idcircò naturam induunt ſui totius, ſivè ſui principalis; & conſequentèr illius quoque immunitatibus, & prærogativis potiuntur (*o*): quidquid ſit, an lato modo, dici valeant quid temporale, quatenùs locari poſſunt, & diſtrahi (*p*). Scimus non deeſſe Politicis quibuſdam, à pietate decliuantibus, aliiſque parum in Clerum propenſis, rationes, & ratiunculas, oppoſitum ſuadentes, ſed eas noſtrum non eſt hìc aggredi confutandas: Lectorem proindè remittimus ad Canoniſtas, & Theologos de hâc rè tractantes.

18. Ad rationem paritèr Beneficiorum merè ſimplicium, non minùs ac reſidentialium pertinet, quod eorum fructus, in pios, & uſus congruos erogentur, quià fructus ipſi ſunt bona Dei, ut innuimus, vel reditus bonorum Dei, & à ſacris Canonibus appellati, *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *& patrimonia pauperum* (*q*): ideòque non niſi in piis, juſtis, & legitimis uſibus impendendi: Non quod ſolis, arctis, & neceſſariis alimentis debeat Beneficiarius eſſe contentus, juxtà parcam ſatis menſuram, quam D. Paulus Apoſtolus indica-

(a) *Bellett. diſquiſ. Cler. de bonis Cleric. §.1.n.7. Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. p.2. l.3 c.34 n.14 §. Nan. & fol. 663. n.2.*

(b) *Cap. Cleric. c. paſtor. c. ſi quis propter 2. q.2. cap dilectiſſimis c. ex bis c. præcipimus 32. q.1.*

(c) *Authent. dudum col.1. tit.3.*

(d) *Concil. Chalced. c. 6. cap. neminem 1. diſt.70.*

(e) *Gloſſ. in d. c. neminem V. Martyrio 1. diſt 70.*

(f) *Barboſ. jur. Ecc. univ. l.3. c.4. n 69 Tabur. de jur. Abbat. to.3 diſp.9. q 3. n.4.*

(g) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. p.3. l.1. à c.33 ad 45. Bellet. diſq. Cler. p.1. de exempt. Cler. & eor. bon. § 5. n.1. del Bene de Immun. c.5. per tot.*

(h) *Vid. Decretal. tot. tit. de Immun. Eccleſ. Conc Aurel. I. c.7. Concil. Tolet. IV. c.47. Concil. Maldenſ. c.61.*

(i) *Suarez defenſ. Eccl. Cathol. l 4. cap.9. Valent. to.4 diſp.9. q.5. p.4. Azor. to 1 l.5. c.12 Bonac. de contract. diſput.10 q.2. pun.1. §.1. n. 3. Alterius de Cenſur. tom.2. diſp.16. l.5. c.2. German. de Imm. l 3. c.15. Abb. in c. Ecc. de Conſt. n.6. Navar. in c. novit. not.6. carol.1. de judic. del Bene de Immun c.5. dub 8 n.4.*

(l) *Cap. nulli 3. 12. qu.2. Toſſat. in Paral. 36. q 36 Vivian de jurep p 1. l.1. c.1. nu.42. Navar. de redit. Eccl. q 1. monit.40. n.14.*

(m) *Bellet. diſq. Cleric p.1. de exem. Cler. à ſtatut. Sæcul §.1. n.4. del Bene de Immun. c.5*

(n) *Marta de juriſd. p.4. c.3. n.3. & c.18. n.27 & c.225 n.22.*

(o) *Cap acceſſorium de reg. jur. in 6. Bellet. p.1. de exemp. Cler. & eor. bonor. §.5. n.3.*

(p) *Mart de juriſd. p.4 c.46. n.20.*

(q) *Cap. quia juxtà 19 cauſ.16. q.1. c. non liceat 12. q.2.*

dicavit diceos: ***habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*** (*a*): quippè Apostolus non de præcepto ibi loquitur, sed de consilio: nec tantùm Clericos commonet, quantùm etiàm Laicos: & utrisque suadet, quod perfectum est, non regulam coostituit imprævaricabilitèr observandam. Beneficiarius ergò, atteotis statu, ætate, ac dignitate, io quibus reperitur; necoon consideratis loco, in quo degit; oneribus, quæ sustinet; dispendiis, quæ patitur; ac servitio tandem, quod Ecclesiæ infert; debet de rebus beneficii tantùm emolumenti pro suo usu percipere, quantùm nedùm suo congruo victui, & vestitui sufficiat, sed etiàm statui, labori, ac digoitati suæ congruâ ratione respondeat (*b*); ne sint deterioris conditionis Clerici, & Sacerdotes, beneficiis ecclesiasticis insigniti, & sæpè sacris dignitatibus decorati, quam sint milites, bajuli, ruricolæ, & servi, quibus pratèr alimenta, & vestitum convenientem, etiàm aliqua merces, mechanico eorum muneri correspondens, debetur cui plus, cui minus, pro ratione personæ, operis, loci, & ministerii, quod exercent.

19. Et ità pratèr ea, quæ ad victum, & vestitum, ac ad deceotem statui, atque labori suo, retributionem debentur, potest quandoque alicui amico moderata exhibere convivia, vel alia religiosæ recreationis officia (*c*), potest servitia sibi ab amicis, vel consanguineis præstita, congruâ aliquâ remuneratione prosequi (*d*): potest famulis, prò acceptis obsequiis, & fideli servitute, remuneratorias aliquas donationes elargiri (*e*): potest quidquid ex summâ suo condecenti statui respondente, vivendo parcè detraxit, prò suo libito dispensare (*f*). Alia tandèm potest, quæ judicio docti, & discreti viri licitè fieri posse cognoverit, & fieri posse communitèr reputatur. Itàque habeat Beneficiarius alimenta, victum, & vestitum, atque insuper aliquod aliud emolumentum de fructibus beneficii, quod labori suo, & dignitati respondeat, tamquàm stipendium sibi debitum, prò servitute, quâ famulatur Ecclesiæ, & de illis prò suâ voluntate disponat: cœtera, quæ supersunt, in pios usus impendat, sive pauperibus alendis, sive puellis indigentibus dotandis, sive Ecclesiis ornandis, sive Missis, & Sacrificiis celebraodis, sive aliis pietatis operibus exercendis: non verò illa in luxuriæ, aut gulæ irritamentis profundat; non superbiæ, avaritiæ, vindictæ, ludis, luxibus, aliisve vitiis deserviendo pessumdet; memor aurei illius proloquii D. Bernardi: *conceditur sibi, ut si benè deservieris, de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris, aut de altari superbias* (*g*). Sed ad alia transeamus.

20. An beneficia ecclesiastica merè simplicia sint necessariò conferenda Clericis nedùm dignis, sed etiàm magis dignis: hoc est de quo modo sermonem instituimus. Ad cujus claritatem, sciendum est, quod beneficia sacra in Religione Christianâ primariò, & principalitèr instituta sunt ad utilitatem Ecclesiæ, ut sint ***bona communia, distribuenda secundum dignitatem cujuscumque, in ordine ad gubernationem*** (*h*): adeoque ut sint suorum stipendia Ministrorum, ad hoc, ut Respublica Ecclesiastica idoneos habeat Ministros, qui ei congruè famulentur. Secundariò verò, & minus principalitèr instituta sunt, ut sint præmia, retributio, & merces Clericorum, qui de ipsâ Ecclesiasticâ Republicâ sunt, laboribus, doctrinâ, & probitate, benemerentes (*i*). Stipendia, inquam, & non remuneratio, nisi secundariò Clericorum; quippè hi remunerationem suam primariam expectare debent in Cœlis, & non expetere in terris (*l*). Hioc hujusmodi beneficiorum distributor primò attendere debet, ut in eorum dispensatione accedat utilitas Ecclesiæ, illum videlicèt eligendo, qui aptus sit exercere munera, ad quæ vi beneficii suscepti tenebitur, ad hocque præfatus distributor obligatur ex justitiâ commutativâ. Secundò attendere debet merita illorum, ex quibus eligitur is, qui est beneficio munerandus, ut præmium conferat illi, cui rè verâ debetur, nempè digniori, ad hocque obligatur ex justitiâ distributivâ (*m*).

(a) *1. ad Timotheum cap. 6. n. 8.*

(b) *Sanchez Consil. Moral. l. 2. c. 2. dub 41. num. 3. & 9.*

(c) *S. Thomas quodl. 6. art. 12. ad ult. Tostat. in Matt. 6. q. 74. Sanch. loc. cit.*

(d) *Navar. de redit. q. 1. n. 67. Silvest. Verb. Clericus 4. q. 3. Sanchez. loc. cit n. 4.*

(e) *Navar. ubi sup. num. 90. 91. Sanchez. loc. cit. n. 5.*

(f) *Vide S. Thomam 2. 2. q 185. art. 7. Navar. de redit. q. 1. n. 59. Covar. in c. cum in officiis de testam. n. 2. Sanchez. loc. cit. dub. 43. Dian. p. 4. tr. 4 res. 171.*

(g) *S. Bernardus epist. 2. ad Fulconem.*

(h) *Gabriel. Vasquez. Opusc. de benef. cap. 2. dub. 3. § 3. vers. Sed.*

(i) *Sanchez Cons. Moral. l. 2. c. 2. dub. 2. num. 2. de benef.*

(l) *Ex S. Thoma vid. supr. tom. 3. c. 26. n. 25.*

(m) *Aragon. 2. 2. q 62. art. 2. & q. 63. art. 2. Soto de just. & jur. l. 3. q. 6. art. 2. & l. 4. q 6. art. 3. Sanchez loc. cit n. 3.*

21. Dignioritas autem Beneficiarii est illa, quâ unus Clericus præponderat in meritis super alium, sive in qualitatibus, quæ reddant unum Clericum alio magis dignum in ordine ad tale beneficium, cujus tùnc individualitèr est facienda provisio; Hæcque dignioritas profectò non à majori sanctitate, vel doctrinâ, desumitur, sed à majori aptitudine, atque idoneitate ad regendum beneficium, de quo agitur, & ad ministerium illi adnexum aptiùs exercendum; Potest nàmque, & de facto sæpè contingit, ut qui minus est sanctus, vel qui minus est doctus, sit magis idoneus, & dignus beneficio vacante, quàm vir pietate, atque doctrinâ excellentior, quià hic sit minus aptus ad illius regimen beneficii, ex eo quod, vel ratione spiritualis officii, vel ratione bonorum temporalium, vel ratione loci, temporis, & personarum, rationabilitèr prævideatur aptiorem futurum esse ad illud beneficium, talem virum minus sanctum, & doctum, quàm sanctiorem, atque doctiorem (*a*).

22. Sanè quatuor conditiones attendendæ sunt in judicio de dignioritate formando, nempè *primò* habilitas, seu capacitas juridica, idest conditiones, quæ de jure in Beneficiario postulantur, quemadmodùm sunt ætas legitima, Clericatus, sexus virilitas, natalium puritas, exmptio ab omni vitio, & defectu corporis, & animæ, quod irregularitatem producat, & similia, de quibus Doctores (*b*). *Secundò* probitas, atque morum honestas, nimirùm quod eligendus ad beneficium, vir sit benè morigeratus, & inter probos, honestos, atque homines laudabiles computatus. *Tertiò* scientia, nempè quod beneficio munerandus competenti doctrinâ polleat, talique, ac tantâ, quæ sufficiat ad exercendum ministerium, quod vi beneficii tenetur. *Quartò* demùm prudentia, & industria in rebus agendis, videlicèt, quod ità providus, & idoneus sit in rebus humanis, ut de illo rationabilitèr valeat judicari, quod tàm quidquid est spirituale, quàm quidquid temporale in beneficio, laudabilitèr exercebit (*c*), *qui enim domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* inquit Apostolus (*d*). Hinc quò magis aliquis de hisce quatuor conditionibus participat, eò magis ad beneficia est idoneus, seu dignior: nec sufficit, quod in unâ earum tantum prævaleat, sed opus est, ut cunctas in se collectas contineat, ad hoc ut dignior sit cœteris reputandus. Ut bene proindè dignioritatem judicet, ac discernat, non debet largitor beneficii unam tantùm ex dictis conditionibus attendere, sed illas omnes insimùl ponderare in ordine ad finem præcipuum beneficii (*e*).

23. In quo paritèr scrutinio agendo, non tantùm attendæ sunt qualitates promovendorum ad beneficia, & ratio habenda est Ecclesiarum, in quibus hæc erecta sunt, quantùm etiam Ecclesiæ generalis, quippè cujus opportunitas, & servitium debet rebus aliis prævalere. Hincque fit, ut quamvis interdùm in aliquo petente beneficium sint qualitates omnes in illo desiderabiles, habitoque respectu, sive ad beneficium ipsum, sive ad Ecclesiam, in quâ illud erectum est, iste talis videatur esse dignissimus; tamen consideratâ opportunitate, & servitio Ecclesiæ generalis, cui alter alicubi famulatur; hic illo magis dignus, magisque idoneus reputatur; ideoque ad beneficium est præferendus. Ad hæc in perscrutandis qualitatibus, quæ digniorem, & magis idoneum reddunt Clericos ad beneficia, Collator beneficiorum, atque ad ea Nominator non omnem possibilem, & metaphisicè excogitabilem diligentiam adhibere tenetur, sed congruam, & providam, & mediocrem, ac talem, quæ moralitèr, judicio prudentis viri, sufficiens judicetur (*f*). Quo facto si aliquem eligat ad beneficium, quem digniorem putabat, & postmodùm comperit, eum magis dignum non esse; sicuti in electione non peccavit, sic & post electionem non debet hac de causâ sè anxiare (*g*).

24. Nulli autem dubium est, quod beneficia, curam animarum habentia, conferenda sunt magis idoneis, seu dignis, prætermissis iis, qui minùs sunt digni, & idonei

(a) *Vasquez Opusc. Mor. de benef. cap. 2. dub. 1, n. 49. §. 3.*

(b) *Vid. Murgam de benef. q. 3. art. 4. §. 11. sect. 1. cũ aliis sequent.*

(c) *S. Thom. & Cajet. in 2. 2. q. 62. art. 2. Soto de just. l. 3. q. 6. art. 2. Sanch. loc. cit. lib. 2. c. 1. dub. 3. n. 4. de benef.*

(d) *Ad Timotheum cap. 3. n. 5.*

(e) *Thomas, Sanch. loc. cit.*

(f) *Aragon. 2. 2. q. 63. art. 2. Cajetan. eod. loco. Navar. de rest. l. 2. c. 2. n. 174. Sanchez. Opusc. l. 2. c. 1. dub. 12. n. 2.*

(g) *Soto de just. & jur. l. 3. q. 6. art. 2. post 9 concl. ante 1. argum. Sanch. loco cit. n. 5.*

& idonei: sic etenim disertè in jure disponitur, tùm antiquiorum, tùm recentiorum Canonum Sanctione (*a*). Sed ratio idipsum evincens est, quod oppositum faciendo, incurritur vitium acceptionis personarum, quâ præfertur persona personæ propter causam indebitam, contrà justitiam distributivam, exposcentem res distribui secundum proportionem meritorum (*b*), hocque vitium inter mortalia crimina de suo genere computatur (*c*), nisi excessus in dignioritate sit exiguus, ac talis, qui prudentis viri judicio culpam notabilem non involvat (*d*). Sed quoàd beneficia merè simplicia, nulla obligatio est eadem dignioribus conferendi, nisi dè congruentiâ, & honestate, atque citrà peccatum, præsertìm mortale, quià nulla est lex id præscribens; nec ratio exigens dignioritatem in beneficiis curatis, ipsam quoque postulat in merè simplicibus: Tàm jura namque, quàm rationes, quæ in contrarium poterunt allegari, verificantur quidèm de beneficiis curatis, non verò de merè simplicibus. Præterea, ut ait Diana, beneficia merè simplicia non videntur ex naturâ rei esse bona communia, & decertantibus debita, & ità nullam committi injustitiam per acceptionem personarum, si dignioribus non conferantur: sed tota res commissa videtur Papæ, & aliis Prælatis, ut ipsi prò eorum arbitrio provideant bonos ministros, qui etsi non sint meliores, dummodò non sint otiosi, & tales, qui cum scandalo vivant, sed modestè, ac piè sè gerant (*e*).

25. Ulteriùs certum est, quod fundator beneficii, nedùm simplicis, sed etiam Curati, ad illud potest quemlibet Clericum præsentare, tametsi minus dignum, ommisso digniore (*f*). Ergò multò magis idipsum facere poterit etiam alius collator, sive distributor beneficiorum merè simplicium; uterque enim est dispensator rerum Ecclesiæ, ideòque debet par in utroqne ratio vigere. Quod si dicas id posse facere fundatorem beneficii, quià quilibet potest sua bona cuicumque eo modo, & ordine, quo placuerit, derelinquere (*g*), adeòque liberè valet dignum magis digno præferre, si talitèr fuerit sibi gratum, tamquàm de suâ propriâ rè pro suo arbitrio disponens; In oppositum est, quod hujusmodi ratio nihil operatur: quippè Fundator beneficii potest quidem non illud fundare: At postquam ipsum fundavit, bona in dotem illi assignata, fiunt bona ecclesiastica, & consequentèr iisdem subjecta legibus, quibus bona Ecclesiæ subiiciuntur (*h*), & ideò sequitur, quod beneficia merè simplicia, si essent dignioribus conferenda, id non minus à Fundatoribus, quàm à Collatoribus esset faciendum, & omninò esset in eis, ac in aliis, atque utrobiquè par ratio. Vel si Fundatoribus beneficiorum licitum est eadem, tametsi Curata, Clericis minus dignis, dignis tamen impertiri; multò magis erit licitum Collatoribus beneficiorum merè simplicium illa conferre Clericis minus dignis, dignioribus prætermissis: argnmentum etenim à majori ad minus, in materiâ potestatis, & in terminis coæqualibus, valet (*i*).

26. Sed quidquid sit de hoc, in terminis fortioribus, valdè probabilis est opinio, nedùm à Canonistis perpluribus asserta (*l*), sed etiam à multis Theologis (*m*), quod Patronus beneficii quantumvis Curati, ac tametsi non sit ejus fundator, liberè valeat minus dignum præsentare, ommisso digniore, quià Concilium Tridentinum præscribens formam in parochialium distributione observandam per concursum, si liberę sunt, adjecto onere, ut ad eas magis idoneus eligatur (*n*), sub hac lege non comprehendit parochias patronatus, sed ad eas dicit præsentatum à Patrono examinari debere, & si idoneus repertus fuerit approbari. Quibus verbis patet Concilium noluisse arctare Patronum ad præsentandum digniorem. Quod si verum est in Patrono respectu beneficiorum parochialium, fortiùs verum est in Collatore, respectu beneficiorum merè simplicium, recurrente argumento, de quo suprà, à majori ad minus, quod satis validum est (*o*). Imò quod nedùm Patroni, & Fundatores, sed etiam quod Collatores beneficiorum, tametsi curam animarum habentium, possint sine mortali pec-

(a) *Cap. Metropolitano dist. 63 c. licet ergo 8. q. 1. c. unic. tit. Ut benef. sin. dimin. & ibi Conc. Trid. sess. 24. c. 1. & 18.*

(b) *S. Thomas quodl. 6. art. 9. quodl. 8. art. 6. Vasquez Opusc. de benef. c. 2. § 3. dub. 1.*

(c) *S. Thom. 2. 2. q. 63 art. 1. & ibi Cajetan. Aragon. Salon. & alii.*

(d) *Sanchez Consil. Moral. l. 2. c. 7. dub. 2. n. 17. Dian. p. 1. tr. 15. res. 37 § 2.*

(e) *Dian. p. 1. tr. 15. res. 38. in fine.*

(f) *Vasq. Opusc. de Benef. c. 2. § 3. dub. 4. num. 69 & 73.*

(g) *Idem Vasquez loc. cit. n. 71.*

(h) *Sanchez Cons. Moral. l. 2. c. 1. dub. 5. num. 3.*

(i) *Alex. Cons. 189. n. 9 l. 5. Vers. tertio Barbos. tr. var. loco 67. n. 3.*

(l) *Lambert. de jurepatr. p. 1. l. 2. q. 10. art. 3. n. 17. Garcia de Benef. to. 2. p. 7. c. 16. n. 19. Bellet. disq. Cler. p. 2. § 4. n. 50. Diana in fin.*

(m) *Bannez 2. 2. q. 63. ar. 3. dub. 4. Petr. Navar. de rest. l. 2. c. 2. n. 150. Diana p. 1. tr. 15 res. 37.*

(n) *Conc. Trident. sess. 24. c. 18.*

(o) *Menoch cons. 210. n. 11. Barbos. tr. var. loc. 67. n. 3.*

peccato præferre minùs dignum, dignum tamèn magis digno, opinio eſt aliquorum, quam probabilem eſſe cenſet Filliuccius (*a*).

27. Paritèr hoc cenſetur eſſe probabile, quod qui conferunt beneficia, etiam curata, per liberam proviſionem, non teneantur eligere digniorem, prætermiſſo minùs digno, niſi ſit illi obvius, & in promptu: & ità in terminis docet Reginaldus dicens, *qui jus habent conferendi beneficia per proviſionem liberam, uti Papa, ac nonnunquàm Princeps, ex privilegio &c. non tenetur eligere digniores, niſi in promptu ſint, ſed ſufficit eligere dignos, alioquin ſemper tenerentur digniorem quærere, quod à Papâ, vel à Regibus exigere, durum eſt* (*b*). Si ergò Collatores beneficiorum, quantumvis animarum curâ præditorum, quando eadem, per viam liberæ proviſionis diſpenſant, poſſunt dignioribus minus dignos præferre, multò fortiùs poterunt beneficia merè ſimplicia Clericis minus dignis conferre, dignioribus prætermiſſis, ex ratione quam jàm tertiò, ſed hic diverſâ auctoritate firmatam, repetimus, quod valet argumentum à majori ad minus (*c*). Veruntamèn quemadmodùm hæc doctrina, ſi vera non eſt, non habet locum, niſi in illis beneficiis Curatis, quæ per liberam proviſionem diſpenſantur, non verò de illis, quæ per concurſum competitorum diſtribuuntur (*d*), ità quoque verificatur de ſolis illis beneficiis merè ſimplicibus, quæ per proviſionem liberam conferuntur; non verò de illis, ſi quæ ſunt beneficiis itidem merè ſimplicibus, quæ per viam concurſus, & oppoſitorum debent competentiam diſpenſari (*e*).

28. Prætereà conſtans Doctorum opinio eſt, quod in beneficiis, animarum curâ carentibus, dignior non ſit minus digno, ſub pœnâ lethalis criminis, præferendus. Quam ſub his terminis docet Sanchez: *In beneficiis ſimplicibus, uti Canonicatibus &c. perſonatibus, & dignitatibus, quę beneficia ſimplicia ſunt, tantum eſt veniale omittere digniorem, modò dignus eligatur, ratio eſt, quia in his non gravem jacturam patitur Eccleſia, ſi dignus eligatur, ommiſſo digniori* (*f*). Filliuccius judicat non eſſe peccatum mortale, ſi raró id fiat, ſed aliquantis tantummodò, & non ſine causâ (*g*). In quam paritèr ſententiam inclinant Leſſius, & Reginaldus (*h*), uti videre eſt apud illos. Nullum verò peccatum, nec etiam veniale committi à conferente præfata beneficia ſimplicia dignis, omiſſis dignioribus, docent alii paſſim Doctores, tùm Theologi (*i*), tùm Canoniſtæ (*l*). Hæcque opinio ſi vera non eſſet, omnes Prȩlati, inquit Guttierez, eſſent in statu damnationis, nam paſſim in beneficiis ſimplicibus eligunt dignos, dignioribus prætermiſſis, & ratio eſt, quià Concilium Tridentinum, dùm in diverſis capitibus ſola beneficia Epiſcopalia, & curata dignioribus eſſe conferenda decrevit, videtur conceſſiſſe, cœtera beneficia ad arbitrium Prælati diſtribui poſſe: ſiquidèm ex notiſſimis, exceptio firmat regulam in contrarium (*m*).

29. Adnotetur autem, quod iſti Doctores loquuntur de beneficiis ſimplicibus, non verò de merè ſimplicibus, in eo ſenſu de quo ſuprà (*n*). Aliqui enim dividunt beneficia in *duplicia*, & *ſimplicia*. Duplicia dicunt eſſe illa, quæ aliqua juris affecta ſunt qualitate (*o*). Ut ſunt primò beneficia *curata* habentia juriſdictionem in foro interno (*p*). Secundò *Dignitates* habentes juriſdictionem in foro externo (*q*). Tertiò *Officia*, carentia quidem juriſdictione, ſed habentia adminiſtrationem eccleſiaſticam (*r*). Et quartò *Perſonatus*, quibus etſi non ineſt juriſdictio, neque adminiſtratio, ineſt tamèn præeminentia inceſſus, & conſeſſus (*s*). Cœtera beneficia, ut ſunt Canonicatus, Manſionariæ, Portiones, Capellaniæ, aliæque Præbendæ chorales, vocant beneficia ſimplicia (*t*). De qua diviſione quidquid ſit, nihil ad nos, qui non loquimur de beneficiis ſimplicibus hoc modo, ut contradiſtinctis à beneficiis duplicibus; ſed loquimur de *merè ſimplicibus*, ut contradiſtinctis à reſidentialibus. Dicimuſque quod ſi doctrina prȩfatorum Auctorum locum habet in beneficiis duplicibus, & majoris qualitatis; multò magis erit vera, conſtans, & tuta reſpectu aliorum beneficiorum ordinis inferioris, quæ nedùm ſimplicia, ſed etiam merè ſimplicia ſunt, tùm ratione argu-

(a) *Filliuc. to. 3. tr. 41. c. 4. n. 181. Diana loc. cit. reſol. 40.*

(b) *Reginal tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 14. n. 197. Diana p. 1. tr. 15 reſ. 40. §. tamen.*

(c) *Card. Tuſc. pract. Concl. tom. 2. lit. A. Concluſ. 501. n. 8.* Barboſ. *tract. var. Loco 67. n. 4.*

(d) *Diana loc. cit. in fin. Filliuc. to. 2. tr. 41. cap. 4. n. 181.*

(e) *Sanchez Conſ. Moral lib. 2. c. 1. dub. 2. num. 23.*

(f) *Sanchez Conſ. Moral. l. 2. c. 1. dub. 2. num. 20.*

(g) *Filliuc to. 2. trac. 41. c. 5. n. 179.*

(h) *Leſſius de Juſt. l. 2. c. 34. dub. 34. n. 66.* Reginal. *to 2. lib. 30. tr. 3 c. 15. n. 179. in fin.*

(i) Navar. *de reſt. lib. 2 c. 2. nu 146. 147. 172. Ledeſm. in ſum. p. 2. tr. 7. c. 2. concl. 7. diffic. 15. Dian. p. 1. tr. 15. reſol. 38. §. 4.*

(l) *Garcia de Benef. to. 2 p. 7. c. 16. num. 16. Guttierez. Can. queſ. lib. 2. c. 11. n. 12.*

(m) *L. quæſitum §. deniq. de fid. inſtr. Barboſ. tract. var. Axiom. 85. n. 4.*

(n) *Vid. ſuprà in hoc tom. cap. 1. n. 5.*

(o) *Caſtropal. oper. moral. par. 1. tr. 13. diſp. un. pun. 2. num. 3. Petr. Murga de benef. qu. 2. dub. 12. art. 2. num. 320.*

(p) *Pax. Jordan. de rè benef. lib. 10. tit 8. num. 1. Stephan. Baunyus prax. benef. diſp. 1. qu. 3.*

(q) *Petrus Murga loc. cit. n. 321.*

(r) *Caſtropal. ubi ſuprà n. 3.*

(s) *Vivian. de jurep. atr. l. 2. c. 1. n. 90. Murga loc. quo ſupr. n. 323.*

(t) *Baunyus, & Caſtrop. loc. citat. Murga ibidem n. 324.*

argumenti à majori ad minus, quod suprà valere ostendimus. Tùm etiam, quià rationes, quæ dignioritatem non exigunt in beneficiis simplicibus, multò magis eam in iisdem merè simplicibus non deposcunt. Quarè Cardinalis de Luca doctus Regnicola, tamquàm inconcussam ponit hanc doctrinam, quod *beneficia simplicia, saltèm de consuetudine, quæ hanc opinionem recepit, sufficiat conferre digno, absque restrictivâ dignioris* (*a*).

30. Stat igitur vera, & tuta sententia, quod Collatores beneficiorum merè simplicium liberè possunt eadem conferre Clericis etiam minùs dignis, idoneis tamen, & dignis, dignioribus prætermissis. Aliàs cum valeat argumentum à beneficio ad officium (*b*); Si per Prælatum beneficia merè simplicia danda essent Clerico digniori, ommisso minùs digno; etiam officia Reipublicæ, tametsi merè politica, conferenda essent à Principe laicis magis dignis, prætermissis minus dignis, quod absolutè in theoricâ verum non est (*c*), & in praxi nec observatur; nec ut executioni mandetur, prudenti potest interpellatione deposci. Quinimò ad hæc officia sæcularia, nedùm Principes laici digniorem eligere non tenentur, sed nec etiam Prçlati, respectu locorum, in quibus ditione temporali potiuntur; quippè in eis non minùs ipsi sunt Principes, quàm sint Principes laicì in locis suæ temporalis jurisdictionis (*d*). Cesset itàque nova hæc doctrina Contradictorum suggerens omninò debere beneficia merè simplicia, eo modo, quo alia majoris ordinis, solis dignioribus, & magis idoneis, & quidem localibus de necessitate conferri; doctrina enim hæc non minùs captiosa est, quam insubsistens. Insubsistens proptèr rationes hùcusque allegatas. Captiosa verò, quia non recto, & prudenti zelo proposita est, sed transverso, intemperanti, ac inani; nempè, ut indè inferatur, quod indigenæ sunt digniores extraneis, ideòque beneficia merè simplicia non sit licitum extraneis impertiri, uti minus dignis respectu indigenarum: & quod possidentes beneficia merè simplicia, in loco beneficii residere teneantur, ac ibi personalitèr ministrare, ut sic beneficia merè simplicia non nisi ad nationales, & indigenas valeant pervenire.

(a) *Card. de Luca de Benef. disc. 67. n. 3.*

(b) *Mandos. ad reg. 32. Canc q. 2. n. 2. Barbos. tract. var. loc. 14 num 1.*

(c) *Sanchez Opusc. tom 1. l. 2 c. 1. dub 36. num. 15. Dian p 4 tr. 4. res. 172.*

(d) *Sanchez Opusc. loc cit. dub. 39.*



CA-

CAPUT VI.

In quo quæritur, quotuplicia sint Ecclesiastica Beneficia merè simplicia, ubi & de Beneficiis Commendatis, ac de Beneficiis Sæcularibus, ut distinctis à Beneficiis Regularibus.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia merè simplicia vel sunt talia per sè, vel sunt talia per accident, quandò ex residentialibus versa sunt in merè simplicia.*

2 *Cuncta beneficia præsumuntur esse simplicia, & possunt à primævâ eorum conditione descire, sic ut sæcularia mutentur in regularia, & è contra.*

3 *Beneficia de residentialibus evadere possunt simplicia; præsertim per viam Commendæ. Omnia commendari possunt, excepto summo Pontificatu.*

4 Cardinalatus *est beneficium, & quarè, cujus magna est antiquitas. Dari potest, & pluries datum est in Commendam.*

5 Episcopatus *est beneficium, quod potest in Commendam concedi. Etiàm in epistolis D. Gregorii reperitur Episcopatum ab eo fuisse datum in Commendam.*

6 Abbatia *est beneficium, cujus officium describit Pelagius PP. Abbates alii sunt Sæculares, alii Regulares. Deus in scripturis dicitur Abba Pater.*

7 *Ab initio Præpositus Monachorum vocabatur* Archimandrita. *Deindè dictus est* Abbas, *& etiàm* Hegumenus, *vel* Major *Monasterii.*

8 *Crevit cum tempore Dignitas Abbatis, sic ut adepta sit potestatem Ordines minores Monachis conferendi, & Pontificalibus insigniis utendi.*

9 *Multæ Abbatiæ de regularibus factæ sunt sæculares. Commenda est titulus Canonicus, faciens in Commendatario id, quod facit beneficium in Beneficiario.*

10 *Etiàm* Prioratus *à Monasteriis ad Clerum sæcularem fluxit.* Præpositura *quoquè, ac* Decenatus *suam originem à Cænobii habuerunt.*

11 *Commendarum usus non est novus, nàm tempore D. Gregorii erant in more. Alia documenta referuntur, antiquitatem ipsam declarantia.*

12 *Rationes afferuntur, proptèr quas introductæ fuerunt Commendæ Ecclesiarum: quæ à Cardinali Papiensi reducuntur ad duas; & quænam sint.*

13 *Commendæ aliquandò improbatæ fuerunt, aliquandò probatæ, varias expertæ vicissitudines, donèc res ad eum statum pervenit, in quo nùnc est.*

14 *Prætèr beneficia hùcusque relata, etiam cuncta alia beneficia sæcularia residentialia commendari possunt, vel ad tempus, vel in perpetuum.*

15 *Sicut beneficia regularia per viam Commendæ reduci possunt ad statum merè simplicium; ità etiam de beneficiis sæcularibus residentialibus idipsum fieri potest.*

16 Archidiaconatus *est beneficium, cujus memoriam faciunt antiqui Patres, & Concilia. Dicitur oculus Episcopi, & Vicarius ejus natus.*

17 Ar-

17 Archipresbyteratus *quoquè est antiqua dignitas, quam Patres, & Concilia antiqua commemorant. Archipresbyteri alii sunt Urbani, alii Rurales.*

18 *Paritèr* Primiceriatus *est antiqua dignitas, à Conciliis, & Patribus memorata, cujus officium describit S. Isidorus. Potest hoc quoquè beneficium in Commendam concedi.*

19 Thesaurariatus *itidem est beneficium, & dignitas, quam tenens apud Græcos dicitur Cimeliarca. Confundi videtur cum Sacristâ.*

20 *Itèm* Scholasteriatus *est dignitas, & beneficium, quam tenens habet munus docendi Clerum, & dicitur Scholasticus, debetque esse Doctor.*

21 Cantoratus *beneficium est, & dignitas, quam tenens dicitur etiàm Præcentor, & Primicerius.* Mansionaria *quoquè est beneficium Chorale.*

22 Canonicatus *est beneficium. Canonici ità dicti vel quià catalogo, & canoni servientium Ecclesiæ adscripti: vel quià magis observantes Canonum esse debens.*

23 *Antiquis temporibus Canonici communem vitam agebant cum Episcopo, quam normam observari pluries Ecclesia in votis habuit.*

24 Parochia *beneficium est antiquissimum in Ecclesiâ, quod memorant Patres, & Concilia. Et incœpit à Dionysio Papâ, vel à temporibus Apostolorum.*

25 *Ab initio una erat Ecclesia in qualibet Civitate, deindè incœperunt erigi parochiæ. Ex his aliquæ sunt concessæ Monachis in perpetuum.*

26 *Demùm* Capellaniæ *collativæ, quæ de sui naturâ non sunt residentiales, si tamen tales sint ob adjectum eis onus personale, possunt in Commendam concedi.*

1. BENEFICIA merè simplicia sunt in duplici differentiâ, alia sunt merè simplicia per sè, alia merè simplicia per accidens. Benefica merè simplicia per se sunt illa, quæ ex propriâ, & peculiari eorum naturâ, *non sunt aliquâ qualitate, juris affecta: nempè aliquâ in Clerum jurisdictione, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel locali aliquâ præeminentiâ*, qualia sunt beneficia, quæ vocantur duplicia (a). Neque onus habent residentiæ personalis, qualia sunt beneficia residentialia; sed solùm instituta sunt principalitèr in utilitatem Ecclesiæ: secundariò verò, ut sint premium, sive stipendium Clericorum, Deo in vitâ ecclesiasticâ, famulantium, & eum Divini Officii recitatione colentium (b), illâ generali ratione, quâ beneficium datur propter Officium (c). Beneficia verò merè simplicia per accidens sunt illa, quę licet de sui naturâ instituta sint, ut habeant adnexam curam Animarum, vel servitium chorale, aùt aliud onus personale, vel administrationem, vel præeminentiam, vel officium; tamèn per accidens vel evaserunt simplicia, vel induerunt quamdam proprietatem merè simplicis beneficii; ut est beneficium residentiale, quandò non in titulum, sed in Commendam alicui confertur, vel ad tempus, vel in perpetuum possidendum.

(a) *Murga de benef. quæst. 2. dub. 22. art. 2. num. 320.*

(b) *Cap. 2. de renunc. Filiuc. tom. 2. disp. 41. c. 1. n. 14.*

(c) *Garcia de benef. p. 1. c. 2. nu 60. & p. 7. c. 21. n. 1. Barbos. tract. var. Axiom. 36. n. 7.*

2. Generalitèr loquendo, cuncta beneficia sunt simplicia, sive talia præsumuntur, donec probetur oppositum (d). Etsi res dubia sit, perpendendæ sunt qualitates illis adnexæ; nàm si Erector, sive Fundator ipsius beneficii nullum in Beneficiario sacrum ordinem postulavit: si illud voluit posse cum alio beneficio retinere: si nullum possessori onus adjecit pretèr Divinum Officium: vel si adjecit, non personam individuè adstrinxit, sed onus ipsum voluit posse per substitutum impleri: si eum tandem residentiæ debito non submisit, signum est

(d) *Molfes. Sum. Moral. p. 1. tr. 6. c. 2. n. 20. Garcia de benef. p. 1. c. 6. n. 8.*

eſt beneficium eſſe merè ſimplex, utpotè quod qualitates retinet merè ſimplicis beneficii, nec ullâ præditus eſt qualitate, quam beneficia Curata, Choralia, aùt alitèr reſidentialia, ſolent habere. Advertendum eſt autem, quod cunƈta eccleſiaſtica beneficia, præſertìm ordinis inferioris, poſſunt ab eorum primævâ, & naturali conditione deſcire. Sic quantumvis beneficia Regularia à Sæcularibus differant (*a*), attamèn ſi beneficia Regularia per 40. annos à Clericis Sæcularibus regi, & poſſideri contigerit, efficiuntur Sæcularia (*b*): Et viceversà beneficia Sæcularia, ſi per totidem ſpatium temporis à Regularibus poſſideantur, in Regularia transformantur (*c*). Curſus nàmque quadraginta annorum requiritur ad mutandum, & firmandum ſtatum in beneficiis (*d*), cum aliis conditionibus, quas videre eſt apud Auƈtores (*e*).

3. Quemadmodùm autem beneficia eccleſiaſtica naturam, ſive ſtatum mutare poſſunt, Regularia de Sæcularibus evadendo, & è contrà, ità etiam ſtatum mutare poſſunt, in merè ſimplicia de reſidentialibus tranſeundo, & è contrà. Nulla enim major eſt ratio, cur mutatio ſtatus beneficii contingere poſſit magis uno modo, quàm alio. Hoc autem accidit plurimis beneficiis, quæ priùs erant Curata, vel Choralia, vel alio modo reſidentialia, & ſucceſſu temporum faƈta ſunt merè ſimplicia, vel per unionem cum aliis, vel per diviſionem eorum in plures partes, vel, & potiſſimè, per Commendam, ſive temporaneam, ſive perpetuam. Porrò nullum eſt beneficium, quantumvis Curatum, vel Chorale, vel alio modo reſidentiale, quod non poſſit ex cauſis ipſis, atquè legitimis in Commendam poni, & concedi, excepto Summo *Pontificatu*, quod eſt primum, ac præcipuum beneficium (*f*), tametſi impropriè ſic vocatum (*g*). Beneficium cum ipsâ Eccleſiâ Dei Catholicâ exortum, tuncque primo deſignatum, cum Chriſtus ait Petro. *Tu es Petrus, & ſupèr hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque ligaveris ſupèr terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis* (*h*).

4. Poſt Papatum ſequitur *Cardinalatus* Sanƈtæ Romanæ Eccleſiæ, qui paritèr eſt eccleſiaſticum beneficium, quippè Cardinales percipiunt reditus eccleſiaſticos ratione officii ſpiritualis, quod exercent (*i*). Juriſdiƈtionem habent ſimilem Epiſcopali in Eccleſiis, quibus præſunt (*l*), per eorum promotionem vacant beneficia, quæ præventivè poſſidebant (*m*): Adeòque ex his omnibus conſtat, quod Cardinalatus eſt Eccleſiaſticum Beneficium (*n*). Cujus quanta ſit antiquitas, non eſt facilè definire, cum antiquiſſimum ſit ejus nomen, atquè poteſtas, quæ tunc magnum incrementum recepiſſe videtur, cum in Concilio Romano ſub Nicolao Papâ II. data eſt Cardinalibus facultas Summum Pontificem eligendi (*o*). Hoc beneficium dari poſſe in Commendam, non videtur dubitandum, cum Cardinales in eorum Eccleſiis ſe habeant tamquàm Parochi, vel jura parochialia poſſidentes (*p*), reputentur in iiſdem veluti totidem Epiſcopi, quippè inibi tenent juriſdiƈtionem quaſi Epiſcopalem, ut diximus, & ideò ſicuti parochiæ, atque Epiſcopatus in Commendam dari poſſunt, ità etiàm idipſum fieri poteſt de titulis Cardinalitiis. Et de faƈto aliquandò contigit, aliquos Cardinales Vicecancellarios Sanƈtæ Romanæ Eccleſiæ inſimùl retinere titulum, & juriſdiƈtionem S. Laurentii in Damaſo, atque alios titulos Cardinalitios Presbyterales, vel Epiſcopales; quo caſu oportet, quod præfatus titulus S. Laurentii in Damaſo eiſdem fuerit traditus in Commendam. Sed & in aliis titulis id aliquandò contigiſſe legitur in hiſtoriis, & præſertim de Cardinalibus Presbyteris, qui accipientes Epiſcopatus Cardinalitios, inſimùl retinebaut in Commendam præcedentes titulos Presbyterales paritèr Cardinalitios, quibus erant anteà decorati, cui rei moderationem quandam adhibuit Paulus Papa III. (*q*).

(a) *Cap. cum de benef. & cap. cum ſingula de preb in 6. Clem. 1 de eleƈt. Conc. Trid ſeſ. 24. de ref. c. 10. Azor. l. 3. c. 1. qu 4. Gratian. diſcept. for. c. 174. n. 15 Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 34.*

(b) *Felyn. in c. in noſtra n. 43. de reſeript. Maſeard. Concl. 172. n. 2. & 20.* Barboſ. *ibi num. 45.*

(c) *Eman. Rodriquez. q. regul. to. 1. q. 96. art. 2* Barboſ. *ibi n. 43.*

(d) *Fuſc. de Viſit. l. 2 c. 16. n. 14 Sanchez. in precep. Decal. to. 2. l. 7. c. 29. n. 16. Barboſ. loco cit. n. 46.*

(e) *Sanchez loc. cit. n. 15. & ſeq. Barboſ. loco cit. n. 44. & 68.*

(f) *Cap. 1. de Maled. Mart de juriſd. p. 2. c. 39. num. 1. Rebuf. prax. benef. p. 1. tit ſecul. benef. quotupl ſit nu 2 Molfeſ. ſum. tr. 6. de benef n. 45.*

(g) *Barboſ jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 84.*

(h) *Matthæi cap. 16 num. 18.*

(i) *Barboſ. loc. cit. n. 52. Molfeſ. ubi ſuprà num. 46.*

(l) *Diana p. 5. tr. 2. reſ. 12. Thomaſſ. vet et nov. Eccl. diſc. p. 1. l. 2. c. 26. n. 8.* Card. *de Luca de juriſd. diſc. 34. n 11. & 12.*

(m) *Diana p. 5. tr. 2. reſol. 11. Barboſ. loc. citat. num. 52.*

(n) *Selva de benef. p. 1. qu 2. nu. 3. Marta de juriſd. p 2. c. 19. n. 2 Barboſ. loco cit. Diana p. 5. tr. 2. reſol. 1.*

(o) *Vide Thomaſſin vet. & nov. Eccl. diſc. l. 2 c 113. & ſeq.*

(p) *Card. Albit. de potest Card. in Eccl. ſuorum titul. diſcept. 1 num. 64. & 67.*

(q) *Theatr. vit. hum. verb. Epiſcop f. 149. B.*

5. Pri-

5. Primum beneficium post Summum Pontificatum esse censent aliqui *Episcopatum* (*a*), & olim Episcopos detrectasse accipere Cardinalatum (*b*). Sed quidquid fuerit hâc de rè antiquis temporibus; nunc certè ordo Cardinalium Episcopis undequaquè præponitur, & jàm beneficium Cardinalatus beneficio Episcopali prefertur (*c*). Nèc ulli dubium est quin Episcopatus verè, & propriè sit Ecclesiasticum beneficium (*d*). Hocque posse in Commendam concedi cum continuata praxis id doceat, tùm in Cardinalibus Episcopis, qui si præter Episcopatum Cardinalitium, alium quoque præventivè possidebant, priorem illum in Commendam retinent, ut audivimus, cum secundo. Tùm quotidiè in Germaniâ ubi contingit interdùm aliquos Præsules unum Episcopatum in titulum adipisci, & alium, ac aliquandò duos, in Commendam tenere, justis causis ità exigentibus, & jàm per plura sæcula ità faciendum esse deposcentibus. Quod sanè etiam à D. Gregorio fuisse factum legimus in ejus epistolis, & signantèr in eâ, quæ directa est ad Episcopum Fundanum, cui commendavit Episcopatum Terracinensem, insertaque est corpori juris, & in ea S. Pontifex decernit; *quidquid verò de prædictæ rebus Ecclesiæ, vel ejus patrimonio, seù Cleri ordinatione, promotioneve, & omnibus generalitèr ad eum pertinentibus, solertèr, atquè canonicè ordinare faceres: provideris, liberam habebit (quippè ut sacerdos proprius) modis omnibus facultatem* (*e*).

(a) *Marit. Alzedo de excel. Episcopatus p. 1 c. 3. n. 33. Dian. loco citando.*

(b) *Theatr. vit. hum. loco cit. f. 145. B.*

(c) *Diana latè par. 5 tract. 2. ref. 1.*

(d) *Cap felicis §. quod si de pœnis in 6. Marta de jurisd. p. 2. c. 39. n. 7. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n. 49.*

6. *Abbatia* quoquè est Ecclesiasticum beneficium, & communi sensu intèr dignitates ecclesiasticas computatur (*f*), quæ majoritatem quamdam, & excellentiam gradus sacri significat, infrà Pontificalis ordinis dignitatem, ejusque officium describit Pelagius Papa Opilioni Defensori hęc intèr cœtera scribens: *fidelitèr, & studiosè universa, quæ ad Divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere* (*g*). Duplicis speciei sunt Abbatiæ pro duplicitate Abbatum illas regentium, quorum alii sunt Abbates Sæculares, & alii Regulares. Abbatia Regularis est pervetusta dignitas in Eremo primum nata, & indè ad Monachos Cœnobitas transgressa, cujus vocis honor, & decus indè colligitur, quod nomen Abbatis ter Deo attribuitur in Scripturis, ubi vocatur *Abba Pater* (*h*). Abba nàmque vox est Syriaca, sive Hebraica, latinè resonans Pater, uti dicit D. Thomas (*i*), & longè antè illum D. Augustinus his verbis: *Paulus dicit Romanis scribens, in quo clamamus Abba Pater: in uno nomine duabus utitur linguis: dicit enim Abba hebræo vocabulo Patrem, & latinè nominat identidem Patrem* (*l*).

(e) *Capit. relatio 5. caus. 21. qu. 1.*

(f) *Tambur. de Jur. Abbat to. 1. disp. 1. qu. 2. a. 7. cum aliis ibi.*

(g) *Cap. nullum 18. qu. 2.*

(h) *Marci c. 14. Roman c. 8. Galat. cap 4.*

(i) *S. Thomas in epist. ad Galatas.*

(l) *S. August. epist. 177.*

7. Eo tempore præsertim, quo Monachi in solitudinibus, & eremis commorantes, anacoriticam vitam agebant, eorum caput, & superior vocabatur *Archimandrita*, eoque nomine appellatus reperitur in jure (*m*). In Concilio Chalcedonensi Archimandritę quidam Ægyptii epistolam Synodo porrexerunt pro Dioscoro (*n*). In Concilio Constantinopolitano quidam Archimandritę Constantinopoleos Agapitum Papam I. Patriarchę Universalis titulo nominarunt (*o*), quo etiam titulo Papam Hormisdam alii quidam Archimandritæ Syriæ affecerunt (*p*). Sed posteà hoc nomen versum est in illud *Abbatis*. Et ex quo Monachi translati sunt ad convivendum in Claustris, atque à vitâ Eremiticâ ad Cœnobiticam transmigrarunt, eorum superiori passim indidere nomen Abbatis. Quem etiam Hegumenum Græci vocarunt, & ità S. Theodorus Studita nominatur à Paulo Diacono *Hegumenus Studii* (*q*). S. Euthymius dictus fuit *Hegumenus Universalis* (*r*). Et Hegumenarchium idem, ac primariam Abbatiam significat (*s*). Alicubi Superiores Monasteriorum, non Archimandritæ, neque Hegumeni, neque Abbates, sed *Majores* Monasterii vocati sunt, & ità in Concilio Carthaginensi IV. decretum est: *Si quis de alterius Monasterio repertum, vel ad Clericatum promovere voluerit, vel in suo Monasterio Majorem Monasterii constituere &c.* (*t*). Impresentiarum quoque Superior sacræ Eremi Camaldu-

(m) *Leg nos reddentes §. omnes C. de sum. Trin. & Fid. Cathol.*

(n) *Concil. Chalced. Act. 4.*

(o) *Concil. Constantinop. an 536. Act. 2. 3. 4*

(p) *Epistol. Archimandr. Syr. post ep. 22. Hormisd.*

(q) *Du-Mortier Etymol. Græcolat. V. Hegemenoa. & V. Hegumenus.*

(r) *Cangius Constantinopolis Christian. l. 4. f. 155. n. 22.*

(s) *Du-Mortier loco cit V. Hegumenarchiū.*

(t) *Concil. Carthag. IV. cap. 15.*

lensis *Majoris* titulo nuncupatur. Porrò Abbatis tituli introductioni, usquè à suâ ætate reluctatus est S. Hieronymus in epistolâ ad Galatas, sic exclamans: *Cum autèm Abba Pater Hebræo, Syroque sermone dicatur; & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum vocandum Patrem, nisi Deum; nescio quâ licentiâ in Monasteriis, vel vocemus hoc nomine alios, vel nos vocari acquiescamus* (a).

8. Abbatis dignitas progressu temporis valdè excrevit: ejusque fit memoria in Concilio Agathensi (b), prout etiàm in Epaonensi (c). Septima Synodus generalis potestatem indulsit Abbatibus, ut possent minores Ordines suis Monachis elargiri (d), & S. Leo Papa IX. vel ut aliis placet, Urbanus II. aut Silvester II. eisdem Abbatibus usum insignium Pontificalium concessit (e), quem Petrus Blesensis Guillelmo Abbati scribens, non modicè est detestatus: *retulit mihi quidam nuntius vester, qualitèr Dominus Papa vos Mitrâ proprii capitis, & aliis ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo, sed insignia Episcopalis eminentiæ in Abbate nec approbo, nec accepto. Mitra enim, & annulus, & sandalia in alio, quàm in Episcopo, quædam superba elatio est* (f). Ex his Abbatibus Regularibus, Abbates Sęculares profluxerunt: nàm cum Monasteria amplissimis divitiis excrevisset, & Monachorum numerus, atquè disciplina Monachalis in eis notabilitèr declinasset; incœperunt Monasteria Sæcularibus Clericis commendari; alicubi sublatis prorsus Monachis, alicubi verò iis relictis, cum portione congruâ prædiorum, & redituum, eorum victui sufficientium; cœteris autèm prædiis, & proventibus in Commendam alicui, ut suprà concessis. Et ità Clerici Sæculares, Abbatum emolumenta ad perfruendum sortiti, eorum quoquè titulum nacti sunt, undè ingens Abbatum Sęcularium copia manavit, quæ adhùc nostrâ ætate subsistit.

(a) S. Hieron. in ep. ad Galatæ. 4.
(b) Conc. Agathens. canon. 57.
(c) Conc. Epaonens. canon. 9.
(d) Vid. Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 3. l. 3. c. 17. n. 3.
(e) Leo Ostiens. lib. 2. c. 82. Vide etiā Magri Vocab. Eccl. V. Abbas.
(f) Petrus Blesensis ep. 90.

9. Hoc modo Abbatiæ, quæ prius Regulares erant factæ, sunt Sæculares; & quę residentiales erant, evaserunt beneficia merè simplicia: Jàmque Commenda est titulus Canonicus, & Legalis (g), eundem penè effectum in Commendatario producens, ac beneficium in Beneficiario (h), dummodò tamen Commenda sit perpetua. Duplicitèr etenim Abbatiæ (idemque de Episcopatibus contingit, atquè de aliis beneficiis, ex naturâ suâ residentialibus) commendantur; vel ad tempus, & tùnc non sunt beneficia, sed mera depositio, sive custodia illorum (i). Vel in perpetuum, nempè ad vitam Commendatarii, & tùnc Commenda est beneficium, in titulum, seu equivalentèr, ac in titulum Commendatario attributum (l). Estque Commenda quodammodò virtualis quædam dispensatio, collata Commendatario, ut possit beneficium illud obtinere, quod alioquin de sui naturâ, uti incompatibile cum aliis, veluti residentiale, non posset ab eo, inibi non residente, teneri (m). Sed jam ex his Abbatiis, aliisque beneficii Monasterialibus, de quibus infrà, perplura sunt, quæ redacta reperiuntur in Commendam, nedùm perpetuam ad vitam Clerici Sæcularis Provisi, sed etiam totalitèr perpetuam, & æternam: ità ut cum morte ipsius Provisi non esset, sed perenniter perseveret: seu veriùs loquendo, transierunt omnimodè in beneficia Sęcularia perpetua, merè simplicia.

(g) Cap. dudum n. 2. de elect. c. si plures 21. qu. 1. Lotter. de benef. l. 3 qu. 8. n. 127. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 9. num. 26.
(h) Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 9. n. 22. & 37.
(i) Barbos. loco, citat. n. 1. 2. & 3.
(l) Barbos. loco cit. num. 37.
(m) Mandos. ad Regul. Canc. reg. 33. q. 30. num. 3.

10. Aliæ quoquè dignitates, & beneficia perplura è Monasteriis ad Clerum Sæcularem fluxerunt (n), & vel per viam Commendæ perpetuæ, vel per viam formalis erectionis, aut alterius determinationis, evaserunt beneficia merè simplicia. Talia sunt varii *Prioratus*, hùc illùc per provincias constituti, ac soliti conferri Clericis Sæcularibus in titulum ecclesiastici beneficii. Prioratus etenim à suo initio erat beneficium, & dignitas Monasterialis, de quâ mentionem facit S. Gregorius (o), necnon in pluribus Conciliis de eâdem fit memoria (p). In duplicique erant differentiâ Priores Conventuales: Alii Abbatibus subjecti, & sub eorum obedientiâ in Monasteriis viventes: Alii verò ab ipsorum jurisdictione soluti, utplurimùm Superiores Cellarum, parvulorumque Monasteriorum (q), ex qui-

(n) Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 2. c. 34 n. 20.
(o) S. Greg. l. 4. ep. 4 l. 6 ep. 10.
(p) Conc. Tur. an. 556. c. 10. Concil. Later. III. c. 2 Conc. Parisien. an. 1212 p. 2 c. 16 17. Concil. Bitur. c. 26 & c.
(q) Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 66 n. 13 et c. 69. n. 12 & Magri.

ex quibus emerserunt Prioratus, de quibus loquimur, in beneficia merè simplicia conversi. Consimilis qualitatis esse censentur *Præposituræ*, ac *Decanatus*, qui aliquibus in locis sunt, & vel per viam Commendæ, vel alio legali modo in beneficia merè simplicia conversi. Ab initio namque fuerunt utplurimùm beneficia, & dignitates Regulares, in Monasteriis exortæ, ac diu inibi continuatę. Memorant hujusmodi *Præposituras*, & Præpositos S. Isidorus Hispalensis (*a*), S. Benedictus Abbas in suâ Regulâ (*b*), Conciliaque Moguntinum, Aquisgranense, & alia (*c*). *Decanatus* quoquè, ac Decanos sæpè memorant S. Hieronymus, & Cassianus (*d*), Sanctus insuper Augustinus (*e*), atque Benedictus in suâ Regulâ (*f*), Vvalafridus, & alii (*g*).

11. Porrò hujusmodi Commendarum usus novus non est; sed valdè antiquus, de quo loquens Vincentius Filliuccius, affirmat, quod à Clerico haberi possunt plura beneficia multis in casibus, quorum *quartus est, si unum sit in titulum, aliud in Commendam. cap. qui plures 21. quæst. 1. cap. illud quoque ibidem, & alibi. Fuit autem Commenda primum inventa tempore Leonis IV. ex cap. qui plures cit. sivè utrumque sit simplex, sivè unum simplex, aliud curatum: sive utrumque curatum, sivè sint duæ Abbatiæ, sivè etiam duo Episcopatus: sivè Papa commendaverit, sivè Ordinarius: sivè sit Commenda temporalis, sivè perpetua. Undè etiam Cardinalibus Episcopis potest concedi Abbatia in Commendam, seu in administrationem, imò etiam plures, si non excedant congruam sustentationem* (*h*). Hæc Filliuccius, optimè loquens: tamen quoàd antiquitatem Commendarum, nos advertimus eas usque à temporibus S. Gregorii Magni in Ecclesiâ reperiri. Ipse namque S. Pontifex aliquandò Episcopatus, aliquandò Abbatias Episcopis commendavit (*i*). S. Audoenus Rotomagensis, qui floruit anno 647. Monasterium Guimesiense S. Aicardo Pictaviensi contulit, qui alteri præerat Monasterio (*l*). Concilium Toletanum X. habitum anno 656. interdicit Episcopis, nè Monasteria, & parochias suis consanguineis commendent (*m*). Concilium Emeritense, anno 666. celebratum, traducens Parochos rurales ad Cathedralem, ut Canonicos, eisque priores reditus parochiarum relinquens, has eis vel expresè, vel tacitè commendavit (*n*). S. Ansbertus Episcopus Rotomagensis Abbatiam Fontanellensem habuit in Commendam (*o*). Leo Papa IV. qui Ecclesiæ præfuit anno 847. decrevit, *ut qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam, aliam verò sub commendatione retinere debeat* (*p*). Sub Nicolao PP. I. qui sedere cœpit anno 858. Episcopus Anagninus cuidam præerat Monasterio (*q*). Concilium Salegustadiense anno 1022. statuit, posse Ecclesias commendari, dummodò id non fieret à laicis, sine Episcopi facultate (*r*). Exindè subsequentibus temporibus, tùm dantium, tùm accipientium Commendas, fit memoria crebrior in historiis, etiam quoàd alia beneficia Regularia, de quibus dictum est. Nàm in Concilio Arvernensi sub Urbano Papâ II. (*s*), & in Romano sub Innocentio II. (*t*), agitur de Præposituris, & Decanatibus, uti per Clericos sæculares possessis; indicium, quod jàm invaluerant eorum Commendæ; ac de Regularibus beneficiis facta erant beneficia sæcularia. Alexander PP. III. in suis epistolis agit de Ecclesiarum Commendis (*u*), Theodorus Balsamon, qui eâdem ætate vixit, expendens Canonem 33. Trullanum Monasteria posita in Commendam commemorat.

12. Ex his patet, quæ, & quanta sit antiquitas Commendarum, jàm saltem à duodecim, & ultra sæculis in Ecclesiâ subsistens, quibus, si omnis ratio deesset; ipsa tam ingens antiquitas posset sufficere prò ratione. Sanè alicubi necessitas obsistendi adversariis fidei, alicubi necessitas providendi ecclesiasticis reditibus Clericos benemeritos, causæ fuerunt, cur Episcopatus, Abbatię, Prioratus, Præposituræ, Decanatus &c. Clericis sæcularibus traderentur antiquis temporibus in Commendam: aliasque hujus rei causas videre est apud Doctores (*x*), nostrum namque non est hic easdem ex proposito prosequi. Unam tamen attingere non omit-

(a) *S. Isidor. Hispal. Regul. Monach. c. 20. fol. 707.*
(b) *S. Benedic Regul. cap. 65.*
(c) *Concil. Mogunt. ann. 813. c. 11. Concil. Aquisgr. an 817. c. 31.*
(d) *Ludovic. Thomassin p. 1. l. 3. cap 61. num. 4.*
(e) *S. August. de mor. Eccl. l. 1 c. 31.*
(f) *S. Bened. in Regula.*
(g) *Vvalafr. de rebus Eccl. c. 3.*
(h) *Vinc. Filliuc. to. 2 ad fin. tr. 41. c. 7. n. 36.*
(i) *Vid. supr. in hoc cap. n. 5. S. Greg lib 6. epist. 10. Jo. Diacon. l. 3. c. 22.*
(l) *Surius in Vit. S Audoen. to. 5. die 15. Septembr.*
(m) *Conc. Tolet. X. cap. 3.*
(n) *Concil. Emerit. cap. 12.*
(o) *Surius to. 3. in Vit. B. Vulfranni die 20. Martii.*
(p) *Cap. qui plures 21. qu. 1.*
(q) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 10. n. 13.*
(r) *Concil Salegustadiens. an. 1022. c. 13.*
(s) *Cap. nullus distinct. 60.*
(t) *Cap. innovamus 3. dist. 60.*
(u) *Alex. III. ep. 14. & 15. post. epist. Petr. Cellens. in Bibliot. Patrum.*
(x) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 13. n. 6. 9 11. 13. & c. 14. n. 5. 6. 7. 15. & c. 15. n. 1. 6. 10. 11. 12. 13. &c.*

omittemus, nempè invasionem Ecclesiarum, & Monasteriorum, factam per sæculares, eorum bona sibi ad usufructuandum assumentes, & toto propriæ vitæ tempore retinentes (*a*). Ad redimenda nàmque de ipsorum laicorum manibus bona ipsa, & cavendum, ne ab eisdem inposterùm occuparentur, multum contulit Ecclesias illas Clericis sæcularibus sapientiâ, vel potentiâ, vel favore apud Principes prævalentibus, impertiri in Commendam, quod idem est ac in patrocinium, & custodiam. Declarat brevitèr finem, propter quem introductæ fuerunt Commendæ, Jacobus Cardinalis Papiensis dicens, id factum esse, *ut fide, & studio Majoris alicujus, quæ occupata à sæcularibus essent, redimerentur, & neglectus divinus cultus in pristinum revocaretur* (*b*).

13. Varias autem, pro diversorum temporum contingentiis, habuerunt vices hujusmodi Commendæ; nàm aliquandò improbatæ, aliquandò toleratæ, aliquandò probatæ fuerunt. Sub Gregorio VII. valdè invaluerunt, & postmodùm intermissæ sunt. Rursus sub Clemente V. effusiùs revixerunt, & successivè parciùs concessæ fuerunt; aliasque successivè habuerunt varietates, donec res ad eum statum pervenit, in quo nostris temporibus reperitur. Jàmque Commenda, ut innuimus, est titulus legalis, & Canonicus (*c*), vi cujus beneficia, tametsi ex naturâ suâ essent residentialia, fiunt merè simplicia, & non secus ac merè simplicia, à Prelatis Ecclesiasticis per viam collationis, & respective à Principibus laicis per viam presentationis, dispensantur, Clericis secularibus bemerentibus, qui ea, & justè, & licite, & laudabilitèr tenent: & ità fert praxis totius Christianitatis, & Ecclesię, quam non est credibile in errore universali versari. Qui plura de hâc rè desiderat, consulat Doctores, tàm Theologos (*d*), quàm Jurisconsultos (*e*), ad quos Lectorem remittimus.

14. Preter beneficia Episcopalia, & Abbatialia, Prioratus, Prepositùras &c. hùcusque recensitas, quę possunt, & respectivè solent in Commendam concedi, alia sunt itidem beneficia secularia, quę alicubi commendantur, & ubilibet valent, vel ad tempus, vel in perpetuum tradi Clericis secularibus in Commendam. Hujusmodi sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Primiceriatus, Thesaurariatus, Scholasteriatus, Mansionarię, Capellanię, Canonicatus, & Parochię, ac generalitèr omnia beneficia residentialia. Commendare ad tempus beneficia potest quilibet Episcopus in suâ Diœcesi, & alius quicumque Prelatus, jurisdictione quasi Episcopali stipatus (*f*), talitèr tamen quod commendatio sex mensium spatium non excedat (*g*). Nihilominùs si elapso seximestri eadem causa necessitatis, vel utilitatis, ex quâ fuit ab initio facta commendatio, adhùc perseveret; Commenda poterit protrahi ad alios sex menses (*h*). Asthæc theorica non habet locum in parochiis, quippè cùm vigore Concilii Tridentini (*i*), contingente illarum vacatione, debeat per Ordinarium deputari Oeconomus, & Vicarius, qui vacantis Ecclesiæ curam habeat, jàm non est licitum easdem etiam temporaneè commendare, prout jàm decrevisse sacram Congregationem reperitur (*l*).

15. In perpetuum verò commandare tùm parochias, tùm alia beneficia prefata, potest solus Romanus Pontifex (*m*), & ut innuimus, aliqua ex eis reperiuntur alicubi in perpetuum commendata, & sic veluti per accidens jàm redacta ad statum beneficiorum merè simplicium. De pluribus hujusmodi beneficiorum speciebus bonum erit generaliter hìc effari, tàm ad ornatum hujus Operis, quàm ad pleniorem præsentis materiæ notitiam: nec enim in individuo notari possunt, quænam, & ubi sint beneficia ex hisce speciebus ab initio constituta, quæ postmodùm per viam commendæ in beneficia merè simplicia transierunt, & nùnc prò talibus reputantur; sed sufficit ea alicubi dari dè facto, & quodubibet dari possunt. Retentoque themate satis noto, quod sicuti dantur beneficia Regularia, nempè illa, quæ ex primævâ eorum institutione, vel ex legitimo præscriptionis jure, per 40. annos continuato, vel ex eorum incorporatione

(a) *Vide Thomassin. loc. cit. p. 2. l. 3. cap. 12. 13. 16. 17. 21. 25. &c.*

(b) *Jacob Card. Papiens. epist. 93.*

(c) *Barbos. Jur. Eccles. Univ. l. 3. c. 9. n. 26*

(d) *Thomassin. loco cit. p. 2. l. 3. à c. 10. ad 22. Jo. Azor. instit. mor. p. 1. l. 6. c. 31.*

(e) *Card. de Luca Miscel. disc. 54. per totum Barbos. Jur. Eccles. Univ. l. 3. c. 9. per tot.*

(f) *Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 4. qu. 1. n. 8. & 9. Garc. de benef. p. 4. c. 4. n. 11. & 12. Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 9. n. 5.*

(g) *Cap. nemo deinceps de elect. in 6. Bald. cons. 164.*

(h) *Azor. inst. mor. p. 2. l. 6. n. 8. qu. 7.*

(i) *Conc. Trid. sess. 24. cap. 18.*

(l) *Garc. loc. cit. n. 14. Barbos. loc. cit. n. 9.*

(m) *Tamburin. loc. cit. qu. 4. Garc. loc. cit. num. 13.*

cum

cum bonis Regularium, sunt, & respectivè erant ab initio viris claustralibus destinata (*a*), de quibus etiam fit sermo in jure (*b*); Ità dantur beneficia ecclesiastica sæcularia (*c*), nempè illa, quæ vel à suâ origine prò Clericis sæcularibus fuerunt fundata, vel ex præscriptione, ob plures collationes, per 40. annos repetitas, solis Clericis sæcularibus conferuntur (*d*): Et generalitèr omnia beneficia, quæ non sunt regularia, sunt ex consequenti sæcularia, & sæcularia de sui natura quælibet præsumuntur (*e*). Sicuti autem beneficia regularia per viam Commendæ ad statum beneficiorum merè simplicium reduci valent, ità & idem fieri potest de beneficiis sæcularibus, tametsi Choralibus, vel Curatis, vel alio modo residentialibus,

16. Primoque loco occurrit *Archidiaconatus*, à prioritate dictus, quam Archidiaconus super Diaconos tenet: antiqua dignitas, & beneficium sæculare, de quo ex Sanctis Patribus S. Hieronymus mentionem facit per hæc verba, de Archidiacono Alexandrino prolata, *quemadmodùm si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de sè quem industrium noverunt, & Archidiaconum vocitent* (*f*). Ejus etiam memoriam faciunt S. Optatus Milevitanus, de Cæciliano Carthaginensi: S. Sidonius Apollinaris, de Joanne Cabilonensi: & S. Severus Sulpitius, de S. Martino Turonensi, loquentes (*g*). Ex Conciliis, Concilium Chalcedonense Archidiaconum Alexandrinum; Concilium Biterrense Archidiaconum Edessenum; & Concilium Antiochenum Archidiaconum illius Ecclesiæ commemorant (*h*). De Jure hoc beneficium est prima post Pontificalem dignitas (*i*). Sedetque ad dexteram Episcopi (*l*), cujus oculus esse dicitur (*m*), & Vicarius illius natus: quatenùs absente Episcopo, ac ejusdem Vicario, succedit in Officio Vicarii (*n*). Pluraque munia ad illum spectant, de quibus Canones, & Canonistæ (*o*). Archidiaconatus autem, non minus ac alia beneficia sæcularia in Commendam concedi potest, & alicubi est concessus, ac sic per accidens ad statum beneficii merè simplicis redactus prò illo loco, ubi sic se habet: ut interdùm accidit in Germaniâ, cum aliquis habet plures Canonicatus, & Dignitates in variis Cathedralibus.

17. *Archipresbyteratus* paritèr est beneficium Cleri sæcularis, antiqua dignitas in Ecclesiâ, notior tamèn apud Latinos, quàm apud Græcos, nisi quatenùs eorum Protopresbyteri nostris Archipresbyteris correspondent. Illius antiquitatem commendat memoria, quam facit Concilium Chalcedonense S. Proterii Episcopi Alexandrini tamquàm prius ejusdem Ecclesiæ Archipresbyteri (*p*). Sed & Concilium Nicænum I. (*q*), & S. Hieronymus hujusce dignitatis mentionem faciunt (*r*). Ordine Archipresbyter super omnes Diaconos, & Presbyteros eminet, officio tamen Archidiacono subest (*s*). Cujus munera varia sunt (*t*), eaque sic complectitur S. Isidorus Hispalensis: *quod specialitèr ad ejus ministerium pertinet supra omnes presbyteros in ordine positos curam agere, & assiduè in Ecclesiâ stare, & quando Episcopi sui absentia contigerit, ipse vice ejus missarum solemnia celebret, & collectas dicat &c.* (*u*). In duplici differentiâ sunt Archipresbyteri (*x*), alii nempè sunt *Urbani*, qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, erecti sunt; de iisque usque nùnc habitus est sermo: alii *Rurales*, quorum officium prolixæ antiquitatis honorificentiâ decoratur. Concilia namque Agathense, Nannetense, & Turonense II. memoriam eorum faciunt (*y*). Quodnam sit eorundem munus, in Jure talitèr denotatur: *singulæ plebes Archipresbyterum habeant, proptèr assiduam ergà populum Dei curam, qui non solùm imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verùm etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, & quâ unusquisque industriâ Divinus opus exerceat, Episcopo suo renuntient* (*z*). Itàque ad eos spectat graviora, quæ in eorum plebanatu succedunt Episcopo referre, minutiora brevi manu componere (*aa*), nulla tamèn eis competit jurisdictio, nisi quanta illis à proprio Antistite dispensatur (*bb*). Ex his autem Archipresbyteratibus,

(a) *Engel. Colleg. Jur. Can. p. 2. l. 3. tit. 14. n. 1.*
(b) *Cap. 5. de præbend. in 6. cap. nemo 2. caus. 16. qu. 1. Concil. Trid. ses. 24. c. 17.*
(c) *Engel. loc. cit. l. ot- ter. de rè benef. lib. 1. qu. 34. n. 7.*
(d) *D. cap 5. de præbend in 6.*
(e) *Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 4. n. 41.*
(f) *S. Hier. ep 55. ad Evagrium.*
(g) *S. Optatus l. 1. S. Sidon. lib. 4. epist. 25. Sever. Sulpit. Dial 2.*
(h) *Vid. Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl p. 1. l 2. c. 17 n. 13.*
(i) *Barbos. de Canon. & Dign. c. 5. n. 4.*
(l) *Concil. Nicæn. I. c. 57 & 58. ex Arabic.*
(m) *Concil. Trid. ses. 24. c. 12. S. Isid. Pelus. l 1. epist. 29. S. Fulbert. Carnot. epist. 34.*
(n) *Tusc to. 1. lit. A. concl. 482. nu. 10. Barbos. de Canon. c. 5. n. 35.*
(o) *Vid. tot tit. de off. Archid. & c. perlectis 1. dist. 25. Barbos. loc. cit. n. 58. cum pluribus ab eo citatis.*
(p) *Conc. Chalcedon. cap. 14.*
(q) *Conc. Nicæn. I. ex Arab c. 57. 58.*
(r) *S Hier. epist. ad Rusticum.*
(s) *Concil. Tolet. I. cap. 8. cap. perlectis 1. dist. 25.*
(t) *Vid. Decretal. de offic. Archipresb. Concil. Carth. IV. c. 17. Concil. Regiat. c. 13 Vualafr. de reb. Eccl. c. 31.*
(u) *S. Isidor. Hispal. epist. ad Laudefr. in c. perlectis 1. dist. 25.*
(x) *Barbos. de Canonic. & Dignit. cap. 6. num 5.*
(y) *Cap. in capite 64 dist. 50. Conc. Nannet. cap. 11. Conc. Turon. cap. 7.*
(z) *Cap. fin. de off. Archipresb.*
(aa) *Engel. Colleg. Jur. tit. 35. par. 1. lib. 1. num 2.*
(bb) *Barbos. de Canon. & Dign. c. 6. n. 31.*

tibus, tàm Urbanis, quàm Ruralibus, plures sunt in Commendam concessi, & respectivè concedi possunt, adeòque per accidens statum beneficiorum merè simplicium induerunt.

18. *Primiceratus* itidèm est beneficium, & ecclesiastica dignitas, ad Clerum sæcularem ex naturâ suâ pertinens, quam qui possidet, dicitur Primicerius, vel Præcentor (*a*), vel etiam alicubi Primiclerus (*b*). Redundat in ejus gloriam, quod memoretur à Concilio Constantinopolitano sub Mennâ (*c*), & ab Antiocheno sub Domno (*d*). Memoratur etiam in Synodis Emeritensi, & Toletanâ VIII. (*e*): Illiusque officium S. Isidorus Hispalensis per hæc pręcisa pandit eloquia: *ad Primicerium pertinent Acolythi, Exorcistæ, Psalmistæ, atque Lectores. Signum quoquè dandum prò officio Clericorum, prò vitæ honestate, & officii meditandi, & peragendi solicitè: lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis Clericorum dicere debeat. Ordo quoquè, & modus psallendi in Choro prò solemnitate temporum: Ordinatio quoque prò luminaribus deportandis. Si quid etiam necessarium est prò reparatione Basilicarum, quæ sunt in urbe, ipse denuntiat Sacerdoti. Epistolas Episcopi prò diebus jejuniorum, parochianis per Ostiarios ipse dirigat. Clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distringat: quos verò emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem Episcopi deferat: basilicarios ipse constituat, & matriculam ipse disponat* (*f*). Agitur quoquè in Jure de Primiceriorum officio (*g*): Eorum tamen potestas à solâ consuetudinis, & proprii Episcopi largitate dependet. Ex his autem Primiceriatibus, qui alioquin sunt beneficia residentialia, & Choralia, aliqui alicubi sunt commendati, & cuncti possunt auctoritate Apostolicâ, & prò libito Papæ Clericis sęcularibus in Commendam concedi, sicque fieri per accidens beneficia merè simplicia, & in eodem statu postmodùm perdurare, vel in perpetuum, vel ad tempus, prò libito Commendantis.

(a) *Barbos. loc cit. cap. 9. n. 10. Engel. loc. cit p. 1. tit. 36. n. 1.*
(b) *Concil Emerit. cap. 10.*
(c) *Concil. Constantinopolit. sub Menn. Act. 5.*
(d) *Conc. Antioch. lectum in Conc. Chalced.*
(e) *Concil. Emerit. c. 10. Conc. Tolet. VIII. ubi subscribit Siculus Primicerius.*
(f) *S. Isid. epist. ad Laudefrid. c. perlectis 1. d. st. 25.*
(g) *Cap. Unic. de offic. Primicerii.*

19. *Thesaurariatus* insupèr inter beneficia sæcularia, & dignitates ecclesiasticas computatur, tametsi antiquitùs neutro potiretur honore (*h*). Apud Græcos appellatur nomine Cimeliarchæ (*i*), & alicubi cum Sacellario confunditur (*l*). Sacellarii autem meminit S. Gregorius (*m*), & Cimeliarchæ mentionem facit Synodus Mopsuestena (*n*). Sed vocis Thesaurarii, prout ecclesiasticum officium est, antiquiorem notitiam nostra mediocritas non invenit eâ, quam S. Isidorus Hispalensis suggerit, ex quo per Gratianum in Decretorum compilatione est inserta (*o*). In Decretalibus concludi videtur sub denominatione Sacristæ, de quo ibi agitur integro titulo peculiari (*p*). Porrò Thesaurario in Concilio Mediolanensi I. committitur, distributiones unicuique de Clero, prò servitii benemerentiâ, partiri (*q*), & in Concilio Coloniensi III. ei quorundam redituum ecclesiasticorum cura confertur, cum onere reddendi Capitulo rationem introitus, & exitus eorum (*r*). Tandèm dè munere Thesaurarii præfatus S. Isidorus Hispalensis hæc habet: *Ad Thesaurarium pertinet Basilicarii, & Ordinarii ordinatio, incensi cura, chrismatis cura conficiendi, baptisterii ordinandi, preparatio luminariorum in sacrario, preparatio sacrificii de his quæ imolanda sunt: ad eum veniunt de parochis prò chrismate: cereos, & oblationes altaris ipse accipit à populo: ipse colligit per Ecclesias cereos in festivitatibus. Ad eum pertinent ornamenta, & vestimenta altaris: quidquid in usu templi est, sub ejus ordinatione existit: Vela, & ornamenta Basilicarum, quę in Urbe sunt, & non habent presbyterum, ipse custodit. De Candelis autem, & cereolis quotidianis quidquid superest in Basilicis, Basilicarius per singulos menses huic deportat* (*s*). Thesaurariatus autem iste, non secus ac alia supradicta beneficia, potest in Commendam concedi, & alicubi fortè reperitur commendatum, atque ad statum beneficii merè simplicis redactum.

(h) *Barbos. de Canon. & Dignit. c. 7. n. 4.*
(i) *Idem Barbosa loc. cit. n. 3.*
(l) *Idem ubi suprà num 2.*
(m) *S. Gregor. lib. 4 epist 34.*
(n) *Apud Concil. Constantinop. II. Act 5*
(o) *Cap. perlectis 1. dist. 25.*
(p) *Cap. Unic. de off. Sacrist.*
(q) *Act. Eccl. Mediol. libr. 1. de offic. Thesaur. c. 1. seu Conc. Mediol. I. p. 2. tit. de off. Thesaur.*
(r) *Concil. Colon. III. tit. Censurę cap. 12.*
(s) *S. Isidor. lib. 2. de Eccles. offic. c. 11.*

20. Ulteriùs etiam *Scholasteriatus* in aliquâ Ecclesiâ est beneficium, & dignitas ecclesiastica, cui munus incumbit sacras scientias docendi, prouti Episcopo

ſcopo videbitur expedire; illeque, qui hoc beneficium poſſidet, dicitur Scholiarcha, tamquàm ſcholæ caput, & princeps (*a*). Frequens eſt hoc beneficium pręſertìm in Cathedralibus Hiſpanię, ac inter dignitates chorales computatur (*b*). Qui illud obtinet, debet omninò eſſe gradu doctoratus ornatus, ibique nuncupatur communi voce ſcholaſticus, ſeu ſcholæ magiſter, à ſcholâ, quâ Clerum docet, ac quam Concilium IV. Lateranenſe in unâquaque Cathedrali juſſit baberi, atque ſcholaſticum de prębendâ provideri (*c*). Hujus beneficii verò ullum reperimus monumentum in antiquioribus Eccleſię tabulis. Veruntamèn in Conciliis Bituricenſi, & Elnenſi, habitis undecimo Eccleſiæ ſæculo, ejus aliqua legitur indicatio (*d*). Noviſſimè autem Concilium Tridentinum, de illo dilucidius eſt locutum (*e*): & hoc quoquè poteſt in Commendam tradi, deputato aliquo, qui lectiones habeat, & ſcholaſteriale officium exerceat.

21. *Cantoratus* quoque, olim merum officium eccleſiaſticum, nùnc alicubi eſt beneficium peculiare, alicubi cum Primiceriatu confunditur; eſtque dignitas Choralis, quam qui poſſidet, dicitur aliquandò Præcentor (*f*): Et ordinariè Cantor, Pręcentor, & Primicerius, trinâ voce, unâ tamen ſignificatione ſunt idem (*g*). Ubi tamèn Cantoratus eſt diſtincta dignitas, illi incumbit diſtribuere lectiones, antiphonas, & prophetias, Chorum regere, ordinare tabellas, & functiones eccleſiaſticas ordine congruenti dirigere (*h*). Hocque paritèr beneficium poteſt prò Papæ arbitrio commendari, & ſic in beneficium merè ſimplex converti. Inſupèr *Manſionaria* eſt beneficium eccleſiaſticum, inter minora computatum, ſed chorale, vel aliàs reſidentiale. Manſionarium olìm idem fuiſſe, ac Eccleſię Cuſtodem, opinio eſt Panuini (*i*). Ordinariè ſignificat Clericum in ſervitio Chori impenſiùs permanentem: Cujus vocis recordatio eſt apud S. Gregorium in Dialogis (*l*), & in Concilio Chalcedonenſi (*m*). Ad Manſionarium olìm pertinebat Eccleſiæ fores aperire, & claudere: lampades accendere, & extinguere: ac alia facere, quæ nùnc Oſtiarii potiùs, & Sacriſtæ ſunt propria (*n*). Sed poſteaquam nomen hoc inferioribus Chori miniſtris eſt inditum, Manſionarii munus eſt, præcipuum pondus in ſervitio Chori ſubire, uti latè in Concilio I. Mediolanenſi notatur (*o*). Et hoc quoque beneficium, tametſi reſidentiale, atque Chorale, poteſt in Commendam tradi, & ad ſtatum beneficii merè ſimplicis revocari.

22. Ad bæc etiam *Canonicatus* eſt eccleſiaſticum beneficium, ubilibet notiſſimum, cujus nomen primò emerſiſſe videtur in Concilio Laodiceno anno 395. celebrato (*p*). Concilium quoque Arvernenſe habitum anno 541. individuè memorat Presbyteros, & Diaconos, Canonicos (*q*). Canonicorum origo inde probabilitèr provenit, quod olìm Clerici Eccleſiæ deſervientes, ejuſdem tabellę, ſive Canoni reperiebantur inſcripti (*r*), quam Canones Apoſtolorum vocant *Catalogum* (*s*), S. Baſilius *Inſcriptionem* nominat (*t*), S. Sidonius Apollinaris *Album* (*u*), & Concilium Agathenſe *Matriculam* (*x*), cujus vi ſportulas, & ſtipendia ab Eccleſiâ percipiebant, unde à Canone Canonici dicti ſunt: alluditque Concilium Aurelianenſe III. dicens: *inter reliquos Canonicos Clericos, ne hac licentiâ alii vitientur, nullatenùs habeantur, neque ex rebus eccleſiaſticis, cum Canonicis ſtipendia, aut munera ulla percipiant* (*y*). Profectò Clerici, Eccleſiæ ſervitio peculiaritèr mancipati, de Canone illius eſſe cenſentur, & tamquàm *de Canone*, ſeu *in Canone* nominantur à Concilio Chalcedonenſi (*z*), atque à Synodis Antiochenâ, & Nicænâ (*aa*). Undè Canonici, à Canone dicti ſunt. Vel forte melius, taliter ſunt appellati, quia magis obſervantes Canonum eſſe debent, & profiteri ſe velle ſecundum Canones vitam ducere, quâ de rè Ivo Carnotenſis, *Canonici appellati eſtis, quod Canonicas regulas vos velle obſervare arctiùs devoviſtis* (*bb*).

23. Uſque à tempore nàmque primitivę Eccleſię, & pręſertìm S. Auguſtini Clerici religioſiores, Canonum obſervantiores erant; & junctìm in communi

(a) *Du Martier Etymol. Græcolat. Verb. Scholarcha.*
(b) *Barboſa de Canon. cap. 10.*
(c) *Concil. IV. Lateran. cap. 11.*
(d) *Concil. Bitur. ann 1031. c. 7 Concil. Elnen. c. 9.*
(e) *Concil. Trident. ſeſ. 23. c. 18. de refor. §. Deindè.*
(f) *Cap. cum olim de Conſuetud.*
(g) *Barboſ. de Canon. c. 9. n. 10.*
(h) *S. Congreg. in Hidrũt 6. Decẽb. 1613. Barboſ. loc. cit. n. 13.*
(i) *Panuin. de interpret. voc obſcur. Eccl.*
(l) *S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 25.*
(m) *Concil Chalced. cap. 2.*
(n) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl diſcipl. p. 1. l. 2. c. 3. n. 15.*
(o) *Concil. Mediol I. p. 2. tit. de Off. Manſionarii.*
(p) *Conc. Laodicen. ann. 395. n. 15.*
(q) *Conc. Arvern. ann 541. c. 14.*
(r) *Cap. Sanctorum 2. diſt. 70. §. Omninò Thomaſſin. p. 1. l. 3. c. 8. num. 4.*
(s) *Canon. Apoſtolor. 17 & 51.*
(t) *S. Baſil. epiſt. ad Corepiſcopos.*
(u) *Sidonius Apol. lib. 6 epiſt. 8.*
(x) *Concil. Agathenſ. can. 2.*
(y) *Concil. Aurelian. III. c. 11.*
(z) *Concil. Chalced. cap. 2.*
(aa) *Concil. Antiochen. c. 2. & 6. Concil. Nicæn I. c. 16.*
(bb) *Ivo Carnotenſ. epiſt. 203.*

Claustro, ad communem mensam cum Episcopo convivebant (*a*): Quam vivendi normam à Canonicis ubilibet observari, crebrò fategit Ecclesia, Canones in pluribus Conciliis hâc de rè sanciens (*b*): Undè Canonici ab observantiâ Canonum, & à Canonicâ vivendi formâ dicti esse videntur (*c*). Utcumque res se habeat, Canonicatus est beneficium ecclesiasticum Cleri sæcularis: & ex Concilio Claromontano Canonicam habere idem est ac beneficium ecclesiasticum possidere (*d*). Canonicatus autem, tametsi onus præseferant psallendi in Choro, aliasque sacras functiones in Ecclesiis Collegiatis, vel Cathedralibus exercendi personalitèr, adeòque sint beneficia residentialia; nihilominùs nedùm antiquis temporibus, sed etiam nostrâ ætate in pluribus locis commendantur, & præsertìm in Germaniâ, ubi aliqui sunt Clerici plures insimul Canonicatus in diversis Cathedralibus retinentes, quorum alios in titulum, alios possident in Commendam, Ecclesiæ utilitate sic fieri deposcente: quapropter in dubium revocari non potest quin Canonicatus ipsi, prout suprà commendati, eorundem Commendâ durante, sint redacti ad statum beneficiorum merè simplicium, & prò talibus reputentur. Servatâ nihilominùs, tàm in ipsis Canonicatibus, quàm in suprà memoratis dignitatibus, sè quas commendari contingat, peculiari uniuscumque Ecclesiæ stylo, vel statutis legitimis, aut formula verborum, sub quibus commendatæ sunt, ut sciatur quot, & qualibus juribus, & prærogativis Commendatarius frui debeat: non enim hac de rè dari potest regula generalis.

24. *Parochia* tandèm, seu Cura Animarum, est beneficium ecclesiasticum, Clericis sæcularibus dari solitum à Paræciâ dictum, qua significatur accolarum conventus, seu habitatio, aut cura (*e*). Quandonam incæperint in Ecclesiâ hujusmodi parochiæ, non est facile definire. Christianus Lupus, hanc rem attingens, ait; *quod S. Marcus Evangelista omnem Ægyptum in Episcopatus, ac parochias diviserit, & quovis in agro Ecclesiam ad celebranda Divina erexerit, testatur ex Philone Judæo Eusebius Episcopus Cæsariensis. Quod semper in Civitatibus Episcopi: Presbyteri, ac Diaconi Ecclesias in agris rexerint, liquet ex literis Synodi Antiochenæ adversus Paulum Samosatensem* (*f*). Dionysius Papa de sè scribens profitetur, *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, & cæmeteria eis divisimus &c.* (*g*): ubi cum non voce *Sacerdotum* utatur, quæ tàm Episcopis, quàm Presbyteris est communis (*h*), tametsi de parochiis loquatur, quæ aliquandò diœceses significant (*i*), patet quod non de diœcesibus intelligit, sed de inferioribus parochiis: nec enim diœceses Presbyteris assignasset. Parochias, seu plebes earum memorat Chronicon Flavii Dextri sub anno Christi 255. quod genuinum esse totis nervis contendit Franciscus Bivarus (*l*). Parochiarum quoque fit mentio in Concilio Ancyrano anno Christi 314. (*m*). Et D. Augustinus nominat Praræciam Calamensis Ecclesiæ (*n*). Arrium notissimum Hæreticum fuisse parochum, & rectorem Ecclesiæ Bacaulensis apud Alexandriam D. Epiphanius indigitat (*o*). Adeò antiqua est origo, distinctio, & denominatio parochialium Ecclesiarum: tametsi parochia in antiquis non semel Diœcesim significet.

25. Certè utplurimùm, & universalitèr loquendo, ab initio in totâ diœcesi una tantùm erat Ecclesia, nempè Cathedralis, ad quam omnes conveniebant prò Sacramentis sumendis, & sacris Mysteriis peragendis (*p*), & ibi non solùm Civitatis incolæ, sed etiàm alii per agros commorantes, festis diebus confluebant (*q*). Verum successivè prò commoditate populorum, latè invaluit institutio parochiarum (*r*), quæ multiplicari cœperunt, tàm in ipsis Civitatibus juxtà congruentiam numeri Animarum, quam in oppidis, & pagis, atque villis (*s*), ibi præsertìm ubi Magnates, & divites habebant Oratoria, atque minores Ecclesias (*t*), in quibus sacra Mysteria celebrari, Sacramenta ministrari, & sacræ functiones exerceri consueverunt. Alii censent hanc Parochiarum divisionem fuisse factam tempore Apostolorum (*u*). Ex his autèm Ecclesiis Parochialibus,

quæ

(a) *S. August. Serm. 2. de com vit. Cler.*

(b) *Concil. Mogunt. c. 9. Conc. Roman. sub Eugen. II. c. 7. & sub Leon. IV relat in cap. necessaria 3. caus. 12. qu. 1. Conc. Roman. ann. 1059. sub Nicolao II. & ann. 1063. sub Alexand. II. Greg. VII. l. 6. epist. 11.*

(c) *Vid. Barbos. de Canonic. cap. 1. n. 1. 2. 3.*

(d) *Concil. Claromontanum c. 9.*

(e) *Barbos. de Parochb. p. 1. c. 1. n. 15.*

(f) *Lupus in Can. 6. Conc. Chalcedon.*

(g) *Cap. Ecclesiast. 1. caus. 13. qu. 1.*

(h) *Dominic. Magri Vocab. Eccles. Verb. Sacerdos.*

(i) *Du-Mortier Etymol. Græcol. Verb. Paræcia, & V. Diœcesis*

(l) *Leg Flav. Dext. Chron. ann. 255 & ibi Bivar f. 281. § Quod.*

(m) *Concil. Ancyran. ann. 314. c. 12.*

(n) *S. August. de Civit. Dei lib. 14.*

(o) *S. Epiphan. hæres. 69 lib 2. to 2. Vid. supr. tom. 1. sæcul. 4. cap 8 n. 14.*

(p) *Thomassin. vet. & nov. Eccles. discipl. p. 3. l. 2. c. 7. n. 2.*

(q) *Idem p. 1. l. 2. c. 21 num 2.*

(r) *Thomassin. loco cit. p. 1. l. 2. c. 22 n. 9.*

(s) *Suarez de Relig. tom. 1. de Decim. l. 1. cap. 21. à n. 4. Lotter de re benef. l. 1. qu. 5. n. 18.*

(t) *Thomassin p. 1. l. 2. c. 94. n. 4.*

(u) *Barbos. de Paroch. p. 1. c. 1. n. 18. in fin.*

quæ ex sui naturâ à Clericis sæcularibus regi debent, per varios rerum casus plurimæ, cum earum reditibus, ad Monachos pervenerunt (*a*) iis commendatæ, vel aliter in perpetuum traditæ, factæque sunt beneficia regularia (*b*). Quemadmodùm verò Monachis commendari, ità & Clericis sæcularibus in Commendam etiam perpetuam dari potuisse, ac in dies posse nulli dubium est, & ità in beneficia merè simplicia transire, deputato Vicario, sive Capellano perpetuo, vel ammovibili, qui regimini Ecclesiæ, ac animarum curæ incumbat, & in Ecclesiis ipsis sacras functiones exerceat. Hujusmodi tamèn Commendis sacri Canones enixè resistunt (*c*). Undè non nisi ex urgentissimâ causâ fieri debere, certò certiùs habeantur.

26. Supersunt *Capellaniæ*, quæ quoties sint Præsulis ecclesiastici auctoritate fundatæ, ac in titulum, & essentiam beneficii collativi erectæ, inter beneficia ecclesiastica computantur (*d*). Et si possessoribus earum incumbat onus celebrandi per sè aliquas missas, vel choro interessendi, vel alias functiones pias personalitèr in aliquâ locali Ecclesiâ exercendi, vel adjutorium parocho præbendi in ministerio curæ animarum &c. sunt beneficia residentialia (*e*). Extrà hos casus, etiam si Capellanus habeat onus missarum, & in fundatione dicatur, quod Rector Capellaniæ tot missas celebrat; adhùc beneficium illud non est residentiale, sed merè simplex, potestque Capellanus illi oneri satisfacere per alium (*f*). Nèc valet Antistes illum compellere ad residentiam ratione ipsius Capellaniæ, neque ad personalitèr celebrandum (*g*). Sed quatenùs ipsæ Capellaniç alicubi sint onere personali affectç, ac residentiales possunt & ipsæ in Commendam, sive perpetuam, sive temporaneam à Papâ concedi, subrogato Clerico sçculari, qui earum onera, & munera exequatur. Et ità hæ quoquè, non secus ac cœtera beneficia residentialia, cujuscumque nominis nuncupentur, verti possunt, per viam Commendç, in beneficia merè simplicia.

(a) *Cap. in Ecclesiis 1. de Capel. Monach. cap. sanè 6. caus. 16. qu 2. Thomassin. p. 1. l. 2 cap. 25. n 9. & p. 2. l. 3 cap. 36. n 6.*

(b) *Engel. Colleg jur. Can. p. 2. l. 3. tit. 14. n. 4.*

(c) *Thomassin. loc. cit. p. 2. l 3. c. 19 n. 8. & 9.*

(d) *Perez de Lara de Capellaniis. Barbos. jur. Eccl. Univ. l. 3. c. 5 num. 20. cum pluribus ab eo allegatis.*

(e) *Zerola prax. Episcopor. par. 1. Ver. beneficia §. 1. vers. 3: Barbos. ubi supr. n. 25.*

(f) *Gonzal. ad reg 8. Canc. Glos. 5. n. 72. 80. & 83.*

(g) *Barbos. de off. Episcopi p. 2. alleg. 24. n. 29. & Jur. Eccl. l. 3. cap. 5. n. 30.*



CAPUT VII.

In quo ponderatur, an rè verâ dari debeat, & detur differentia intèr beneficia Residentialia, & merè simplicia. Eamque dari ostenditur Rationibus Scripturalibus, *ac* Theologicis, *atquè* Legalibus.

SUMMARIUM.

1 *Beneficia vel sunt Curata, vel simplicia. Curata vel habent jurisdictionem in solo foro interno, vel etiàm in externo. Simplicia vel sunt servitoria, vel non.*

2 *Omissis tot divisionibus, & subdivisionibus, nos probamus dari à parte rei beneficia merè simplicia, à residentialibus distincta.*

3 *Ecclesia Synagogæ successit. Beneficia succedunt oblationibus, & decimis antiquæ legis, ex quibus Sacerdotes, & Levitæ vivebant. Quodnam esset eorum officium.*

4 *Levitæ, ac Sacerdotes erant per totum Orbem dispersi, poterantque omnes ministrare in Templo per suas vices, non tamèn tenebantur.*

5 *Ex D. Paulo, & Gregorio Ecclesia est ad modum humani corporis, in quo multa membra sunt ejusdem naturæ, sed non ejusdem conditionis.*

6 *Sicut ex membris humanis alia pertinent ad necessitatem, alia ad integritatem; ità idem est de beneficiis in corpore mystico Ecclesiæ.*

7 *S. Thomas quærens, an liceat tenere duas præbendas, beneficia merè simplicia dari fatetur, à residentialibus distincta.*

8 *Consuetudo leges abrogat, & prò lege deservit. Ad consuetudinem autem refertur, quod beneficia merè simplicia non exigant onus residentiæ.*

9 *Alibi D. Thomas verbis disertissimis distinguit intèr præbendam, quæ exigit residentiam, & eam cujus onus potest adimpleri per alium.*

10 *Differunt etiam beneficia merè simplicia à residentialibus, quod hæc, & præsertìm curata debent conferri digniori, non verò illa.*

11 *Theologi exigentes dignioritatem in suscepturo beneficium, fatentur differentiam vertentem inter beneficia residentialia, & merè simplicia.*

12 *Possidens alibi beneficium fit ibi Civis. Si beneficium est residentiale, contrahit ibi etiam domicilium. Si habet beneficium merè simplex, sortitur ibi forum.*

13 *Ex cap. gratia de rescriptis in 6. fit manifestum, dari beneficia merè simplicia, distincta à residentialibus, estque antiqua hæc distinctio.*

14 *Itèm ex cap. quià per ambitiosam de rescriptis in 6. habetur distinctio inter exemptionem ab onere residentiæ concessam beneficio, & concessam Clerico.*

15 *Paritèr ex cap. Clericos de Cleric. non resident. deducitur distinctio inter beneficia residentialia, & merè simplicia.*

16 *Collectio Canonum facta à Dionysio Exiguo, à Burchardo, Ivone, & aliis non habet vim Juris: multò minùs illa quam fecit Justellus.*

17 *Cum ex Decretalibus probata sit distinctio beneficiorum merè simplicium à residentialibus, perperàm dicitur eam antiquo Juri fuisse ignotam.*

18 *Velle antiqua Jura integrè restituere, & nova abolere, est omnia confundere. Dicta distinctio fuit cognita etiàm antiquis Conciliis.*

19 *Si*

19 *Si beneficia merè simplicia non erant antè Gregorium IX., ergò fundata sunt post ejus ætatem; potuitque illis tolli onus residentiæ.*

20 *Olim erant solę Regulæ S. Basilii, & Benedicti prò Monachis: posteà supervenerunt alii Ordines Mendicantium: indè alii Clericorum Regularium.*

21 *Potuit Ecclesia instituere novam speciem beneficiorum merè simplicium, si anteà non fuissent. Nec est alligata manus Papæ, quià possit beneficia commendare.*

22 *Si erant antè Gregorium IX. beneficia merè simplicia, sed deerat eorum vox; lis erit de nomine. Olim* Homousion, *&* Theotocon, *erant voces ignotæ.*

23 *Idem evenit in Dictionibus* Theandrica, & Transubstantiatio. *Aliæ quoquè voces Theologicæ nùnc satis usuales, aliquandò erant ignotæ.*

24 *Olim* Antipodes *esse negabant gravissimi Auctores, & Patres, tamèn post detectas Indias à Columbo, quis eos negare audeat.*

25 *Festum Conceptionis B. Virginis olim celebrabatur sub nomine Sanctificationis. D. Bernardus Canonicos Lugdunenses increpavit, quod uterentur voce Conceptionis.*

1. DIVIDI solent à Doctoribus Ecclesiastica Beneficia, quod alia sint *Secularia*, & alia *Regularia*: de quâ divisione jàm suprà sermo habitus est. Sæcularia deindè sic subdividuntur, quod alia sint *Curata*, alia verò *Simplicia*. Beneficia *Curata* illa esse dicuntur, quæ habent populum, curamque animarum, quibus spiritualitèr præsunt. Beneficia verò *Simplicia* esse illa, quę neutrum habent, & carent utroque. Rursùs Beneficia *Curata* subdividuntur, quod alia curam habeant animarum cum potestate coactivâ quoàd forum externum (*a*), qualia sunt beneficia jurisdictionalia, nempè Papatus, Cardinalatus, Episcopatus, Abbatia, & alia quocumque nomine nuncupentur, beneficia ecclesiastica, jurisdictionem in foro fori exercentia. Alia verò curam habent animarum cum solâ jurisdictione quoàd forum internum, & sunt Parochiæ, Plebanatus, Vicariæ perpetuæ &c. habentes populum, quoàd animam dirigendum (*b*). Itidèm Beneficia *Simplicia*, Populo, Clero, & animarum curâ carentia, quas regant (*c*), bifariam dividuntur; alia sunt *Simplicia servitoria*, alia verò *merè simplicia*. Illa, quæ dicuntur Simplicia servitoria, sunt ea, quæ personalem servitutem secum ferunt, uti Missas per se celebrandi, Choro personalitèr deserviendi &c. (*d*), sub hisque comprehenduntur Canonicatus, & Dignitates in Collegiatis, vel Cathedralibus existentes, Mansionarię, Capellanię, Portiones, & alia si quæ sunt beneficia, quocumque titulo nuncupata, personali onere adstricta. Beneficia verò *merè simplicia* sunt illa, quæ omni personalis obsequii debito carent, & sunt vel omninò libera, vel talis servitii pondere advincta, quod possit per alium facultativè suppleri.

(a) *Reginald. Prax for. pœnit. lib. 19. n. 82.*

(b) *Engel. Colleg. jur. Canon. p. 1. l. 3. tit. 15. n. 5.*

(c) *Perez de Lara de Capellaniis l. 2. c. 7. num. 8.*

(d) *Idem loc. cit. n. 9. & 10.*

2. Has Beneficiorum divisiones nos optimas judicamus; Veruntamèn ad evitandam confusionem, quam tot divisiones, & subdivisiones secum afferre possent intentui nostro; pro eo quod concernit hunc tractatum, unicâ divisione hùcusque usi fumus, & per totum decursum præsentis Operis utemur; nempè, quod beneficia ecclesiastica alia sunt *Residentialia*, alia verò *merè Simplicia*. Et cum, ut ab initio adnotavimus, Contradictores contendant nullum dari beneficium merè simplex, omni personali onere denudatum, adeòque cuncta beneficia esse residentialia, nullâque esse merè simplicia; nùnc probandum est, utraque verè dari à parte rei, ac rè verâ intercedere differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia. Hoc autèm multis rationibus probabimus, ut elucescat, hanc differentiam non esse aeream, nequè captiosam, sed subsistentem, ac realem, perperàmque ab eisdem Contradictoribus illam impugnari, ut Cardinales,

nales, & Prelatos, atque alios, in servitio Romanæ Ecclesiæ laborantes, (idemque dicas de aliis in obsequio Principum, aut alibi commorantibus), vel ab iisdem beneficiis merè simplicibus excludant, vel non exclusos, ad residendum adigant apud Ecclesias, in quibus erecta sunt ipsamet beneficia. De immunitate illorum, qui hujusmodi beneficia possident, ab onere personalis residentię, inferiùs ex proposito disseremus; nùnc, ut innuimus, de solâ tractamus differentiâ, quę inter ipsa beneficia merè simplicia, & alia residentialia intercedit, eamque rè verâ dari contendimus.

3. Et primò eandem differentiam debere dari, probamus Rationibus *Scripturalibus*, hoc modo: Sacerdotes, & Levitæ antiquæ legis, tropologicè statum Clericorum novę legis signabant (*a*), & Synagogæ, ac Templo Judæorum, Ecclesia Christianorum successit (*b*). Supràque ostendimus originem beneficiorum ad oblationes, decimas, & primitias referri, quas lex Mosaica viris Leviticæ Tribus porrigendas esse sanciebat (*c*). Porrò in veteri Testamento Ministri Synagogæ fuerunt trifariam distributi, nempè in Pontificem, Sacerdotes, & Levitas (*d*): omnes de Leviticâ Tribu; omnes speciali ritu consecratos, ac Dei servitio deputatos (*e*): omnesque instructos præbendis, seu beneficiis, ut ità dicamus, ecclesiasticis, quatenùs omnes vivebant de proventibus, quos eis lex Mosaica destinaverat. *Sacerdotum* officium erat offerre victimas, & sacrificia (*f*). *Levitarum* munus erat Sacerdotibus sacrificantibus ministrare (*g*). *Pontificis* verò partes, præter id, quod commune habebat cum aliis Sacerdotibus, in potestate offerrendi victimas, & sacrificia super altari holocausti; erat ingredi semel in anno in Sanctâ Sanctorum: In controversiis fidei proferre sententiam: In rebus majoris momenti Deum consulere: Sacerdotes tandem, & Levitas ritu descripto in Exodo consecrare (*h*). Verùm Sacerdotes ipsi, ac Levitæ non omnes, sed perpauci in Templo actualitèr ministrabant: quinimò & nec eis poterant ibi commodè ministrare; quandòquidem inter se vivebant longè divulsi, & à Templo valdè distantes: nàm ex 48. Civitatibus, quæ Tribui Leviticæ à Josuè jussu Dei ad habitandum sunt datæ (*i*), solæ tredecim sunt Sacerdotibus consignatæ, & reliquæ trigintaquinque traditæ fuerunt Levitis (*l*). Separatìm igitùr, & in longè distantibus Urbibus vivebant Sacerdotes, ac habitarent Levitæ: ergò ipsimet Sacerdotes, & Levitę, non omnes, saltem ex debito, sed illi soli, qui erant propiores Urbi Hierusalem, vel in eâ actualiter permanebant, de facto in Templo Domini ministrabant, & ministrare obligati erant, ut semper adessent aliqui huic officio exercendo actualitèr incumbentes. Alii verò longè morantes, poterant, si volebant, ad Templum accedere, ac ibidem ipsi quoquè ministrare; non semper tamen, sed determinatis temporibus, & vicibus, ut omnis confusio excluderetur, & ne contingeret, quod aliquandò nimia eorum copia vellet ibidem Levitali, aut Sacerdotali officio perfungi.

4. Sanè viri ordinis Levitici per totam Palęstinam distributi erant (*m*), ac etiam alibi per Europam, Asiam, & alia loca, mercaturę, atque aliis lucris incumbentes, cum cœteris Hebræis, qui per varias orbis partes consistebant, & ut ait Philo, *totum penè orbem passim incolebant* (*n*). Ipsi verò Levitici ordinis viri ad numerum 120. millium ascendebant, qui erant distributi in 24. Ephemerias, seu Classes, & Turmas, quarum unaquæque continebat quinque millia hominum (*o*), & distribuebantur per hebdomadas quantum ad ministerium Templi (*p*). Adeòque quotidiè, ac qualibet hebdomandâ saltèm 2300. Sacerdotes, & Levitæ, in Templo poterant ministrare, præter illos, qui habebant lares in Hierusalem, vel qui etiam extrà tempus vicis suæ volebant ad uberiorem devotionem ministrare (*q*). Videtur autèm improbabile, quod adeò immensus numerus Sacerdotum, & Levitarum quotidiè in Templo ministrarent. Præterea Levitæ illi, ac Sacerdotes, qui longè à Hierusalem distabant, & qui hùc illùc per Asiam, Europam, & alibi, consistebant (*r*), improbabile est, quod

Tem-

(a) *Hug. Card. in Deuter. 18. 8 § excepta.*
(b) *S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 4. ad 3.*
(c) *Vid. hic suprà c. 1. n. 1. 4 & seq.*
(d) *Vide Beccan. Analog. vet. Test. c. 7.*
(e) *Exodi 29. Levit. 8. Num. 8.*
(f) *Martin. Beccan. loc. cit. c. 7 n 2.*
(g) *Idem loco citat.*
(h) *Beccan. Analog. vet. Test. c. 7. qu. 4.*
(i) *Numeri c. 35. n. 1 Josuè c. 21. n. 19.*
(l) *Josuè loco citata Beccan. ubi suprà to 3 opus. 7 & . 6. & loco cit. cap. 7. qu. 6.*
(m) *Hugo Card. in Deuter. c. 18. n. 6.*
(n) *Philo de Legation. ad Cajum.*
(o) *Paralip. c. 24. Joseph. l. 2. con. Appion. P.*
(p) *Vid. Sigo. de Repub. Hebræ. l. 5. c. 2. Borelsum decis. tom. 2. tit. 7. num. 2.*
(q) *Vide suprà to. 3. c. 2. n. 25.*
(r) *Villalpand. in Ezech. to. 2. p. 2. disp. 1. cap. 58.*

Templum adirent in ordine vicis suę, ut ibi Domino ministrarent, propter magnam distantiam. Quarè dicendum videtur, quod omnes quidem Sacerdotes, & Levitæ possent, si vellent, ad Templum properare, & ibi ordinatìm juxtà suas ephemerias ministrare; tamèn si nollent, ad id non tenerentur. Multi ergò ex his Levitici ordinis viris Templum non adibant, nequè ibi personalitèr ministrabant, & tamen Levitici ministerii fructum, & beneficium sui officii possidebant, preces Deo effundentes, eleemosynas erogantes &c. in locis, ubi actualitèr permanebant. Quid nos colligimus ex his? Colligimus primò, quod in lege Mosaicâ fuit differentia inter Sacerdotes, & Levitas, ac inter ministerium utrorumque; ac per consequens fuit etiam differentia inter præbendas eorum, sic ut prębendæ Sacerdotum, qui sacrificiis operam dabant, differrent à præbendis Levitarum, & præsertim illorum, qui tametsi possent Sacerdotibus in Templo ministrare (*a*), tamèn de facto id non agebant. Colligimus secundò, quod cum Synagoga fuerit, uti diximus, figura Ecclesiæ, tàm in sensu Scripturalium (*b*), quàm in opinione Theologorum (*c*). Ministeria quoquè sacra illius fuerunt figura ipsius. Et sicut in veteri Testamento dabantur præbendę Levitarum, & Sacerdotum, nec Templo, à quo longè morabantur, neque sacrificiis actualitèr ministrantium, quæ per consequens non erant prębendę servitorię, neque residentiales, nec ullà personalis servitii obligatione gravatæ, sed merè simplices, ac pertinentes ad eos ex ipsâ solâ professione, statu, & conditione suę dignitatis, & ordinis, tamquàm Deo in officio Levitico dedicatos, tametsi ob distentiam Templo non actualitèr ministrarent; adeòque illorum præbendæ erant aliquo modo differentes, atque diversę à prębendis Sacerdotalibus, ac Leviticis, & à beneficiis eorum, qui sacrificiis, & victimis offerendis actualitèr incumbebant; sic & in novo Testamento dari debent, atque dantur de facto prębendę, ac beneficia merè simplicia, nullâ personalis servitii obligatione onerata. Sed de hâc rè infrà fusiùs redibit sermo (*d*).

(a) *Deuter. c. 18. n. 6*
(b) *Cornel. à Lapid. in Ezech. 2. 5 6. Aquila.*
(c) *S. Thomas 1. 2 qu. 102. art. 4. Beccan. Analog. vet. Test. cap. 6 qu. 3.*
(d) *Vid. infrà in hoc tom. c. 9. à n. 1. ad 10.*

5. Aliâ quoquè ratione idipsum suaderi potest, petitâ ex textu D. Pauli ad Romanos scribentis, *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autèm membra non eundem actum habent, ità multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (*e*). Quâ analogiâ corporis humani Apostolus describit Ecclesiam, & ex diversitate membrorum corporis humani, diversitatem Ministrorum Ecclesiæ peregregiè repræsentat: huncque textum expressissimis verbis S. Gregorius adaptat eidem Ecclesię, sic dicens: *Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autèm membra non eundem actum habent; ità in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam, in uno, codemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud &c.* (*f*). Corpus ergò mysticum Ecclesię, ex pluribus membris compactum est. Veruntamèn adnotetur, quod licèt cuncta hominis membra sint membra corporis sui, non tamen omnia sunt ejusdem necessitatis, nequè dignitatis. Et ità caput, pectus, cor, venter, os, oculi, manus, brachia, crura, & similia, sunt vel omnia, vel ferè omnia humano corpori necessaria: Non sic autèm pedum digiti, ungues, cartilagines, palpebrę &c. quippè qui non sunt ipsius corporis necessarię partes, sed integrales. Itàque membra humana alia pertinent ad necessitatem corporis, alia ad illius integritatem: seu, ut ait Sanctus Gregorius, alia ad robur corporis, alia ad illius pulchritudinem spectant: *Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat; ità varietas personarum per diversa nihilominùs officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Dei Ecclesiæ manifestat* (*g*).

(e) *Romanorum cap. 12. n. 4.*
(f) *S. Greg. relat in cap singula 1. dist. 89.*
(g) *S. Greg. loc. cit.*

6. Ergò, inhęrendo analogiæ præfatæ D. Gregorii, Beneficiarii, & beneficia ecclesiastica, quæ sunt veluti membra corporis Ecclesiæ, alia pertinent ad necessitatem, alia ad integritatem ipsius corporis: sive alia ad robur corporis

eccle-

ecclesiastici spectant, alia ad ejusdem pulchritudinem. Beneficia Curata, Servitoria, & Residentialia, pertinent ad necessitatem, & robur corporis Ecclesiæ, quià Ecclesia sine illis stare non posset, vel respectivè non posset nisi ægrè consistere. Beneficia verò merè simplicia spectant ad Ecclesiæ integritatem, quià hæc sine ipsis adhùc posset consistere, sed nihilominùs bonum est illa adesse, quià Ecclesia Beneficiariis, & beneficiis merè simplicibus decorata, valdè coruscat, splendescit, & honore rutilat integrali. Datur ergò, & debet dari differentia inter beneficia residentialia, & merè simplicia, talis, ac tanta, quanta intercedit inter membra corporis necessaria, & integralia. Super hâc ratione vim ulteriorem non facimus; quià tamquàm similitudinaria, & analogica ex se efficacitèr non concludit: Juncta nihilominùs aliis suum sufficientèr producit effectum.

7. Probatur itidèm idem assumptum Rationibus *Theologicis* hoc modo. Quærit Angelicus Divus Thomas, an sit licitum habere plures præbendas, curâ animarum carentes, absque dispensatione: & rè argumentis hinc indè propositis discussâ, atque attentiùs ventilatâ; concludit, idesse licitum, hac præsertim ratione, quod licet retinere plures præbendas, *aliquas inordinationes contineat; tamèn aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ità honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totalitèr evacuentur* (a). Ex quo patet, quod sanctus Doctor optimè distinxit inter beneficia Curata, & beneficia merè simplicia, hæcque ab illis valde differre cognovit: Movet enim illam quæstionem directè ad beneficia merè simplicia, nullam obligationem residentiæ involventia, & nullius personalis servitii onere adstricta: non verò agit ibi de beneficiis simplicibus residentialibus, nempè de Canonicatibus, Mansionariis &c. Siquidèm in Argumento, sed contrà, adducit prò ratione suæ responsionis hasce periodos: *illud, quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesiâ sustinendum; sed Ecclesia sustinet, ut aliqui communitèr habeant duas præbendas, ergò in hoc non est periculum peccati mortalis* (b). Igitùr D. Thomas loquitur de illis beneficiis, quorum pluralitatem Ecclesia sustinet posse insimul retineri: hæc autèm sunt beneficia merè simplicia. Ulteriùs ipse S. Thomas in titulo articulis, quærit de beneficiis non curatis, quæ retineri valent insimul absque dispensatione. Sed beneficia non curata, quæ insimul retineri possunt absque dispensatione, sunt beneficia merè simplicia: item beneficia, quorum pluralitatem Ecclesia sustinet posse retineri, sunt beneficia merè simplicia, ergò D. Thomas agnovit utraque beneficia, tum Curata, & Residentialia, tùm merè Simplicia: & inter ea differentiam ostendit notabilem intercedere.

(a) *S. Thom quodl. 9. art. 15.*

(b) *S. Thom. loco cit.*

8. Præterea D. Thomas allegat prò ratione retinendi plures præbendas, consuetudinem, per quam Jura probibentia illarum pluralitatem, sunt abrogata: cujus quidem consuetudinis quanta sit vis, nemini non est notum: eamque certum est licitè posse leges abrogare (c), cum sit altera natura (d), & altera lex, seu jus non scriptum, inductum ex tacito usu illorum, qui habent facultatem condendi legem (e). Hæc autèm ratio consuetudinis, si probat pro beneficiis simplicibus, residentialibus, & servitoriis, quemadmodum sunt Canonicatus, Mansionariæ &c. multò magis probat prò beneficiis merè simplicibus. Prouti de facto plures Theologi, & præsertìm Valentia, Sotus, Navarrus, & alii (f), ad probandum, quod aliquis possit possidere plura beneficia merè simplicia, utuntur prædictâ ratione, ex D. Thomâ desumptâ; ergò tàm ipse S. Doctor, quàm Theologi cum illo, fatentur verè dari differentiam inter beneficia curata, & residentialia, ac beneficia merè simplicia.

(c) *Faguan. in cap. utrum n. 13. de Cognat. Spiritual. lib. 4.*

(d) *Surd. de alim. tr. 1. tit. 1. nu. 7. Barb. in repert. pract. Conclus. V. Consuetudo.*

(e) *Card. de Luc. de Dot. disc. 1. n. 25. & de Jurisd. disc. 34. n. 29.*

(f) *Valent. to. 2. disp. 5. q. 7 pun. 2 §. 4. Vers. quarta. Sot. de Just. & Jur. l. 3 q. 6. art. 1. Navar. in manual. cap. 25. num. 128.*

9. Clariùs adhùc hanc distinctionem patefacit alibi D. Thomas, docens, quod Beneficiarius, præter obligationem, quam debet Deo, laudes divinas persolvendi, debet etiam aliquid Ecclesiæ, & hoc *debet exsolvere, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam: vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum*

dum Ecclesię statum, ac consuetudinem (*a*). Vide ergò quam dilucidè distinguat D. Thomas beneficia residentialia, à merè simplicibus, quorum onus potest per Vicarium, sive Substitutum adimpleri. Ex hisque patet quam insubsistens sit Contradictorum locutio, quâ impavidè affirmant, quod distinctiones inter beneficia compatibilia, & incompatibilia: residentialia, & simplicia, seu merè simplicia, sunt nova theologia, & distinctiones antiquitati prorsùs incognitæ, atque inauditæ, solumque delicato præsentium temporum palato, & luxui accommodatæ. Hę sunt distinctiones antiquæ, & antiquissimę, Theologorum Apici Sancto Thomæ cognitæ, & à Theologorum ingenti profluvio approbatę, quas temerarium est carpere, & vel improvido rigore, vel affectu politico vellicare, subobtentu observantiæ sacrorum Canonum, si qui sunt ad hoc facientes, qui contrariâ Ecclesiæ praxi, & legitimâ, ac plusquàm prescriptâ consuetudine sunt abrogati. Quinimò cum communis Theologorum opinio, constanti Ecclesię praxi coherens, defendat distinctionem, sive differentiam, vertentem inter beneficia compatibilia, & incompatibilia; inter simplicia residentialia, & merè simplicia; velle nùnc istas differentias impugnare idem est ac Ecclesiam de errore notabilissimo criminari, quod comminisci est quid impertinens, ac temerarium; & pertinacitèr proferre, est evidentèr hæreticum.

(a) S.Thom.quodlib. 1.qu.7.art.13.

10. Aliâ ratione Theologicâ idipsum probatur: Quæstio est satis notabilis inter Theologos, de quâ etiam suprà locuti sumus (*b*). An in dispensatione beneficiorum ecclesiasticorum detur acceptio personarum, acceptatorem lethali crimine involvens. Et Doctores passim, cum D. Thomâ, affirmativè respondent (*c*), hæcque sententia consona est Doctrinę S. Augustini, ubi ait, *quis ferat, si quis divitem eligat ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore, & sanctiore* (*d*)? Sed & cogruit cum sensu sacri illius textus, *eligite meliorem, & eum, qui vobis placuerit de filiis Domini vestri, & eum ponite super solium patris sui* (*e*). Ista autem dignioritas non est consideranda in eo, qui percepturus est beneficia, simplicitèr, ac prout est in se, sed secundum quid, & prout refertur ad bonum commune (*f*). *Contingit enim quandòque quod ille, qui est minùs sanctus, & minùs sciens, potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel industriam, vel propter aliquid hujusmodi* (*g*). Itàque ad evitandam culpam acceptionis personarum, eligendus est semper ad beneficia dignior (*h*), & in hoc cum D. Thomâ consentiunt passim Theologi, Alensis, Major, Sotus, Valentia, & alii (*i*). Verùm hujusmodi doctrina non habet locum in beneficiis merè simplicibus, quià hęc sufficit conferre digno, utcumque dignus sit, etiam si non sit dignior (*l*), prouti fusius hìc suprà ostendimus (*m*). Alioquin non solùm Collatores, sed etiam Patroni beneficiorum merè simplicium de Jure patronatus (*n*), deberent ad ea præsentare digniorem, quod nullus Theologus affirmabit. Dignior ergò debet eligi necessariò in beneficiis Curatis, & administrationem habentibus, non verò in merè simplicibus, & sic ex hoc capite agnoscitur esse differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia.

(b) Vide hic suprà c.5.n.23.

(c) S.Thom.2.2.q.63 art.2. & quodl.8. q.4. art.6.

(d) S.August.ep.29.

(e) 4.Regum c.10.3

(f) S.Thomas 2.2. qu.85.art.3.

(g) Idem 2.2.qu.85. art.2. in corp.

(h) S.Thom.quodl.8. qu.4.art.6.

(i) Alensis 3. p. qu. 136.membr.2. Major. in 4 dist.15. Sotus de Just.lib.3.qu.ult. art.2. Valent. tom.3. disp.5. qu.7.pun 2.§.2.

(l) Garcia de benef. p.7.c.6.n.16.

(m) Vide hic suprà cap 5.

(n) Garcia loc.citat. num.18.

11. Quodque hæc sit mens D. Thomæ patet, quià ipse dignioritatem exigendo in eo, qui beneficium accepturus est; loquitur de beneficiis curam animarum habentibus, vel de prędititis administratione, quæ involvat respectum ad bonum commune: undè ait: *non oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simplicitèr: possibile est enim, quod illi, qui est in charitate perfectior, deficiant multa, quę requiruntur ad hoc, quod aliquis sit prælatus idoneus, quę in alio, qui est minoris charitatis inveniuntur, & sunt scientia, industria, potentia, & alia hujusmodi: undè non oportet semper eligere meliorem simplicitèr, sed eum, qui sit melior ad hoc officium* (*o*). Ergò dùm D. Thomas, & cum eo Theologi, culpam acceptionis personarum non agnoscunt, nisi in distributione beneficiorum habentium curam animarum, vel administrationem, quę habeat respectum ad bonum commune, proculdubiò distinguunt hujusmodi beneficia à beneficiis

(o) S.Thom quodl.6. qu.5.art.9 & quodl.8. qu.4.art.6. & 2.2. qu. 63.art.2.

merè simplicibus, quę non sunt talia, & sic differentiam agnoscunt, atque approbant inter beneficia residentialia, & beneficia merè simplicia. Hinc cum audiuntur aliqui exaggerantes, quod beneficia ecclesiastica sunt conferenda dignioribus & ità Origenes docuit; *qui præstantior est omni populo, qui doctior, qui sanctior, ille eligitur ad Sacerdotium* (a): Ità S. Leo Papa Anastasio Thessalonicensi perscripsit: *Metropolitano defuncto &c. ex Presbyteris ejusdem Ecclesię, vel Diaconis, optimus eligatur* (b): Ità Innocentius Papa III. in Decretalibus definivit: *discreto judicio deberi ecclesiasticum officium, seu beneficium in personâ magis idoneâ dispensari* (c): Cum hęc, inquam, & cum similia dicuntur, vera sunt, & locum habere debent, non quoàd omnia beneficia generalitèr sumpta, sed quoàd ea, quę curam animarum habent, vel aliud ministerium, involvens respectum ad bonum commune: alia verò hisce oneribus carentia, prout sunt beneficia merè simplicia, non est necesse, quod dignioribus conferantur, sed sufficir, si dentur dignis. Igitùr ex hujusmodi inspectione debiti, conferendi beneficia differentèr, nempè residentialia necessariò dignioribus, & merè simplicia sufficiat conferre Clericis dignis, etsi non dignioribus, patet, quod inter beneficia residentialia, & merè simplicia, datur, & dari debet notabilis differentia. Sed ad Legales rationes descendamus.

(a) *Orig. homil.6. in cap.8. Levit. cap. licet 15. caus. 8. qu. 1.*
(b) *S. Leo ep.82 seu 84. c.6. cap. Metropolitano dist. 63.*
(c) *Cap. Un. ut benef. sin. dimin. conf.*

12. Quærunt Jurisconsulti, utrum Clericus possidens beneficium in alienâ Diœcesi, sortiatur domicilium, & forum illius loci, in quo erectum est beneficium, & passim concludunt, quod si beneficium est merè simplex, Beneficiarius sortitur quidem forum, sed non domicilium. Si verò beneficium sit residentiale, Beneficiarius unà sortitur & forum, & domicilium (d). Loquimur de domicilio, non verò de privilegiis civium; nàm hisce privilegiis, quibus cives potiuntur ad differentiam forensium, gaudent quoque Clerici ubicumque possident beneficium cujuscumque sit speciei, etiam si sit merè simplex (e). Domicilium autèm non contrahit, nisi qui possidet beneficium residentiale. Forum verò quilibet sortitur propter quodlibet beneficium. Hìnc Clericus, beneficium merè simplex possidens in Diœcesi alterius Episcopi, potest ab eo Episcopo ad ordines promoveri (f). Servatâ nùnc tamen formâ, quæ in constitutione Innocentii Papæ XII. incipiente *Speculatores* pręscribitur. Potest, inquam, promoveri, quià sortitur forum illius Episcopi, ratione beneficii ipsius merè simplicis: ordinatio autem est actus consecutivus sortitionis fori. Si ergò Beneficiarius merè simplex, tametsi sortiatur forum, non tamen sortitur domicilium; Beneficiarius verò residentialis utrumque sortitur; patet, quod inter beneficia residentialia, & merè simplicia intercedit legalis, & valdè notabilis differentia. Plura quoquè jura differentiam inter utraque hujusmodi beneficia intercedentem affirmant, & in primis in *cap. super eo, de prębend. & dignit. in 6.* definitur, quod præbenda cui unita est Parochia, unà cum Personatu, cui paritèr alia parochialis cura est annexa, possunt sine dispensatione insimul retineri, quià cura animarum, unita præbendæ, vel personatui, se habet ac si esset beneficium simplex (g). Supponitque, quod præbenda, cui parochia unita est, sit paritèr beneficium merè simplex, nullâ residentiæ, vel servitii personalis lege constrictum, & quod parochia per Vicarium administretur, ad id specialitèr deputatum (h), ac quod in eâ Præbendatus residere non teneatur (i). Agnoscit ergò jus, & fatetur esse differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia, nedùm quæ per se merè simplicia sunt, sed etiam quæ sunt talia per accidens, quemadmodùm est parochia, unita præbendæ. Sed ad clariora jura pergamus.

(d) *Carleval. tr. de Judic. l.2. tr.1. qu. 3. de foro rei sitæ n.45. Salgad. de supplic. ad SS. p.2. c.5. §.1 n.14. et 15.*
(e) *Beliet. disquis. Cler. p.1. de disc. Cler. §.2. n.15.*
(f) *S. Cong. Conc. 26 Maii 1599. Barbos. Jum. Apostol. decis. collect. 64. n.3.*
(g) *Gloss. in c. super eo 6. in casu de præb. in 6.*
(h) *Gloss. ibid. Verb. Annexa.*
(i) *Gloss. ibidem Ver. non obviet.*

13. In *capitulo gratia 7. de rescriptis in 6.* disponitur sub his terminis; *gratia, quam super beneficio à Sede Apostolicâ te impetrasse proponis, vitiosa reputari non debet, quamvis de alio beneficio, ab Episcopo tuo, anteà tibi absenti, & ignoranti collato, nullam feceris mentionem. Utrumque tamèn (si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri) habere non potes: sed eligas quod ex eis malueris*

lueris retinere. Notentur verba illa, *si talia sint beneficia, quæ simul nequeant de jure teneri*, quæ exceptiva sunt; & exceptio ex notissimis firmat regulam in contrarium (*a*). Ergò lex, tametsi in hujusmodi canone prohibeat bina illa beneficia, de quibus loquitur, ab uno, & eodem Clerico retineri, supponit tamèn alia dari beneficia, quæ valent *simul de jure teneri*. Hujusmodi autèm beneficia, quæ insimul valent de jure teneri, sunt beneficia merè simplicia, ut de se patet; & glossa inibi, verba illa exponens, adjungit: *habere plura beneficia non curata, & quæ de consuetudine, vel statuto residentiam non requirunt, non est peccatum, nec contrà jura* (*b*). Igitur nedùm jàm de jure est, sed & Pontifex in hoc canone supponit, quod dudùm antè sua tempora de jure esset, aliqua dari beneficia merè simplicia, omnis incompatibilitatis onere destituta, & talia, quæ insimùl possint sine dispensatione ab uno, & eodem Clerico possideri. Jus ergò differentiam approbat, & agnoscit inter beneficia residentialia, & merè simplicia vertentem, & insipientèr loqui demonstrat eos, qui contendunt, differentiam ipsam inter beneficia compatibilia, & incompatibilia; residentialia, & merè simplicia, esse novam, atque sanctionibus antiqui Juris ignotam.

(a) *L. quæsitū §. denique ff. de fid. instr. Dec. in c. cum dilecta n. 6. & 7. de confir. util. Barbos. tr. var. Axiom 85. num. 4.*

(b) *Gloss. in c. Gratia Verb de jure de rescr. in 6.*

14. Pariter in *capitulo quià per ambitiosam 15. de rescriptis in 6.* Postquàm Pontifex narravit, se, aliosque Papas Antecessores suos, licentiam percipiendi fructus aliquibus Clericis contulisse, tametsi apud Ecclesias, in quibus beneficia possidebant, nullatenùs resident, sic statuit: *Nos volentes emendare præterita, & quantum possumus adversus futura cavere omnes hujusmodi, & similes indulgentias, personis, non Ecclesiis, vel dignitatibus datas, penitùs revocamus, & eorum concessionem nostris volumus exulare temporibus. Quodque nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus*. Ubi Glossa opportunè adnotat hujusmodi *indulgentias concessas Ecclesiis non revocari* (*c*). Deindè addit, quod, *si dignitati, vel Ecclesiæ datum esset tale privilegium, per hanc decretalem revocatum non est* (*d*). Deindè examinat articulum, an postquàm Pontifex indulgentias illas revocaverat, easdem valeret de novo concedere; & affirmativè respondet (*e*). In quam sententiam Doctores quoque descendunt, ex eo quod Pontifex nec se, nec successores suos ligare valet: cum auctoritatem suam habeant non ab hominibus, sed à Christo (*f*). Patet ergò ex his, quod Pontifex, jus condens, distinxit inter personas, & Ecclesias; atque inter immunitatem ab honere residendi, sive personaliter deserviendi, concessam personis, & concessam Ecclesiis: primam revocavit, quià noxiam, plura mala propagantem, & bono publico perniciosam. Secundam reliquit intactam: prout & intactam reliquit suam, suorumque successorum auctoritatem, si easdem licentias voluissent de novo ex justis causis concedere. Tàm Canon ergò, quàm Pontifex supponunt dari Ecclesias, sive beneficia, privilegio donata, per quod eorum possessores à servitio personali sint exempti, ad differentiam beneficiorum tali privilegio carentium: ergò agnoscunt, & fatentur, dari beneficia residentialia, tali privilegio carentia, & beneficia merè simplicia eodem privilegio constipata, quod sive sit privilegium à Pontifice, sive à Canone aliquo, sive à consuetudine inductum, parum refert. Jus igitùr in hoc Canone differentiam esse affirmat inter beneficia residentialia, & beneficia merè simplicia.

(c) *Gloss. in cap. quià per ambitiosam 15. V. Ecclesiis de rescr in 6.*

(d) *Gloss. ibidem V. vel dignitatibus.*

(e) *Gloss. eodem loco Ver. temporibus.*

(f) *Passerin. in d. c. quià per ambitiosam 15. de rescript. in 6. l. 1. n. 14. & 15.*

15. Demùm in *capitulo Clericos 17. de Clericis non residentibus*, sanctio hec generalitèr evulgatur, ad quemdam Ordinarium directa: *Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficia, quæ residentiam exigunt assecutos, si ad alterius diœcesim absque licentiâ tuâ morandi causâ transierint, liceat tibi, si moniti non redierint, dictis beneficiis, nisi excusationem rationabilem ostenderint, spoliare*. Nulli dubium est, quod exceptio firmat regulam in contrarium, uti paulò antè indicavimus (*g*). Loquendo ergò canon de beneficiis, quæ residentiam exigunt, alia cognoscit adesse, quæ servitutis personalis onere non arctantur: & ità fatetur, approbatque differentiam, quæ inter beneficia residentialia, & beneficia

(g) *L. quæsitum §. denique ff. de fid. instr.*

merè simplicia intercedit: undè nescimus quâ veritate Cnntradictnres (sive pnliticè, sive in sensu propriæ mentis quis nnvit?) quâ, inquam, veritate audeant affirmare, jure veteri nullam fuisse simplicium beneficiorum à cœteris distinctionem; cum ex hùcusque allatis textibus, utrnrumque differentia, vel ipsis cœcis oculis enitescat.

16. Et sanè quodnam est hnc jus vetus, cui fuisse ignnta cnntenditur beneficia merè simplicia? Si per jus vetus intelligantur, vel cunctæ, vel aliqua ex illis aggregationibus Canonum, quas cnmpilarunt Dionysius Exiguus, Martinus Bracarensis, Isidnrus Mercatnr, Burcardus Vvormaciensis, Anselmus Lucensis, Ivn Carnntensis (*a*), & alii quoque, qui Canones collegerunt (*b*). Nos dicimus hasce cnllectiones fuisse privatas, & nunquàm Juris publici, adeptas titulum, vel effectum (*c*), nisi quatenùs Canones, ab eis aggregati, propriâ stipati sunt auctoritate, prnut sunt Canones in Cnnciliis, vel à Pnntificibus editi. Si verò fnrtè intelligatur illa, quam Christnphorus Justellus edidit, cum titulo Cndicis Cannnum universæ Ecclesiæ; dicimus quod hæc multò minùs aliis meretur titulum publici juris antiqui, quoniam infinitis mendis scatet, ac tot habuit impugnatnres, qunt sunt veritatis amantes (*d*). Titulus ergò Juris publici illis solis cnllectinnibus Canonum competit, quæ sunt Rnmanorum Pontificum auctnritate, & Ecclesiæ usu firmatæ, quemadmodùm sunt decretum Gratiani: Libri quinque decretalium à S. Raymundo de Pennafort, jussu Gregnrii Papæ IX. cnmpacti; Necnnn liber sextus decretalium Bnnifacii Papæ VIII. Clementinæ, à Clemente Papâ V. editæ. Extravagantes Joannis Papæ XXII. ac quædam aliæ Extravagantes cnmmunes, ex quibus coaluit Corpus Juris Canonici (*e*). Hæque omnes cnmponunt nnn jus novum, sed jus vetus. Undè Petrus Annatus, quærens quodnam sit jus novum, ait: *Prætèr hac juris Canonici Corpus ex quinque libris illis præfatis, videlicèt ex Decreto, Decretalibus, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus conflatum, accessit jus novum aliud, à tempore Clementis V. ad nostra usque tempora inductum, per Concilia Generalia, vel per novas Summorum Pontificum Constitutiones in Bullario collectas, vel in Regulis Cancellariæ &c.* (*f*).

17. Cum ergò ex præfatis decretalibus, & corpore Juris Cannnici, (quæ faciunt jus antiquum, ad differentiam recentioris) produxerimus differentiam agnitam, & approbatam, inter beneficia residentialia, & beneficia merè simplicia, patet, qund gratis asseritur, hanc distinctinnem, sive differentiam, fuisse juri veteri ignntam. Prætereà Gratianus, qui Decretum cnmpegit, floruit annn 1127. in Cœnobin S. Felicis Bnnnniæ mnnasticam vitam agens (*g*). Gregnrius Papa IX. cujus jussu S. Raymundus decretales cnllegit, sedere cœpit in Cathedrâ D. Petri aunn 1227. (*h*). Bonifacius Papa VIII. qun Auctore prodiit Sextus Decretalium, Pnntificatum inivit anno 1294. (*i*). Et sic jàm quingentis, & sexcentis ab hinc annis jura hujusmndi prndiere, quæ nunquid antiqui juris titulum nnn merentur? Nunquid modernum est, qund jàm à quingentis, & sexcentis annis est conditum? Nnn potest igitùr dici antiquo juri prnrsus ignota differentia præfata beneficinrum, in beneficia residentialia, & beneficia merè simplicia, quandò hæc ex Decretalibus, & Sexto Decretalium verbis dissertissimis indicatur. Et quatenùs in nppositum cnntendatur, quod per jus vetus intelligitur jus, Decreto, & Decretalibus perantiquius, nos negamus suppnsitum, nempè quod hujusmodi jus perantiquius detur à parte rei.

18. Cœterùm tametsi hoc jus daretur, qund aliquandò juris publici auctnritatem, & titulum habuisset, nec in en memoria fieret differentiæ inter beneficia residentialia, & merè simplicia, nns respondemus, quod non antiquis, & obsnletis, sed nnstris moribus vivimus: *Et si quis de absolutâ, & integrâ restitutione juris antiqui, & novi oblatione, contendant, perindè aget, ac si Imperiorum inveteratorum administrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipsis regnorum initiis obtinebat* (*l*). Dicet hic aliquis, quod Gregnrius PP. IX. fuit

(a) *Schelestr. Antiquit. illustr. dissert. 2. c. 9. 10. 11. 12.*
(b) *Natal. ab Alex. histor. Sæc. 1. Append. ad dissert. 20 Bellarm. de script. Eccl. in Gratiano.*
(c) *Bellarm. de script. Eccl. in Gratiano.*
(d) *Schelestrat. loco citat. c. 12.*
(e) *Engel. Colleg. jur. Can. par. 1 in proœm. à n. 3. ad 10.*
(f) *Petr. Annat. Appar. ad posit. Theol. l. 6. art. 1. f. 245*
(g) *Jo. Tritbem. de vir. illustr. in Gratian. Bellarm de script. Eccl. in Gratian.*
(h) *Platina Ciaccon. &c. in Gregorio IX.*
(i) *Platin. Ciaccon. &c in Bonif. VIII.*
(l) *Petr. de Marca de Concord. Sacerd. & Imper. l. 3. c. 6.*

fuit primus, qui, edito capitulo *Clericor* 17. *de Cler. non resid.* dedit locum controversæ distinctioni, anteà incognitæ, & sic illa est nova, & antiquo juri prorsus incognita: Hos ad hoc bifariam respondemus primò, quod non est nova hujusmodi distinctio, quæ jàm, ut innuimus, à quingentis annis, & ultrà in textu juris publici, quo utitur Ecclesia, enitescit. Secundò, quod hæc distinctio fuit cognita, & usitata saltem quo ad rem per illam significatam, usque à tempore Concilii III. Aurelianensis, quod actum est anno Christi 540. ut inferiùs ostendetur (*a*). Deindè ad exuberantiam strictè hoc modo argumentamur, vel beneficia merè simplicia erant à parte rei ante Gregorium IX. vel non: si non; ergò quid mirùm, quod incognita esset eorum differentia, & distinctio, quandò ipsamet beneficia non erant in rerum naturâ? Debebant ne memorari in corpore Juris publici distinctio rei, quæ nullatenùs existeretis?

19. Paritèr si ante Gregorium IX. beneficia merè simplicia non erant à parte rei; ergò signum est, quod fuerunt de novo fundata post tempora, quibus Gregorius ipse Romanæ Cathedræ insedit: & si fuerunt post illam ætatem de novo fundata, certè potuit Papa, potuerunt Episcopi, in erectionis, & fundationis limine, beneficiis ipsis, leges, titulum, & libertates, sibi magis gratas ingerere, & præsertim id potuerunt fundatores beneficiorum, ex eâ generali ratione, quod quilibet in concessione rei suæ potest apponere legem, quam velit (*b*). Quarè sicut ab initio potuit per Pontificem, & Episcopos primis illis, & antiquis beneficiis diversitas titulorum, & officiorum apponi; sicut aliis inesset titulus, & officium Parochiæ cum onere pascendi populos: aliis nomen, & munus Archidiaconatus, Decanatus, Canonicatus &c. cum obligatione in Choro psallendi; ità potuit tùnc, & potuit posteà, & poterunt semper institui novæ species beneficiorum, & signantèr potuerunt institui beneficia merè simplicia, quæ onere personalitèr deserviendi careant. Quis enim in hoc alligavit manus Ecclesiæ?

20. Olim non erant in Ecclesiâ nisi Regulæ Monachales S. Basilii in Oriente (*c*), & S. Benedicti in Occidente (*d*), vitæ contemplativæ applicatę. Posteà verò, approbante Honorio Papâ III. instituti sunt Ordines fratrum Mendicantium, Sanctis Dominico, & Francisco auctoribus (*e*). Aliæque subsequentèr subintroductæ sunt familiæ Augustinianorum, Carmelitarum, Servitarum &c. omnes vitę activę simul, & contemplativæ incumbentes (*f*). Nunquid hæ ordines, & familiæ Mendicantium, sunt novæ in Ecclesiâ Dei, quæ jàm in eâ à quingentis annis florescunt? Nunquid ipsi ordines, & familiæ Mendicantium sunt improbandæ, quià priscis Ecclesiæ sæculis fuerunt prorsus ignotæ. Nunquid Ecclesia, post approbatos ordines, & familias Monachales, non potuit approbare illas Mendicantium? Et post approbatas utrasque, nunquid non potuit etiam Clericales admittere, à Sanctis Ignatio, Cajetano, aliisque piis Institutoribus excitatas (*g*), quæ aliis viis, aliisque principiis à Monachalibus, & Mendicantibus, pergunt? Certè qui hoc diceret, non saperet, sed insaniret.

21. Eodem ergò modo, eâdemque ratione, Ecclesia, post instituta beneficia Curata, & alia residentialia, potuit noviorem beneficiorum speciem adiungere, à quibus residentiæ, & servitii personalis leges abessent: hæcque beneficia sunt illa, quæ vocantur merè simplicia, & uti talia, & uti novitèr instituta, non subjacent oneri residentiæ, ac servitutis personalis, cui subsunt beneficia residentialia, antè Gregorii IX. sæculum instituta. Quod si dicatur beneficia illa, quæ nùnc dicuntur merè simplicia, non esse noviter instituta, sed esse illa eadem, quæ antè Gregorii IX. tempora dicebantur residentialia, injustèque fuisse illis detractum onus residentiæ, & de suâ specie residentialium fuisse indebitè traducta ad aliam speciem beneficiorum merè simplicium; respondemus hoc non esse dicendum, sed probandum: probetur rem ità esse, & posteà redibimus ad sermonem. Potuerunt enim quidem antè Gregorii IX. tempora esse bene-

(a) *Vid hic infrà c. 28. n. 2. & seq. usq ad 7*

(b) *L. 1. § conveniat ff. depositi l. legem C. de pactis l. legem C. de donat.*

(c) *Barbos jur. Eccl. univ. l. 1. c. 41. num. 10. & 21.*

(d) *Idem loc. cit. nu. 21. & 35.*

(e) *Odoric. Raynald. an. 1216. nu. 48. 49 & an. 1219 n. 55.*

(f) *Barbos loc. citat. num. 17.*

(g) *Barbos loc. citat. n. 158. 189. 198. &c.*

beneficia merè simplicia; & illamet adfuisse quantum ad speciem, satis jàm ostendimus: at quod in individuo hæc, vel illa, de quibus nùnc fit quæstio, essent illa ipsa, quæ aotè Gregorium præveotivè fueraot erecta, hoc est probandum. Probetur ergò rem ità esse, & posteà redibimus ad sermonem, ac postulabimus à Contradictoribus, quis alligavit manus Ecclesiæ, & præsertìm Summi Pontificis supremi administratoris omnium booorum ipsius Ecclesiæ (*a*), ut oon valeat ex unâ Ecclesiâ suscipere, & alteri subsidium præbere (*b*), oec valeat beoeficia in Commendam concedere (*c*): demùm beneficia residentialia vertere oon valeat in merè simplicia?

(a) *S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1.*
(b) *S. Thom. in Philippens. 4. lect. 2. circ. fin.*
(c) *Barbos. Jur. Eccles. Univ. l. 3. c. 9. n. 22*

22. Si verò beneficia merè simplicia erant à parte rei antè Gregorium Papam IX. sed eorum vocabulum non erat io Juris corpore designatum, versabimur in lite dè oomine: nihilque imputandum erit culpę Gregorio Papæ IX. quod nomioaverit sub vocabulo beneficiorum non residentialium beneficia merè simplicia, quæ dudùm antè illum erant à parte rei, libera, & à munere resideodi, atque ab alio personali onere exempta. Habet hoc Philosophia, habet Theologia, habet Jus, habent omnes humanæ facultates, & scientiæ, ut possint oovas voces edere, & veritatem rerum ad se spectantium oovis verbis exprimere. Habet autem hoc in suâ potestate etiam Ecclesia, quæ de facto prò temporum opportunitate, toties, quoties opus fuit, oovis vocibus rerum præexistentium veritatem explicare consuevit. Si licèt antè tempora Magni Concilii Nicæni, famosum oomen *Homousion* ignotum esset, nisi quatenùs apud Eusebium Nicomediensem à quibusdam fuerat observatum (*d*); tameo quià consubstantialitas Filii Dei cum Patre suo, semper, & ab æterno realitèr fuerat, atque erat Ecclesia, ad Arrium, & Arrianos confundendos, totis viribus, prò ejusdem vocis introductione, & usualitate pugnavit (*e*). Nomen *Theotòcon*, ante tempora Concilii Ephesini fuit ignotum; sed quià maternitas Dei realiter fuerat, eratque in beatissimâ Virgine Mariâ Ecclesia, ut Nestorium, & Nestorianos confunderet, contrarium sentientes, toto evisu, prò ejusdem vocis introductiooe, & usualitate pugnavit (*f*).

(d) *S. Ambr. de fid. ad Gratian. lib. 3. cap. ult.*
(e) *Concil. Nicęn. I. S. Athan. in epistola Decr. Nicęn. cont. Arrii hæres.*
(f) *Vid. Conc. Ephesin. S. Cyril. Anathematism. I.*

23. Nomen *Theandrica*, antè tempora Concilii III. Constantinopolitani fuit ignotum, nisi quatenùs io D. Dionysii Areopagitæ voluminibus opportunè fuerat adnotata (*g*); Sed quia io Christo fuerant divina, & humana voluntas; ejusque operationes Deiviriles dictæ sunt; ideò Ecclesia, ad Macharium, & Monothelitas expugnandos, contrarium effutientes, prò ejusdem vocis introductione, & usualitate pugnavit (*h*). Demùm oomen *Transubstantiatio* aotè Concilii IV. Lateranensis tempora, fuit ignotum, sed quià conversio substantię panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ realitèr fuerat, atque erat, Ecclesia ut tùnc Almaricum, & Berengarium, ac posteà Lutherum retunderet, oppositam blasphemantes, prò ejusdem vocis introductione, & usualitate pugnavit (*i*). Quid plura! Dictiones Trinitas, Subsistentia, Persona, Hypostasis, Personæ notio, Actus notionales, Relatio &c. in Scripturâ Sacrâ sub expressis terminis non leguntur, & aliquaodò fuerunt incognitæ (*l*). Sed quia earum significatio à parte rei semper fuit; Ecclesia, vocabula illa paulatìm, atque occasione datâ deprompsit, & prò eorum introductione, atque usualitate pugnavit.

(g) *S. Dionys. Areop. epist. ad Cajum.*
(h) *S. Thom. 3 part. qu. 19. art. 1. ad prim. & ibi Seraph. Cappon.*
(i) *Conc. Later. IV. cap. 1. de fid. Cathol. Conc. Trid. sess. 13. c. 4.*
(l) *Valent. tom 3. Prologom. de Trinit. cap. 3.*

24. Pergamus ulterius, nomen *Antipodùm* antiquitùs non erat, nisi quatenùs prò fabuloso habebatur: undè ipsorum Antipodum existentiam memoravit quidem narrativè Tullius (*m*): At impugnavit Lactantius Firmianus (*n*): derisit Beda (*o*): Procopius Gazæus negavit: & inter alios Patres, de illâ, tamquàm de rè commentitiâ sentientes, S. Augustinus talitèr declamavit. *Quod verò, & Antipodas esse fabulantur, idest homines à contrariâ parte terræ, ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, nullâ ratione credendum est &c. Cum divina Scriptura testetur, homines ex uno Adam in hoc nostro emisphærio pro-*

(m) *Cicer. 4. Academ.*
(n) *Lactant. l. 3. Divin. Instit. c. 24.*
(o) *Beda de ration. tempor. c. 32.*

progenitos; nimis absurdum est dicere, aliquos homines ex hoc in aliud emisphærium, impertransibilis Oceani immensitate trajectâ, navigare potuisse, ut etiam illic humanum genus propagarent (a). Et tamèn Antipodum nomen, & res per illud significata, à duobus, & ultrà sæculis, ex quo Christophorus Columbus, & alii successivè incomparabiles Cosmographi, Americus Vespuccius, Ferdinandus Magallanius, Franciscus Dracus, & alii, Oceano pertransito, totum Orbem terrarum circumlustrarunt, est adeò verum, certum, & usuale, ut prò stulto haberetur, si quis & nomen Antipodum, & rem per illud significatam, auderet contumacitèr denegare.

(a) S. August. lib. 16. de Civit. c. 9.

25. Itèm olim festum Conceptæ Virginis Mariæ sub nomine Sanctificationis celebrabatur (b); Et quià Canonici Lugdunenses, prò verbo Sanctificationis, utebantur voce *Conceptionis*, Divus Bernardus acrem illis epistolam scripsit, inter cœtera exclamans: *Undè ergò Conceptionis Sanctitas? An dicitur Sanctificatione præventa, quatenùs jàm Sancta conciperetur, ac per hoc sanctus fuerit, & conceptus: quemadmodùm Sanctificata jàm in utero dicitur, ut sanctus consequeretur & Ortus. Sed non valuit antè sancta esse, quam esse &c. Si igitur antè conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat, sed nec in ipso quidam conceptu, proptèr peccatum, quod inerat; restat ut post conceptum in utero jàm existens, sanctificationem accepisse credatur, quæ exclusio peccato, sanctam fecerit nativitatem, non tamèn & conceptionem* (c). Veruntamèn Ecclesia successu temporis Vocem Conceptionis talitèr est amplexata, ut Sanctificationis Vocabulum è sacris Dypticis abrogaverit, & jàm prò reprehensibili haberetur, si quis in hoc festo celebrando, loco verbi Conceptionis, sanctificationis vocabulum adhiberet. Alia exempla vocum in medio novitèr editarum adduci possent, sed jàm hùcusque proposita satis sint, ut pateat, quod sicut in punctis fidei, pietatis, & veritatis, potuit semper, potest, & poterit in futurum Ecclesia novis verbis rerum existentiam patefacere; ità semper tantundem potuit, potestque, ac poterit in negotiis Juridicis, & Ecclesiasticæ disciplinæ. Quarè si antè sæculum Gregorii Papæ IX. erant à parte rei beneficia merè simplicia, deerat verò dictis eadem specificans, & à beneficiis residentialibus expressâ voce distinguens; potuit Ecclesia, potuitque Gregorius IX. vocabulum adhibere, quo beneficia merè simplicia, à residentialibus discernerentur. Statque semper vis argumenti nostri, quod rationibus Scripturalibus, Theologicis, & Legalibus comprobatur, intercedere differentiam inter Beneficia residentialia, & Beneficia merè simplicia, quam negant Contradictores.

(b) Cajet. opusc. to. 2. tract. 1. c. 5. n. 40.

(c) S. Bernardus epist. 174.



CAPUT VIII.

In quo eadem differentia intèr Beneficia Residentialia, & Beneficia merè Simplicia, suadetur aliis Rationibus, præsertim petitis ex Sacris Conciliis.

SUMMARIUM.

1 *Auctoritas Conciliorum magni ponderis est. Concilium Tridentinum expressè distinguit beneficia residentialia à merè simplicibus.*

2 *Perperàm contenditur ex Claudio la Place, quod Concilium non approbando, sed tolerando, beneficia merè simplicia nominaverit.*

3 *Non occulta mens Legislatorum, sed eorum verba sunt attendenda. Et donèc mens eorum dubia est, à verborum proprietate non est recedendum.*

4 *Afferuntur plura decreta Conciliorum Mediolanensium, & Coloniensis, exprimentia differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia.*

5 *Concilium Lateranense III. admisit Clericos conjugatos posse beneficia simplicia obtinere: hæcque ostendit proindè à residentialibus differre.*

6 *Sublatus est usus, quod conjugati Clerici obtineant beneficia: potest tamèn Papa cum eis dispensare. Dantur alicubi Canonici laici, & Canonistæ.*

7 *Consonant plura antiqua Concilia, quæ imponunt onus residendi Beneficiariis Curatis, & Choralibus, nil verò disponunt de merè simplicibus.*

8 *Si hæc tùnc erant, & Concilia non illa obligarunt; eadem per consequens exemerunt. Casus omissus remanet sub dispositione Juris communis.*

9 *Refertur doctrina D. Antonini distinguentis inter beneficia residentialia, & merè simplicia. Aliæ rationes idipsum probantes infrà referentur.*

10 *Cardinalis Pallavicinus adversus Paulum Suavem in historiâ Concilii Tridentini, ponit differentiam beneficiorum residentialium à merè simplicibus.*

11 *Sequitur idem Auctor, & ostendit, nihil detrahere justitiæ beneficiorum merè simplicium, quod non juxtà merita, sed interdùm incongruè dispensentur.*

12 *Idem patefacit utilitates hìnc provenientes, & quod nullus Princeps assentiretur, simplicibus beneficiis regii patronatus adjungi onus residentiæ.*

13 *Tametsi Beneficiarii merè simplices non resideant, habent tamèn onus Divini Officii, Castitatis, atquè alias obligationes Missarum &c.*

14 *Contradictores ergò habent Auctorem suæ disputationis Paulum Suavem, virum tantis vituperiis affectum, ut eos pudere debeat talem Antesignanum sequi.*

POST

1. POST exhibitas plures Rationes, ex Sacrâ Scripturâ, ex Sacris Canonibus, & ex Sacrâ Theologiâ depromptas, ad probandum dari differentiam inter beneficia residentialia, & beneficia merè simplicia, quasdam alias adhùc ad ubertatem depromamus, idipsum probantes, & præsertìm ex Sacris Conciliis petitas, quorum auctoritas, talis, ac tanta est, ut de illis Magnus Constantinus Imperator fiducialitèr affirmaverit: *quidquid in Sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universim divinæ voluntati debet attribui* (a). Ergò Concilium Tridentinum generale ultimum de iisdem beneficiis agens, hoc modo decrevit: *Inposterùm unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri* (b). Alia decreta hùc facientia referentur inferiùs (c). En quomodò Concilium Tridentinum disertis verbis agnoscit, & approbat differentiam inter beneficia residentialia, & non residentialia, seù merè simplicia; disponitque, ut ex primis nonnisi unicum à singulis Clericis in titulum recipiatur; ex secundis verò nedùm unum, sed etiam duo liberè percipi, & justè valeant retineri. Si omnis alia ratio deesset, distinctionis hujusmodi inter præfata beneficia, hæc una posset sufficere, Concilii generalis auctoritate, atque diffinitione subnixa.

(a) *Euseb. in vita Constant. l. 3. c. 18.*

(b) *Concil. Trid. sess. 24. c. 17.*

(c) *Vide infrà c. 11. à n. 13. ad 17.*

2. Veruntamèn Contradictores, de quibus loquimur, eam eludere nituntur captiosâ expositione Claudii de la Place, dicentis Concilium Tridentinum non approbasse distinctionem inter beneficia residentialia, & non residentialia, seù merè simplicia, utpote supponens, omnibus beneficiis, etiam simplicibus, residendi onus inesse; sed eam tolerasse propter iniquitatem temporum, & duritiam cordis plurimorum (d). Ast quomodò Claudius de la Place, hanc fuisse Concilii Tridentini mentem, agnoverit, an somniando, an ariolando, an divinando, quis intelligat? est adeò justum, & rationi consonum, quod quicumque beneficium possidet, suæ honestæ sustentationi non sufficiens, aliud, ex quo defectus congruæ sustentationis suppleatur, valeat adipisci, ut nonnisi temerè quis affirmet Concilium duplicitatem illam beneficiorum non residentialium, tolerantis, non approbantis modo suis decretis admiserit: Lex etenim quod non dicit non est ab hominibus præsumendum fuisse ab illâ volitum (e), nec illud voluisse censendum est, quod non expressit, potuisset autèm exprimere (f). Quarè cum in potestate Concilii esset decretum illud edere, vel non; & edere, ac magis, vel minùs significativis verbis in eo uti, atque vel beneficiorum merè simplicium memoriam reticere, vel illa prorsùs reprobare, non illa autem reprobaverit; sed imò expressè ipsamet beneficia designaverit, & in uno, atque eodem Clerico illorum duplicationem admiserit, nimium audax est velle contendere, quod non approbando, sed merè tolerando hoc effecerit.

(d) *Claud. la Place c. 3. verè sententiæ §. 4 argum. 1.*

(e) *L. dissentientis. C. de repud. c. illa. Nè sed. vac. Barbos. tract. var. Axiom. 126. n. 7.*

(f) *L. un. § fin. C. de caduc. tol. cap. ad audientiam 2. de decim. c. 2. de transact. Menoch cons. 30. n. 8.*

3. Sed demus, non autèm concedamus, rem ità esse; nos dicimus, quod tàm regimen Ecclesiæ politicum, quàm recta hominum operatio exposcunt, ut non occulta Legislatorum mens, sed manifesta significatio verborum attendatur, quibus ipsi leges, & canones ediderunt: Verba etenim sunt signa mentis, & testimonium animi patefaciunt (g). Quarè quidquid sit de intentione Patrum Concilii Tridentini, certè supponendum est, illam fuisse optimam, & eorum verbis consentaneam. Sed adhùc tamen, si per hypothesim fuisset ab eisdem verbis difformis, nos, quorum humanę aures verba, quæ audiunt alia judicant, qualia foris sonant (h), dùm in decreto Conciliari legimus expressè distingui beneficia residentialia à non residentialibus, sive merè simplicibus; proculdubiò utrorumque differentiam certam, veram, & juridicam esse sustinemus: & tàm Ecclesia juxtà dictam distinctionem in beneficiorum distributione se gerens, quàm Clerici in eorumdem susceptione, & retentione se regulantes, rectè, prudentèr,

(g) *L. Labeo §. idem ff. de suppellect. l. scire ff. de Tutor. Barbos. tr. var. Axiom. 122. n. 2.*

(h) *S. Greg. Moral. l. 26. c. 7. c. humanæ 11 caus. 22. qu. 2.*

atquè inculpabilitèr operantur. Nec enim rationabilitèr sibi debent persuadere, quod Concilium mente cogitaverit id, quod verbis non expressit, sive diversimodè expressit (*a*). Et quatenùs etiam de mente Concilii dubitari posset, adhùc donec dubium fuerit expunctum, nunquàm est à proprietate verborum recedendum (*b*). Cumque verba Concilii distinctionem ipsam admittant, nostrum est verba ipsa sequi, clara, & aperta, non mentem Concilii dubiam, & ignotam aliundè inutilitèr expiscare, aliàs si commentitia hęc sanctionis Tridentinę interpretatio locum haberet, quęlibet Canonicę, ac Civiles leges possent ludificari, & inutiles reddi, totaque Jurium dispositio convelli.

4. Paritèr Concilia Mediolanensia hæc de beneficiis merè simplicibus decrevere: *Beneficium etiam simplex obtinenti &c. si alterum simplex, aut Ecclesia etiam parochialis, aliudve beneficium cujusvis generis conferatur &c.* (*c*). Et alibi: *simplex beneficium habenti alterum etiam ejusdem generis, quod personalis residentiæ munus non requirit, ob honestam illius vitæ sustentationem conferri, id ità locum habeat, ut nè tamen eo prætextu &c. plura quam duo beneficia simplicia uni, eidemque conferri liceat &c.* (*d*). Et rursus alibi: *Examen sine concursu adhibeatur de eo, qui beneficium simplex commutat cum alio, quod curam animarum habeat* (*e*). Itidèm in Concilio Coloniensi de hujusmodi materiâ talitèr definitur: *Sancimus, ut beneficiatus quisque, si beneficia habet à curis libera, aut beneficium curatum unum, & aliud simplex, satisfaciat officio, cujus gratia beneficium accepit &c.* (*f*). Vides quàm disertè hæc Concilia differentiam ponant inter beneficia residentialia, & merè simplicia; istaque ab illis toto cœlo distinguant? Quæ Concilia si nolimus dicere vel errasse, vel falsa, & erronea docuisse, proculdubiò negari non potest veritas distinctionis, quæ inter beneficia merè simplicia, atquè residentialia intercedit. Absque eo quod quidquam referat, quod præfata Concilia fuerint posterioribus sæculis celebrata; quippè veritas à Conciliis edita, & eorum auctoritas nullum pondus accipit à prioritate, vel posterioritate temporum; nec minus adstitit Spiritus Domini novioribus Synodis, quàm adstiterit vetustioribus (*g*).

5. Sed & à vetustioribus Synodis hæc eadem differentia non obscurè declaratur, ut innuimus capit. præcedenti num. 18. & signantèr à Concilio Lateranensi III. quod in appendice sic loquitur: *Simplex beneficium Clerico potest concedi conjugato* (*h*), priscorum etenim illorum temporum disciplina ferebat, ut etiam Clerici conjugati possent beneficia ecclesiastica retinere: quâ de rè textus est in Decretalibus præcipiens, ne Clericus conjugatus cogatur ferre tonsuram, *dummodò nullum percipiat beneficium ecclesiasticum, cujus ratione teneatur Clericalem deferre tonsuram* (*i*): poterat ergò Clericus conjugatus beneficium ecclesiasticum possidere, & quidèm non in sensu diviso divortii cum uxore quoàd sacrum, & retentionis beneficii, sed in sensu composito retentionis utriusque simul, nempè & uxoris, & beneficii. Ista autem beneficia, quorum lex capaces facit Clericos conjugatos, sunt beneficia merè simplicia; quis dicat enim potuisse retinere Episcopatus, Parochias, Dignitates, Canonicatus, & Præbendas Chorales, animarum curam, vel servitium Chorale personale poscentes? Præsertìm obsistente Canone, in quo decernitur, *eos, qui sunt publicè uxorati, non admittatis de cæterò ad ecclesiasticas dignitates, dimissis ab eis, quas non possunt sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere* (*l*).

6. Quâ ergò ratione Concilium Lateranense III. voluit posse à Clericis conjugatis retineri beneficia merè simplicia, & non alterius speciei; eâdem ratione agnovit simul, & patefacit, esse differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia. Sublatus est posteà prorsùs ab Ecclesiâ hujusmodi usus, habendi simul & uxorem, & beneficia, etiam merè simplicia: jamque uxoratus est incapax beneficii; & beneficium possidens, si uxorem ducat, beneficium illicò vacat (*m*). Sed tamèn adhùc Pontifex cum laico uxorato ex causâ dispensare potest,

(a) *Cap. tua nos.26. & ibi Barbos. n.4. de Sponsal.*

(b) *Leg non aliter.69 in princ. ff. de Legatis.*

(c) *Act. Eccles. Mediol. l.3. tit 4. de præbendis cap.18.*

(d) *Act. Eccl. Mediol. l.3. tit.5. de inst. cap.2.*

(e) *Act. Eccl. Mediol. l.3. tit.22. de rer. permut. c.1.*

(f) *Concil. II. Colon. sub Adolph. an 1549. de 3. Medio. §. Octavo.*

(g) *Bail. Sum. Conc. to.1. in Apparat. post quæst.73. §. Quod.*

(h) *Append. post Concil. Later. III. tit. de Cler. matrim. copulatis n.3. ap. Binium to.7. fol 673.*

(i) *Cap. Joannes 7. de Cler. conjug.*

(l) *Cap. cum decorem 8. de Cler. conjug.*

(m) *Sanchez de Matrim. l.7 disp.42. nu 5. Navar. c.25. nu.120. Fabuc. to.2. de benef. c.8. n.4.*

teſt, ut beneficium merè ſimplex retineat (*a*). Alicubi etiam dicuntur dari Canonici laici (*b*). Verùm hi non ſunt uxorati, & ſi etiam uxorati eſſent, jus quidem, & honorem Canonicalem quoàd aliquos reſpectus tenent, ſed non habent Canonicatum, uti beneficium eccleſiaſticum, & in titulum: Undè impropriè, ſive lato modo tantum ſunt Canonici: Hocque modo nedùm laici mares alicubi ſunt Canonici, ſed etiam in aliquibus locis dantur fœminæ Canoniſtæ (*c*). Itàque ex præfato Concilii Lateranenſis ſtatuto, admittente Clericos conjugatos ad beneficia ſimplicia, non verò ad alia; patet, quod Synodus optimè diſtinxit beneficia reſidentialia à merè ſimplicibus.

7. Ad hæc allegari poſſent alia plura Concilia, & præſertìm Sardicenſe (*d*), necnon Meldenſe (*e*), atque Aurelianenſe primum (*f*), Londinenſe ſecundum (*g*), Lateranenſe tertium (*h*), Moguntinum &c. (*i*). Quæ Beneficiariis imponunt onus reſidendi, & ne Eccleſias ſuas deſerant interdicunt. Cumque in eis fiat mentio tantummodò Epiſcoporum, Abbatum, Parochorum, & eorum, qui præbendas poſſident perſonali onere gravatas; altum verò ſilentium habeatur de beneficiis merè ſimplicibus, oportet neceſſariò ſic arguere, vel tempore dictorum Conciliorum beneficia merè ſimplicia erant erecta, vel non: Si non erant erecta, recurrit argumentum, quod Capitulo præcedenti proſecuti ſumus, & cauſam noſtram ineluctabilitèr contuetur. Nàm ſi beneficia merè ſimplicia nondùm erant erecta, ergò non poteſt ab illis exigi primæva illa obligatio reſidentiæ, & perſonalis ſervitii, quæ connaturalis eſſe contenditur beneficiis jàm tùnc erectis, & fundatis ex bonis, Deo, ab ipſo initio Eccleſiæ, dicatis; nàm beneficia ſimplicia, uti nova, & ex poſt fundata, noviſque legibus innixa, eximentibus illa ab onere reſidentiæ, huic oneri ſubeſſe omninò non debent.

8. Si verò tempore illorum Conciliorum erant erecta; ergò ipſa Concilia obligando cœtera beneficia ad reſidentiam, & perſonale ſervitium, non autem hæc; per iſtorum reticentiam oſtenderunt, quod inter beneficia reſidentialia, & merè ſimplicia magnam differentiam agnoſcebant. Argumentum hoc eſt negativum, non ideò tamen viribus caret, quià uti fert commune proloquium, caſus omiſſus remanet ſub diſpoſitione Juris communis (*l*), undè Concilia præfata ſolùm arctando beneficia reſidentialia ad onus ſervitii perſonalis, & non merè ſimplicia, reliquerunt hæc ſub diſpoſitione Juris communis, quod eadem ab hujuſmodi debito abſoluit. Prætereà hoc argumento reticentiæ utitur S. Antoninus ad probandum quod quis poſſit plures præbendas licitè poſſidere; quia cum legibus interdicatur ſolùm retinere plura beneficia curata, & nihil prohibitivè diſponatur de aliis; horum pluralitas videtur ex conſequenti eſſe conceſſa, *cum de illis*, inquit, *ſpecialitèr prohibetur, videtur hodiè conceſſa pluralitas præbendarum* (*m*). Hoc eodem ergò argumento proportionalitèr beneficiis merè ſimplicibus applicato, eorum diverſitas à beneficiis reſidentialibus comprobatur.

9. Et quià Sancti Antonini memoriam fecimus, audiatur quid ipſe proferat, opportunè conferens ad probandam differentiam intèr beneficia reſidentialia, & merè ſimplicia vertentem: Ait enim loquens *de Clericis non reſidentibus in beneficio ſuo: Nota quod hujuſmodi, ſi moniti, juſtà cauſà ceſſante, non redeant, poſſunt beneficiis ſpoliari, ut in cap. ult. de Cleric. non reſid. & dicit idem Joan. Andre. quod intelligitur de beneficiis curatis, vel etiam ſimplicibus, ſi reſidentiam exigunt ex privilegio, vel ſtatuto, vel conſuetudine. Verùm ſi eſſent beneficia, quæ reſidentiam non exigunt; tùnc niſi eſſet neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ de novo ſuborta, non poſſent cogi beneficiati ad reſidentiam &c. Et de talibus poteſt intelligi, quod unus poteſt habere plura beneficia* (*n*). Quæ verba ſunt adeò clara, ut neque gloſsâ, neque explicatione indigeant, ad eorum ſenſum prò differentiâ intèr beneficia compatibilia, & incompatibilia, intèr reſidentialia, & merè ſimplicia, medullitùs percipiendum. Alia poſſent ſuperaddi argumenta, & ra-

(a) *Gloſ. in cap. Joannes 7. Verb. beneficium de Cler. conjugat.*

(b) *Vid. Thomaſſin. vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. p. 1. l. 3. c. 64. per totum & cap. 54 n. 13*

(c) *Cap. dilecta de major. & obed. cap. indemnitatibus de elect. in 6. Fil. in loc. cit. c. 3. n. 1. Barboſ. de Canon. cap. 1. n. 51.*

(d) *Concil. Sardic. in plur. capit.*

(e) *Conc. Meldenſ. cap. 28.*

(f) *Conc. Aurel. I. cap. ultim.*

(g) *Concil. Londin. II. cap. 14.*

(h) *Concil. Later. III. cap. 13.*

(i) *Concil. Mogunt. cap. 71.*

(l) *Giurb. deciſ. 112. num. 2. Valenzuel. conſil. 184. n. 44. Barboſ. tract. var. axiom. 39. num. 8.*

(m) *S. Antonin. p. 3. tit. 15. c. 1. §. 9.*

(n) *S. Antonin. Sum. par. 3. l. 15. c. 1. § 9.*

& rationes, idipsum probantes; sed quia illas infrà referre oportebit, dum de puncto residentiæ agemus, à Beneficiariis merè simplicibus postulatæ, earundem nùnc parcimus productioni, nè unam, & ipsam rem inutilitèr pluribus vicibus refricemus. Satis sint motiva usque nùnc allegata. Cui namque non sufficiunt hæc, ad probandum, verè dari differentiam inter beneficia residentialia, & merè simplicia, nullum quarumcumque aliarum rationum agmen posse sufficere cogitamus.

10. Attamèn hìc bonum esse reputamus inserere locutionem, quam de hac rè præclarissimè habet Cardinalis Pallavicinus, adversus Paulum Suavem egregiè sic perorans. *Passa il Soave à detestare come un intolerabile abuso la distinzione de Beneficii di residenza, e di non residenza. Non mi maraviglio, perche chi odia un fine, odia specialmente quei mezzi, che sono più opportuni à tal fine. In verità frà i mezzi per conservar lo splendore dell'Ordine Clericale, e della Reggia Ecclesiastica; un de' più efficaci è la copia de quei beneficii, i quali non obligano à residenza. E per conoscerne da' suoi principii l'instituzione, e l'utilità, conviene avvertire, che quando manca il necessario, non si può pensare al giovevole: e che però insegna il Filosofo, prima essersi ritrovate le arti, che sovengono alle necessità della vita, e di poi rivolto l'ingegno all'invenzion di quelle, che servono alla felicità della vita. Ora il necessario ne ministerii Ecclesiastici è, che i popoli habbiano gl'amministratori de Sagramenti, gl'insegnatori della Dottrina, e i culti del Tempio. Finche questi mancassero, sarebbe gravissimo abuso distrarre in altro le rendite delle Chiese. Quì haurei domandato il Soave, sè di questi l'età presente è più scarsa, che quelle, tanto da lui commendate. Certo non erano così provedute allora, e tutte le Città de Vescovi, e tutte le Ville de' Curati, e tutte le Contrade de' Parocchiani come al presente. Quanto era minore la copia delle Chiese assiduamente ufficiate, e de Religiosi per ogni parte, che predicassero, che confessassero, che sacrificassero, che salmeggiassero con assidua frequenza! Onde più tosto è convenuto di mettere argini al torrente della pietà, e di limitar l'abbondanza degl'Ordini Regolari. Mà dapoiche s'è supplito sì ampiamente al bisogno de luoghi particolari, non era forse opportuno di proveder anche ad una Corte, & ad una Reggia universale, la quale potesse alimentare, e rimunerare gran numero d'huomini scienziati, nobili, e benemeriti, i quali servissero à questa Republica, e si dedicassero à Dio specialmente in questa vita? Nel vero il più dannoso, e il più irrimediabile mancamento delle Communità, è la scarsezza de guiderdoni, non potendosi dar questi senza impoverire il publico. Che se i premii fossero così pronti come i castighi, non meno sarebbe agevole il far germogliare le insigni virtù, che il diradicare l'empie scelleratezze. Posto ciò nella Gierarchia Ecclesiastica l'unico errario di tali alimenti, e di tali guiderdoni sono i beneficii semplici. Adunque l'abondanza di questi è la mamella per nutrir la virtù nella Chiesa* (a).

(a) Pallavic. Istor. del Conc. l.8.c.17.n.3.

11. *Mi si risponderà, che sarebbe così, quando la distribuzione si facesse à proporzione del merito. Ed io replico, che non trattasi quì di lodar, ò di biasimar i distributori, i quali in varii tempi sono varii, or buoni, or mediocri, or cattivi, come in tutte le Republiche, nelle quali non si è giudicato però mai, che sia nociva la deputazione de premii, per la mala amministrazione de premiatori. Questo difetto, come quello, che ò più, ò meno è inseparabile dalla condizione humana, si biasima in Roma ogni dì da' Predicatori tù i Pulpiti, da' Teologi nelle Stampe. Mà io domando, se quantunque, non ostante tutte le buone leggi, si erri poi, ora per ignoranza, ora per affetto, nel dispensare i guiderdoni, riesca profittevole, che sia nella Chiesa questo errario di premii, ò che non ci sia, come vorebbe il Soave? Chi può dubitare della risposta? Essendoci avviene il concedo, che alcuni indegni sono arrichiti, alcuni degni scarsamente proveduti, mà togliendosi, seguirebbe, che niun degno conseguirebbe nulla, non ci sarebbe Patria comune, Reggia*

comu-

comune. Ogn'uno converebbe, che se volesse vivere di quella Chiesa, stesse à confessare, ò à salmeggiare nelle Terre particolari, senza affinarsi in dottrina, e in senno nell'eccellente scuola della frequenza. E ciò, che sarebbe peggio mancarebbe il Principato Ecclesiastico, che mantiene in unità, in regola, & in decoro tutta la Chiesa, come da noi più volte si è dimostrato. Non può negarsi, che con tutte le imperfezioni della Corte Romana, ella sola non allievi, e mantenga un gran numero d'huomini letterati, massimamente in lettere Sacre. E dove in molte dell'altre son salariati per lo più Cortigiani di presenza, e di spalliera; ella ricerca, e rimunera ne suoi quelle doti, che sono proprie della natura ragionevole, e della Religion Christiana, che rendono felice la Republica in terra, ed agevolano à suoi Cittadini il felicitarsi in Cielo.

12. *Aggiungo, che i medesimi eccessi dell'entrate Ecclesiastiche, i quali accadono talora quivi in una persona istessa, con offesa della giustizia distribuita, convertonsi in beneficio d'innumerabili. Perciochè gli stimoli uniti, e della coscienza, e della riputazione, spingono quei dovitiosi Prelati à far opera di magnifica pietà in grandissimo honor di Dio, sollevamento de poveri, nutrimento degl'operarii, ornamento della Reggia Ecclesiastica. Tantoche tali opere pie fatte in Roma solo in due secoli bastarebbono per render venerabile, & amirabile la nostra Religione agli sguardi di tutti i Monarchi Maomettani, e Gentili. E pur ciò non si vede à gran lontananza usarsi dagl'arricchiti nel favore dell'altre Corti: ed è un bene, che succede etiandio posta la disordinata dispensazione de beneficii non obligati à residenza. In fine vogliamo chiarirci, se il parere del Soave sia buono. Domandiamone il voto à tutti i Principi, ed à tutte le Signorie Cattoliche. Proponga il Papa una Legge, che tutti i beneficii diventino di residenza, e vedremo se alcun Potentato sia per approvarla, ò se ciascuno giudicarà necessario pel buon governo, che molti di que' beneficii, de quali compete à lui la presentazione, possano darsi à chi non risegga, mà stia impiegato ne' ministerii della Republica. Ne in ciò dobbiamo dolerci de Principi. Allora più tosto le doglianze sarebbono giuste, quando escludessero dal maneggio gl'Ecclesiastici, i quali più ordinariamente saranno inchinati à consigli pii, e religiosi, che i secolari.*

13. *Ne perche tali Prebendati sieno liberi dal risedere, è di leggiera importanza l'obligo, che loro s'impone (e che deride il Soave, perche egli forse non l'osservava) cioè di recitare intorno ad un ora, e mezza d'orazione quotidiana, sotto pena di peccato mortale, e con debito in conscienza di rendere i frutti: Ed oltre à ciò l'inabilità per la vita matrimoniale: il che riesce di tanto prò ad applicar gl'huomini alla contemplazione celeste, à fissarli negli studii, à mantenere lo splendore della nobiltà nelle famiglie; ed è peso tanto grave, macchiando l'anima, la riputazione, la prole di chi non osserva il consiglio difficilissimo della continenza. Le istanze perpetue della Germania pel matrimonio de Sacerdoti, testificano, se anche tolta la residenza, resti una gravissima pensione à Beneficiati.* Hùcusque Cardinalis Pallavicinus, qui & præfatis oneribus alia potuisset adjungere, Beneficiariis merè simplicibus inhærentia, ut eleemosynas distribuendi, & missas per interpositam personam celebrandi, & festum in anniversario Sancti titularis agendi, & Ecclesiam, illiusque domos, ac prædiorum ædes, reparandi, & variis ministris, vel operariis, Ecclesiæ servitio deputatis, congruum porrigendi stipendium, & alia hujusmodi, quæ crumenam Beneficiarii non implent, sed proventus ejus exhauriunt.

14. Habent ex eloquio ejusdem Pallavicini Contradictores Auctorem disputationis, quam ipsi promovent. Centum ab hinc annis, & ultrà illam posuit in propatulo Paulus Suavis, sive Marcus Antonius de Dominis, celeberrimus Ecclesiasticæ potestatis impugnator, cujus paralogismata audisse, confutasse est. Certè talem Parentem habere, nulli decus affert, sed multum infert opprobrii: ignis etenim qui eundem publicè adussit, aer, qui ejusdem cineres dispersos à

Car-

Carnifice excepit, sunt testes depravatæ illius conscientiæ, falsæ doctrinæ, pessimorum morum, ac detestatæ memoriæ. Quem ergo non pudeat, talem Antesignanum sequi, ac tantis vituperiis notatis Directoris vestigia calcare? Profectò ipsius prava, & importuna effata prosequi, in medium ponere, refricare, quæ Scriptores, quæ Accademiæ, quæ Theologi primæ notæ jam à tempore adeò prolixo dispescuerunt, non est sapientèr loqui, sed veritatem agnitam impugnare: non virum doctum, & literatum agere; sed insipientis omninò scioli figuram repræsentare: non lyceum demùm aperire, sed ad platagen Architæ decidere. Parcimus tamèn in hâc parte Contradictoribus, quià mitiùs de illis opinantes censemus, eos ità scripsisse ad opportunitatem suę causę, ut aliis placerent potiùs, quàm ut verum eorum sensum orbi literario denuntiarent. Sed dè his satis.



PRO-



PROBATIONES VARIÆ IMMVNITATIS BENEFICIORVM MERÈ SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT IX.

In quo SCRIPTURALITER, *ex analogiâ Sacerdotum, & Levitarum Legis Mosaycæ ad Beneficiarios novæ Legis, probatur quod Clerici possidentes Beneficia merè simplicia, quantum est in sè, nullo servitii personalis, & residentiæ onere sunt adstricti, pretèr Divini Officii recitationem.*

SUMMARIUM.

1 *Onus residentiæ personalis Beneficiarii merè simplices, vel nunquàm habuerunt, vel si habuerunt, jàm fuit justis de causis sublatum.*

2 *Cum tota frequentet Ecclesia, quod Beneficiarii merè simplices exempti sint ab onere personalis residentiæ, ut quid hoc onus eis ingerere?*

3 *Origo beneficiorum refertur ad decimas, & oblationes veteris testamenti, quarum erant participes Sacerdotes, & Levitę: eorumque recensentur officia.*

4 *Sacerdotes, & Levitę non omnes poterant quotidiè, neque crebrò eorum officium exercere apud Tabernaculum, & Arcam fœderis, ac in Templo Hierusalem.*

5 *Arca fœderis Domini, & Tabernaculum non habebant situm immutabilem, sed ordinariè manebant, ubi Pontifex morabatur. Variis in locis mansit Arca, & in variis Tabernaculum.*

6 *Templum Hierusalem in tali loco erat, ut non possent omnes Levitę, ac Sacerdotes per Palæstinam, Asiam, & Europam distributi, crebrò illùc accedere ad ministrandum.*

7 *In Synagogis tria fieri poterant, orare, docere, & plectere delinquentes. In eis verò Sacerdotale, ac Levitale officium non exercebatur.*

8 *Sacrificia veteris legis in unico loco offerebantur, ad differentiam sacrificii novę legis. Esse autem non poterat, quod tot Levitæ simùl ibi ministrarent.*

9 *Sacerdotes, & Levitæ non quotidiè sacrificabant, & ministrabant omnes in*

Tem-

Templo, sed per turnum, secundum vices suas.

10 *Omnes Sacerdotes, & Levitæ in Templo poterant, sed non omnes tenebantur ministrare, & tamèn proventus Levitales percipiebant.*

11 *Pontifex, ac Sacerdotes, & Levitæ in Hierusalem, vel circà eam commorantes, tenebantur ibidem ministrare. Cæteri longe distantes poterant, sed non debebant.*

12 *Sicut dictum est de Sacerdotibus, & Levitis Mosaycis; ità etiam non omnes Beneficiarii tenentur in Ecclesiis designatis ministrare, & apud ipsos residere.*

13 *Si Levitæ præfati, & Sacerdotes non ministrabant in Templo Decimas, & proventus suo ordinis debitos percipiebant: ministrantes verò etiam sportulas obtinebant.*

14 *Erant in lege Moysi præbendæ Levitales distinctę à diurnis distributionibus. Beneficiis merè simplicibus licitè gaudent Clerici, etiam si Ecclesiæ non deserviant.*

1. *UID tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodùm & illi*, ait Princeps Apostolorum Petrus in Concilio Hierosolymitano, adversus quosdam perorans, qui zelo improvido, & intemperante onus observandi legales cœremonias Christifidelibus ingerere satagebant (*a*). Idipsum innui per nos potest non inopportunè Contradictoribus, qui Beneficiarios merè simplices residentiæ, ac servitii personalis obligatione involvere collabrant, quæ vel nunquàm fuit, vel si unquàm ejus extitit ulla ratio; jàm justitiâ, & æquitate sic deposcente, prorsus evanuit: tale quippè jugum præseferebat, ut illud neque Patres nostri, neque nos portare potuerimus. Itàque sine causâ, sine ullâ necessitate, sine debito, sine consilio, Contradictores ipsi, Sacris Scripturis vim facere; Patrum sententias extrà propriam orbitam trahere; praxim Ecclesiæ intervertere; Doctorum tandem dicta convellere connituntur; ut tempori serviant, ac politicæ illi rationi lenocinentur, quâ Prælatos, Cardinales, & Aulicos Romanæ Curiæ, aliorumque locorum Clericos, Episcopis, Regibus, & Principibus obsequia sua præstantes, à beneficiis merè simplicibus gestiunt ablegare.

(a) *Actorum c. 15. num. 8.*

2. Nèc minùs mirandum, quàm sanè ridendum est, quantâ verbositate, quantâque oris clamorositate coaxent, ut pro dogmate Christianæ veritatis constituant, debitum residentiæ, atque personalis servitii, à Beneficiariis merè simplicibus, exhibendum Ecclesiis illis, in quibus earum beneficia sunt erecta: non secus ac, si tota summa perfectionis ecclesiasticæ, totaque vis disciplinæ Clericalis esset in hoc minuto articulo collocata. Ad istorum igitùr os totalitèr obstruendum, si omnes rationes deficerent; si cuncta jura deessent, justificantia exemptionem ipsorum Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ, & personalis servitii, Ecclesiæ beneficii, exhibendi; illud solùm Sancti Augustini posset adagium satis esse: *Si quid per universum orbem frequentat Ecclesia, de eo quin rectè fiat, disputare insolentissima insania est* (*b*). Vidimus in universâ Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, Germaniâ, Poloniâ, Hungariâ, Siciliâ, & generalitèr in cunctis Regnis, & Provinciis Christianitatis, Clericos, qui beneficia merè simplicia possident, personale servitium Ecclesiis suorum beneficiorum nullatenùs exhibere, atque apud illas ex obligatione non residere: velle ergò disputare quin legitima, & justa sit eorum exemptio ab hujusmodi onere servitii personalis, & residentiæ, *insolentissima insania est*, diceret Augustinus. Nos autèm aliam illationem indè deducimus, nempè quod si Beneficiarii merè simplices à residentiæ debito salvâ conscientiâ non possent eximi, sequeretur, totam

(b) *S. August. epist. 118.*

totam Ecclesiam, per totum universum orbem positam, in errore versari, ac jàm à multis sęculis errare: quod asserere, non est sapere, sed elleboro veraciùs indigere.

3. Verùm quià rationes multæ non desunt, exemptionem ipsam justificantes; easdem jam in propatulo nùnc ponamus. Et quoniàm origo beneficiorum refertur ad præbendas, quas Sacerdotes, & Levitæ veteris Testamenti possidebant in proventibus, oblationibus, decimis, & primitiis consistentes, quas à duodecim Tribus Israel percipiebant; videamus, an hinc aliquid causæ nostrę proficuum deducatur præter ea, quæ suprà usque ab initio totius nostri Operis allegavimus (*a*). Sacerdotes, & Levitæ propter proventus, oblationes, decimas, & primitias præfatas, Deo dicatas, & de quibus ipsi participabant; erant veluti totidem beneficiati. Sacerdotum autèm tamquàm à Pontifice distinctorum, officia erant offerre victimas, & sacrificia super altare holocausti (*b*): Ignem in ipso altari, subiiciendo quotidiè ligna, nutrire (*c*): Bis quotidiè inceptum super altare thymiamatis adolere (*d*): Bis paritèr quotidiè lucernas super candelabro aureo concinnare (*e*): Singulis Sabbatis duodecim panes calidos mensæ propositionis apponere (*f*): Vaccam rufam imolare (*g*): Mulieres in casu Zelotypiæ adjuvare (*h*): Intèr lepram, & lepram discernere (*i*): & alia facere, de quibus apud Doctores (*l*).

4. Levitarum paritèr officium erat Sacerdotibus sacrificantibus deservire (*m*): In Tabernaculo fœderis Domini ministrare (*n*): Ipsumque Tabernaculum, ac ejus Arcam de loco ad locum transferre (*o*): Tametsi in transitu Jordanis, & in circuitione murorum Jerico, delata fuerit, non à Levitis, sed à Sacerdotibus (*p*): Et alia facere, de quibus Doctores (*q*): & ipse facer textus in libris Paralipomenon (*r*). Porrò cuncti viri de Tribu Levi, Sacerdotes unà cum Levitis complectente erant centum viginti millia (*s*): non omnes in Hierusalem, neque omnes in uno loco morantes, sed hùc illùc per totum Regnum Israeliticum residentes, & incolentes quadragintaocto Urbes, quæ illis ad inhabitandum fuerunt jussu Moysis destinatæ (*t*). Insupèr infinitus numerus Hebręorum per varias Regiones Europæ, Asiæ &c. morabatur (*u*): adeò ut Philo de illis scriberet: *Judæos unagens non capit propter hominum multitudinem, quapropter plurimas, ac fortunatissimas Urbes in Europæ, Asiæque provinciis, ac insulis colunt* (*x*). Intèr hos autem quis dubitet fuisse quoque viros ordinis Levitici? Moralitèr verò inverisimile videtur, ne impossibile fuisse dicamus, quod hi omnes Sacerdotes, & Levitæ, in tàm dissitis locis habitantes, possent assiduè, atque quotidiè, vel crebrò Sacerdotale, ac Leviticum exercere munus in loco, ubi erant Tabernaculum, & Arca fœderis Domini, & successivè apud Hierosolymas ministrare in Templo, quod ibi à Salomone fuerat constitutum.

5. Porrò quoàd Arcam, & Tabernaculum, hæc situm immutabilem non habebant, sed de loco ad locum movebantur, etiàm postquàm Israelitæ ad terram promissionis pervenerant: & ordinariè in illo loco manebant, ubi Pontifex morabatur (*y*). *Tabernaculum* primò fuit in Galgalis, tempore Josuè (*z*). Secundò fuit in Silo, tempore Samuelis (*aa*). Tertiò fuit in Nobe, tempore Davidis (*bb*). Quartò fuit in Gabaon, tempore Salomonis (*cc*). Quintò fuit in Hierusalem, ipso Salomone regnante (*dd*). *Arca* quoque fœderis Domini primò fuit cum Tabernaculo in Galgalis, & in Silo. Deindè fuit in Castris Israel, pugnantis contrà Philistæos (*ee*). Posteà fuit in Azoto in Templo Dagon (*ff*). Indè fuit in Accaron (*gg*). Postmodùm in agrum Josuè Bethsamitæ (*hh*). Deindè in Cariathiarim in domum Abinadab (*ii*). Successivè in domum Obededom Gethæi (*ll*). Demùm in Civitate David (*mm*). Quis dicat autem 120. millia Sacerdotum; & Levitarum, per tot, ac tàm remota loca totiùs Palæstinę, Asiæ, Europæ, aliarumque Regionum, & Provinciarum fuisse Arcam, & Tabernaculum prosecutos, talitèr ut apud utrumque, vel alterutrum residerent, atque personalitèr ministrarent.

(a) *Vide suprà to 1. Sec. 1 c. 1 à n. 18 ad 21*
(b) *Levitic. cap. 1. 2. & 3.*
(c) *Levitic. cap. 6. num. 12.*
(d) *Exodi cap. 30 num. 1.*
(e) *Exodi cap. 25. num. 37.*
(f) *Exodi cap. 25. num. 23.*
(g) *Numer. cap. 19. num. 3.*
(h) *Numer. cap. 5. num. 19.*
(i) *Levitic. cap. 13.*
(l) *Torniel. an. mundi 2545 num. 17. Becan. Analog. vet. Test. c. 7. quæst. 4.*
(m) *Numer. c. 3. n. 6*
(n) *Numer. c. 1. 50. & cap. 4.*
(o) *1. Paralip. c. 15. num. 15.*
(p) *Josuè c. 6. num 6*
(q) *Tostatus in Deuteron. 18 qu. 4. Torniel. an 3020 n. 2. 3 4.*
(r) *1. Paralip. cap. 23. num. 16.*
(s) *Sigonius de Republ. Hebr l. 5. c. 2. Borel. sum. decis. tom. 2. tit. 7. n 2.*
(t) *Numer. cap. 35 n. 2. Josuè cap. 21.*
(u) *Villalpand. in Ezechiel. to. 2. p. 2. dis. 1. cap. 58.*
(x) *Philo advers. Flaccum.*
(y) *Becan. Analog. vet. Test. cap 12. n 11.*
(z) *Josuè cap. 5. n. 10*
(aa) *1. Regum cap. 4 num. 3.*
(bb) *1 Regum. c. 21. num 1. & c. 22. n. 19.*
(cc) *3. Regum c. 3. n. 4. & 1. Paralip. c. 21. num 29.*
(dd) *3 Regum cap. 8 num. 4.*
(ee) *1. Regum c. 4. num. 3.*
(ff) *1 Regum cap. 5 num. 1.*
(gg) *1. Regum c. 5. num. 10.*
(hh) *1. Regum c. 6. num. 14.*
(ii) *1. Regum c. 7. num. 1.*
(ll) *2. Regum c. 6. num. 10.*
(mm) *2. Regum c. 6. num. 12.*

6. Quoàd Templum verò Salomonis, hoc fuit ædificatum in Hierusalem urbe præcipua Palæstinæ, in extremâ parte Tribus Beniamin, loco valdè distante ab Urbibus Levitalibus, è quibus non est probabile, quod possent jugitèr Sacerdotes, & Levitæ profluere, ut assiduè in Templo personaliter ministrarent. Ipsaque Urbs multò magìs distabat ab aliis Regionibus Europæ, Asiæ, atque Insularum Maris, in quibus Judæi, negotii, & mercaturæ gratiâ, vel aliis de causis commorabantur, à quibus non est credibile, quod se Hierosolymam conferrent, ut ibidem in Templo jugitèr ministrarent. Et si dicatur, quod licèt adesset unicum Tabernaculum in Judæâ, cui posteà successit Templum, à Salomone constructum, unicum paritèr in Hierusalem; tamèn plures aderant Synagogæ per totam Palæstinam, ubi poterant Sacerdotes, & Levitæ proprio officio defungi; hoc nihil afficit; quippè tametsi adesset antiquissima Synagoga in Masphâ, ubi Samuel populum congregavit (*a*), aliæ adessent Antiochiæ, Damasci, Athenis, Salaminæ, Corinthi, de quibus in Actibus Apostolorum (*b*), nec deessent alia in totâ Judæâ (*c*). In ipsâque solâ Urbe Hierusalem, tempore excidii, quod passa est 480. Synagogæ publicæ adessent (*d*): Imò in singulis Civitatibus videatur adfuisse Synagogas Judæorum: Legitur enim in Scripturis: *à temporibus antiquis habet in singulis Civitatibus Moyses, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur* (*e*). Attamèn advertendum est, quod Synagogæ non erant loca, in quibus Sacerdotes, & Levitæ possent officia proprii ordinis exercere.

(a) 1. *Regum cap. 7. num. 5.*
(b) *Act. Apost. c. 9. n. 2 c. 13. n. 5. c. 14. n. 1. c. 17. n. 1. & c. 18. n. 4.*
(c) *Matthæi c. 4. nu. 23. Lucæ c. 4. n. 15.*
(d) *Martin. Becan. Analog. vet. & nov. Test. c. 12. art. 12. n. 41.*
(e) *Act. Apost. c. 15 num. 21.*

7. Sanè Synagogæ ad triplicem tantum usum erant erectæ, nempè primò ad orandum (*f*), undè dicitur apud S. Matthæum: *qui amant in Synagogis orare* (*g*). Secundò ad prædicandam, & docendam Dei legem (*h*). Ideò dicitur de Christo: *erat prædicans in Synagogis Galileæ* (*i*). Tertiò ad puniendos delinquentes (*l*): Undè clamabat Dominus: *in Synagogis suis flagellabunt vos* (*m*): Et *ex illis flagellabitis in Synagogis vestris &c.* (*n*). Quæ tria fusiùs explicant Franciscus Toletus (*o*), Augustinus Torniellus (*p*), & alii: Primum autem officium orandi non erat proprium Sacerdotum, & Levitarum, sed commune omnium. Tertium plectendi delinquentes, ad Ministros pertinebat, à Sacerdotum Principe deputatos (*q*). Secundum, docendi, ac prædicandi legem, erat munus Scribarum, & Pharisæorum (*r*), qui non omnes ex Tribu Levi, sed ex cunctis aliis Tribus indistinctè promoti erant (*s*), de quibus ait D. Jo: Chrysostomus: *per omnes Tribus in duodecim partes disseminati erant Pharisei* (*t*). Et ità docere legem in Synagogis, non erat Levitale, vel Sacerdotale munus implere, sed Legisdoctoris officio persungi: adeòque Levitæ ipsi, ac Sacerdotes non poterant ordines suos implere, nisi in Templo, & non in Synagogis.

(f) *Judith c. 6 n. 12. Psalm. 15. n. 12. ac Ps. 67. n. 27. Matth cap 6. num. 5.*
(g) *Matth. c. 6. nu. 5.*
(h) *Act. Apost. c. 15 n. 21. Marci c. 2. n. 21. Lucæ c. 4. n. 15.*
(i) *Lucæ c. 4. n. 44. Marci c. 1n. 39. Matth. cap 4. n. 23.*
(l) *Joannis c. 9 n. 21. Matth. c. 10. nu. 17 & c. 23 n. 34. Act. 22 nu. 19. & 26 n. 11.*
(m) *Matth. cap. 10. num. 17.*
(n) *Matth. cap. 23. num. 34.*
(o) *Toletus in Joan. cap. 16. annot. 2.*
(p) *August. Torniel. an Mund. 2594. n. 14. Becan loc. cit. num. 35. & sequ.*
(q) *Act. Apost. c. 9. num 1.*
(r) *Matth. cap. 23. num 2.*
(s) Becan. *loc. cit. cap. 10. qu. 2.*
(t) *S. Joan. Chrysost. in c. 15. Matth. ei.*

8. Imò docet D. Thomas, quod in veteri lege noluit Deus, ut ei in pluribus locis, sed in uno tantùm, sacrificia exhiberentur, ad differentiam legis novæ, ac proptereà fuit distinctus apud Judæos locus sacrificii à locis doctrinæ, sive à Synagogis: *ut firmaretur in animis hominum fides unitatis divinæ, voluit Deus, ut in uno loco tantùm sibi sacrificium offerretur: & iterùm, ut per hoc ostenderet; quod corporalis cultus non propter se erat ei acceptus: & ideò compescebantur, nè passim, & ubiquè sacrificia offerrent. Sed cultus novæ legis, in cujus sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundum se Deo acceptus, & ideò multiplicatio Altarium, & Templorum acceptatur in novâ lege* (*u*). Hæc Angelicus Doctor. Si ergò in unico tantùm loco, in uno solo Templo Hierusalem erant oblationes sacrificiorum, ex consequenti est, quod Levitæ, ac Sacerdotes legis Mosaycę non possent munera Sacerdotalia, & Levitica exercere, nisi in eodem unico Templo. Id autem quomodò credibile est, quod exercuerint 120. millia virorum ordinis Levitici, & quod longè distantes à Hierusalem, per totum orbem disseminati, possent idipsum competenti modo, & facilitate exercere?

(u) *S. Thom. 1. 2. qu. 102. art. 4. ad 3.*

9. Si

9. Si dicatur, quod licèt Sacerdotes, & Levitæ non quotidiè sacrificarent, vel respectivè ministrarent in Templo, aut aliud eorum officium exercerent; id attamèn efficiebant per vices suas; Nàm de Levitis dicitur in libris Paralipomenon; *distribuit eos David per vices filiorum Levi* (a): Et de Sacerdotibus in Evangelio Lucæ notatur: *factum est cum Sacerdotio fungeretur*, Zacharias, *in ordine vicis suæ antè Deum, secundum consuetudinem Sacerdotii &c.* (b). Quarè tametsi non residerent quotidiè, residebant tamen prò tempore vicis suæ; Si hoc dicatur; nos respondemus, quod nisi probetur, refluxum hujusmodi vicis suæ fuisse crebrò per interstitia congrua frequentatum, & quod hæc alternatio vicis ad omnes 120. mille viros de Tribu Leviticâ se porrigeret, tamquàm ex debito; respondemus, inquam, illam vicissitudinem ad solos filios Levi, intrà, & propè Hierusalem commorantes, se protendisse, ut ex debito servandam: alios verò longè morantes, nonnisi ex devotione attigisse. Patet hoc ex Deuteronomio, ubi decernitur: *Si exierit Levites ex unâ Urbium tuarum ex omni Israel, in quâ habitat, & voluerit venire, desiderans locum, quem elegerit Dominus, ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui stabunt eo tempore coràm Domino, partem ciborum eandem accipiet, quàm & cæteri, excepto eo, quod in Urbe suâ, ex paternâ ei successione debetur* (c).

(a) *Paralip. cap. 23. num 6.*

(b) *Lucæ cap. 1. n. 8.*

(c) *Deuter. c. 18. n. 6.*

10. Vides quod viri Levitici generis, hùc illùc per Regnum Israel commorantes, & multò magis alii longius permanentes, disseminati per Europam, & Asiam, atque Insulas Maris, quos Hugo Cardinalis vocat *Levitas Forenses* (d), non ex debito, sed ex solâ devotione se in Hierusalem conferebant, ut ministrabant in Templo, si vellent: quod ne pareret confusionem, cum aliis Levitis, ex debito ministrantibus, ordo erat, ut non possent semper, sed quod regulatâ deberent methodo id adimplere, ac juxtà vices suas obire, ne venientes administrandum in Templo ex devotione, simul omnes in immenso numero convenirent, & se alter alterum impedirent: vel ne perturbationem ingererent aliis, qui ex obligatione debebant ibi officia Levitalia, & Sacerdotalia exercere. Itàque Levitæ, ac Sacerdotes Incolæ aliarum Civitatum longè distantium poterant, sed non debebant: Incolæ verò Hierusalem, & vicinorum locorum, nedùm poterant, sed etiàm debebant in Templo statis temporibus ministrare. Prætereà ille ordo ministrandi per turnum, sive per vices determinatas, à Moyse usque ad David, per quingentos ferè annos non fuit: neque fuit eo tempore, quo ministerium Leviticum exhibebatur Tabernaculo, & Arcæ, sed incœpit, quandò David designavit Templum, in Hierusalem construendum. Rex enim ad tollendas confusiones, quæ oriri poterant, vicissitudines ministerii distribuit (e). Toto ergò illo intermedio tempore, quo hujusmodi vicium distributio non erat, Sacerdotes, & Levitæ poterant, sed non debebant personalitèr ministrare. Rursùs post factam vicium distributionem viri Levitici generis, longè permanentes, poterant, sed non debebant apud Arcam, & Tabernaculum, ac respectivè apud Templum residere, atque ministrare: Et tamèn proventus Levitalis ordinis in prædiis, decimis &c. consistentes accipiebant, quantumlibet non residerent, nec ministrarent.

(d) *Cardin. Hugo in Deuter. 18. 6. §. excepto.*

(e) *Torniel. an. Mund. 3010. n. 5. Joseph. Antiquit. l. 7. c. 11.*

11. E contrà verò Princeps Sacerdotum, qui pastor erat, & Pontifex Hebræorum, tenebatur jugitèr apud Sanctuarium residere, & ità legitur, quod Heli ad portam Templi sedebat (f). De Zachariâ dicitur, quod fuit jussu Joas Regis, in atrio domus Domini lapidatus (g). Azarias impedivit, ne Ozias Rex adoleret incensum super Altare thimiamatis (h). Josuè filius Josedec reædificando Templo cum Zerobobel animum applicavit (i). Jeddoa, seù Jaddus Alexandro Regi Macedonum ingredienti Templum Hierosolymitanum occurrit (l), & sic de aliis; ac sicut jàm suprà diximus, Arca Domini stabat in eo loco, in quo morabatur Summus Sacerdos: tanta erat colligatio inter utrumque, ut hic ab illâ non discederet, ac secum ipsam, alio peragrando, transferret.

(f) *1. Regum cap. 1. num. 10.*

(g) *2. Paralip. c. 24. num. 21.*

(h) *2. Paralip. c. 26. num. 17.*

(i) *1. Esdræ c. 5. n. 2.*

(l) *Joseph. Antiquit. l. 13. cap. ult.*

Quibus ità se habentibus, manifestum restat, quod Princeps Sacerdotum, uti Pastor, & Rector Judæorum tenebatur apud Sanctuarium Dei residere, atque ibi personalitèr ministrare; Sacerdotes autèm, ac Levitę non omnes ad id tenebantur, sed illi solùm, qui propter propinquitatem incolatus Templo magis proximè juncti commorabantur, vel aliâ speciali ratione adsciti erant servitio ipsius Templi: cœteri verò poterant quidem, sed non id facere renebantur.

(a) *S.Thom. 1.2. qu. 102. art. 4 ad 3.*

12. Et cum teste D. Thomâ, *Ecclesia nostra succedat in locum Templi* (*a*), hìnc fit, ut ministri quoque Ecclesiæ nostræ succedant ministris Sanctuarii. Quarè analogando Beneficiarios Legis Mosaycæ cum Beneficiariis Ecclesiæ Christianæ, infertur, quod sicut in lege Mosaycâ non tenebantur ad residentiam, & personale servitium, nisi Summus Pontifex, & aliqui alii Sacerdotes, & Levitæ, propè Sanctuarium habitantes, ac ministerio Tabernaculi, & Templi specialitèr applicati; reliqui verò Sacerdotes, ac Levitæ, & quidem numero majores, tametsi possent per vices suas deservire, non tamen ad residentiam illam, & servitium personale tenebantur, quantumvis arva, decimas, & proventus perciperent, ad Sacerdotale, & Leviticum officium pertinentes; ità in lege Evangelicâ non tenentur ad residentiam, & personale servitium, omnes Clerici beneficia ecclesiastica retinentes, sed soli Pastores animarum, & alii ministri, Ecclesiæ servitio personalitèr deputati, quorum personæ industria electa est; cœteri verò ab hujusmodi onere exempti sunt: quod idem est ac dicere, non teneri ad residentiam Beneficiarios merè simplices, sed illos tantùm, qui sunt beneficiis residentialibus insigniti.

13. Percipiebant, inquam, Sacerdotes, & Levitæ Forenses, ac longè ab Urbe Hierusalem commorantes, reditus eorum ordini debitos, & præsertìm decimas, quæ erant nervus præcipuus proventuum Levitalium, quantumlibet non residerent, nec personaliter ministrarent in Sanctuario Domini. Veruntamèn si devotione acti, ad idem Sanctuarium se conferebant, & secundum ordinem vicis suæ, inibi residebant, & ministrabant, adhùc alios fructus percipiebant, veluti sportulas, & manuales præstantiones de his, quæ pertinebant ad jura Sanctuarii. *Levitæ*, ait Abulensis, *qui ministrabant, pretèr jus decimarum, quod habebant, adhùc accipiebant alias partes de his, quæ pertinebant ad jura Sanctuarii: Decimę autèm, sive tempore, quo serviebant, sive quo non serviebant, dabantur, ut sustentarentur indè ipsi, & familiæ suæ in Civitatibus suis* (*b*): Et infrà subjungit: Decimæ *non debebantur Levitæ solùm quandò ministrabat, ut patet de aliis partibus ciborum, quæ eis dabantur, eum starent in loco Sanctuarii; nàm ubicumque starent ista dabantur; sive ministrarent, sive non, sive in Sanctuario, sive in Urbe suâ, vel ubicumque alibi* (*c*).

(b) *Alphons. Tostat. sivo Abulensis in Deuter. c. 18. qu. 4.*

(c) *Idem Tostat. loco citat.*

14. Patet ex his, quod duæ species bonorum ad Sacerdotes, & Levitas legis Mosaycæ pertinebant, nempè primò primitiæ, oblationes, & decimæ, de quibus omnes, ubicumque manerent, in suo quique loco participabant, erantque velut eorum præbenda propria, & personalis. Secundò stipendia manualia, & præstantiones diurnæ communes, quæ tantùm deservientibus Templo debebantur, & harum non erant participes, nisi actualitèr in Sanctuario ministrarent: eo prorsus modo, quo Canonici Cathedralium, & alicubi alia quoque Beneficiarii residentiales, habent quędam prædia, & reditus constituentes propriam prębendam, ac beneficium: & insupèr habent quosdam proventus communes, quos vocant massam distributionum, & de hâc non gaudent, nisi qui de die in diem Ecclesiæ deserviunt, solentque vocari distributiones quotidianæ; reditus verò prębendæ, quam habent in titulum, percipiunt, etiàm si desint Ecclesiæ servitio, quâ de rè passim Jurisconsulti (*d*). Quemadmodùm ergò viri generis Levitici, seu illorum numerosa pars, prębendis suis Levitalibus potiebantur, tametsi non resi-

(d) *Barbos. de Canon. c. 21. & alii ab eo cit.*

residerent personalitèr apud Sanctuarium Domini, atque in eo actualitèr deservirent, quià redituum illorum digni erant stipendio aliundè: ut quià Levitico statui erant specialitèr dedicati: quià religioni tuendę honori Dei promovendo, & Deo laudibus colendo ex officio tenebantur incumbere; ità etiàm in Ecclesiâ Clerici aliqui præbendis, ultimæ speciei perfrui valent, quantumvis nulli Ædi sacræ peculiaritèr famulentur: quippè tales præbendas aliundè merentur, ut ex eo quod statui Clericali mancipati sint, quod Christianæ religioni tuendæ, honori Dei promovendo, laudibus divinis persolvendis, celibatui observando &c. sint adstricti: & hæ præbendę sunt illę, quas beneficia merè simplicia nuncupamus.

C A P U T X.

In quo eadem exemptio Beneficiariorum merè Simplicium, ab onere personalis residentiæ, probatur Rationibus LEGALIBUS, *& ex Consuetudine, ac Præscriptione desumptis.*

S U M M A R I U M.

1 *Ultimę voluntates hominum sunt observandę, tamquàm res de jure gentium, non de jure naturali, nequè divino, sed positivo.*

2 *Eorum, qui fundarunt beneficia merè simplicia, voluntas est, quod hæc sine residentiæ onere conferantur.*

3 *Si constat Fundatorem voluisse, ut beneficium simplex careat onere residentię, vel est fundatum postremis sæculis, & eodem onere caret.*

4 *Etsi beneficium fuisset erectum tamquàm residentiale, adhùc salva remanet potestas Ecclesiæ, quę potuit illud vertere in simplex.*

5 *Qui per alium facit per se ipsum facere censetur, non fictione juris, sed verè, ac propriè: hocque evertit conatum Contradictorum.*

6 *Si Beneficiarii merè simplices onus missas celebrandi, vel quid simile agendi habent, sufficit, quod illud adimpleant per interpositam personam.*

7 *Beneficiariis merè simplicibus justa causa non residendi, est generalis praxis totius Ecclesiæ: nec enim credendum est, totam Ecclesiam errare.*

8 *Auctoritatem Ecclesiæ allegavit B. Petrus Cluniacensis prò possessione beneficiorum parochialium, quæ ab ejus Monasterio possidebantur.*

9 *Si onera beneficiorum residentialium interdùm possunt per alium adimpleri; multò magis adimpleri possunt onera merè simplicium.*

10 *In jure decernitur, quod Canonici, tametsi residentiales reditus suæ præbendæ accipiant, si actuali servitio Papæ incumbant.*

11 *Hi enim habentur prò præsentibus, non fictione juris, sed veritate rationis, quod & contingit in duobus Canonicis, Episcopo assistentibus.*

12 *Si dicti Canonici licitè percipiunt fructus sui beneficii; multò magis id faciunt Beneficiarii merè simplices.*

13 *Doctores improbantes fictionem juris in Beneficiariis, loquuntur de Curatis, & Canonicis, non verò de merè simplicibus.*

14 *Omnium*

14 *Omnium Doctorum voce Beneficiarii merè simplices à residentiæ debito sunt exempti, & contrarium asserenti onus incumbat id probandi.*

15 *Consuetudinis vim Sancti Patres, Pontifices, & Concilia commendant. Infiniti Canones eam admittunt, & ut observetur insistunt.*

16 *Plura jura clamant in materiâ beneficiorum consuetudinem esse attendendam. Refertur Sanctio Concilii Ephesini ad hoc faciens.*

17 *Consuetudo facit de non licito licitum, & quidquid per pactum, privilegium, vel præscriptionem acquisibile est, dare potest.*

18 *Consensio omnium gentium in rè aliquâ est jus naturæ. Ecclesiasticę consuetudines ex D. Augustino servandæ sunt.*

19 *Præscriptio cunctis rerum, & jurium possessoribus suffragatur. Jurisconsulti, Theologi, Concilia, Canones, Juraque civilia vim ejus attendunt.*

20 *In politicis vi præscriptionis multa salvantur. Ipsa Regna per latrocinium acquisita, præscriptione fiunt legitima.*

21 *Cunctis Ecclesiis est sufficiens præscriptio quadragenaria, & ad excludendum onus residentiæ sufficit, quod res sit dubia.*

22 *Conditiones necessariæ ad præscriptionem concurrunt in beneficiis merè simplicibus prò excludendo onere residentiæ. Beneficia in dubio præsumuntur libera.*

1. IN distributione beneficiorum est observanda fidelitèr voluntas Institutorum, sive illorum, quorum bonis fundata fuerunt: Unusquisque etenim imponere potest rebus suis legem, quam vult (*a*): Et in utroque jure pręscribitur, ultimam voluntatem hominis ratam habendam esse, atque imprevaricabilitèr observandam (*b*). Adeò ut observantia ultimę voluntatis hominum, ob necessitatem fidei publicę, & commercii politici conservandi, censeatur nedùm de jure positivo, sed etiam de jure gentium (*c*): Nè dicamus eam esse quodammodo de jure Divino, quatenùs Apostolus ait: *hominis confirmatum Testamentum nemo spernit, aut superordinat* (*d*), ideft nemo immutat, aut alitèr ordinat, quàm à testatore fuerit constitutum (*e*). Quod tamèn est ità congruè intelligendum, ut alioquin rè verâ debitum observandi ultimas hominum voluntates non proveniat à jure Divino, cui derogari non valeat, nec super eo dispensari possit, sed potiùs pertineat ad jus positivum: quarè tàm Princeps in temporalibus, quàm Ecclesia in spiritualibus, justis ex causis potest voluntates ipsas commutare, vel eis derogare, aut super ipsis dispensare (*f*). Tametsi volutates ipsæ, quantùm res in se est, omninò sint observandæ, & executioni mandandæ.

2. Hincque D. Gregorius monitum hoc dedit Januario Episcopo Calaritano, corpori juris insertum: *admonere te volumus, ne pię vivorum, aut defunctorum voluntates, tuâ, quod absit, remissione cassentur* (*g*): Quod quidem verum est, nedùm de dispositionibus testamentariis, sed etiam de cunctis aliis pactionibus: ad quas prospiciens Arias Montanus inquit: *humana pacta legitimè inita, sancta sunt; ità ut prætèr apertam declarationem contrahentium, vel consensionem, nemo abrogare possit* (*h*). Sivè ergò actio eorum, qui bona propria, ad fundanda beneficia tradiderunt, sit dispositio testamentaria; sive sit pactio inter illos, & Ecclesiam inita; in omnibus, & per omnia est punctualitèr exequenda, ideòque de illâ decrevit Concilium Coloniense *Fundatorum Sacrosancta, & inviolabilis debet haberi suprema voluntas* (*i*), & communitèr in foro dicitur, quod beneficia legem recipiunt à voluntate Fundatorum (*l*). Sed voluntas eorum, qui beneficia merè simplicia fundaverunt, est quod hæc fine resi-

(a) *Leg. 1. & 2. C. de donat. quæ sub mod. c. Verum de Condit. appofit.*
(b) *C. ultima voluntas 4. cauf. 13. qu. 2. l. 1 C. de Sacr. Eccl.*
(c) *Monet. de Commut. ultim. vol. cap. 3. num. 26.*
(d) *Ad Galatas c. 3. num. 15.*
(e) *Cornel. à Lapid. in Galat, 3. 15.*
(f) *Cardin de Luca Relat. Rom. Cur. disc. 20. num. 14.*
(g) *Capit. admonere 14. cauf. 16 qu. 1*
(h) *Arias. Montan. elucid in Galat. 3. 15.*
(i) *Concil Colonienf. ann. 1549. de restring. plur. benef. Bail. sum. Conc. 10. 2. f. 468. 2. C.*
(l) *De Luca de jurisd. disc. 40. n. 9.*

residentiæ onere conferantur; ergò Clerici, qui beneficia merè simplicia possident, ad residentiam personalem non tenentur. Tota vis hujusmodi argumenti, sive Syllogismi, in minoris propositionis verificatione consistit; nempè quod voluntas eorum, qui beneficia merè simplicia fundaverunt, fuerit, quod eadem sine obligatione residentiæ conferantur. Illam autèm ad hominem sic probamus, loquendo individuè de singulis beneficiis.

3. Vel expresse constat de voluntate illius, qui fundavit beneficium merè simplex; vel non. Si constat, & hic fundavit beneficium eâ lege, ut esset beneficium merè simplex, ac legibus merè simplicis beneficii subjectum, juxtà praxim Ecclesiæ, & stylum, quo ab Ecclesiâ regulantur beneficia merè simplicia; ejusdem Fundatoris voluntas est observanda, & Beneficiarius à residentiæ onere immunis est, quià leges, & praxis Ecclesiæ, ac stylus, quo per Ecclesiam regulantur beneficia merè simplicia, est, quod eorum possessores à residentiæ debito sint immunes (*a*). Si verò de fundatoris voluntate expresse non constat; subdistinguendum est: vel beneficium, de quo quæstio instituitur, fuit fundatum intrà ultima quinque sæcula Ecclesię, vel antè illa. Si intrà ultima quinque sæcula, nempè à temporibus Gregorii Papę IX. vel circitèr; certè beneficium tale est, ut Beneficiarius sit à residentiæ debito exemptus; quippè Canones, ab ipso Gregorio, & successoribus Pontificibus editi, talem eisdem beneficio, & Beneficiario conferunt immunitatem (*b*). Quâ de rè fusiùs egimus suprà Cap. 7. ad quod Lectorem remittimus, veritatem hanc penè manibus attrectaturum (*c*).

4. Vel beneficium supponitur fundatum antè præfata quinque ultima Ecclesiæ sæcula, & hoc est probandum strictè, atqu individualitèr ab illis, qui contendunt, beneficium ipsum onus personalis residentiæ secum ferre, aliàs præsumitur pro libertate beneficii (*d*). Et sanè si prætendunt, quod antè tempora Gregorii Papæ IX. omnia beneficia servitutem residentiæ personalis involverent; adhùc superest omninò probandum, quod tale, & tale beneficium, de quo in individuo quæstio fiat, fuerit antè illa tempora erectum: aliàs sicùt in dubio præsumitur prò libertate hominis, jumenti, prædii, & omnium aliarum rerum, nisi probetur, eas esse aliquâ servitute gravatas; sic præsumitur prò libertate beneficii, nisi probetur oppositum (*e*). Tanto magis quod plures conditiones, & majores specificationes necessariæ sunt, ut beneficium sit Curatum, vel Chorale, aut aliâ ratione residentiale, quàm requirantur in merè simplici beneficio (*f*). Dato autem posteà, non verò concesso, quod in oppositum probaretur, tale, ac tale beneficium tamquàm residentiale, fuisse primis Ecclesiæ sæculis institutum; adhùc nihil probaretur, quià sufficit, quod Papa, & Ecclesia successivè potuerint idem beneficium, vel per viam unionis, vel per viam perpetuæ commendæ, vel alio modo canonico redigere ad statum merè simplicis beneficii exempti ab onere residentiæ: quoties enim id fieri potuit, & factum est, jàm Clericus tale beneficium possidens, à debito residendi, & personalis servitii est prorsùs immunis. Quod si quis hanc potestatem Summo Pontifici, & Ecclesię denegaret, Anticyras eum navigare oporteret: vel si adhùc delirio non afficitur; pœnis condignis plectendus esset, non rationibus convincendus.

5. Alia legalis ratio desumitur ex trito illo proloquio, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur (*g*). Proloquium, sive axioma, tàm à jure civili admissum (*h*), quàm à jure canonico confirmatum (*i*), & ideò certum in utroque ipso jure, ut contradictionem non admittat, nisi in iis, in quibus electa est specialitèr industria personæ (*l*), vel ubi certè, & expresse requiritur servitium personale (*m*). Extrà quos casus, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur, & quidem non per fictionem juris, sed propriè, atque verè (*n*), quandoquidèm qui præcipit, ut aliquid fiat, & non specificat illud debere fieri à tali, vel tali homine personalitèr; is contemplasse actum cognoscitur, non personam

(a) *Borel.sum decis. tom. 1. tit. 23. nu. 247. Lotter de rè benef. l. 3. qu. 27. n 9.*

(b) *Cap. Clericos 17. de Cler non resid cap. gratia. 7 c. quia per ambitiosam 15. de rescript in 6.*

(c) *Vid. hic suprà cap. 7 à n. 18.*

(d) *Veral. dec. 130 num. 2. par. 2. Mauri. dec. 358. n 3. Barbos. Jur. Eccl Univ. lib. 3. cap. 4. n. 42.*

(e) *De Luca de benef. disc. 73. nu. 38 & in Annot. ad Conc. disc. 4. n. 12.*

(f) *Sum Diana V. Beneficium n. 2.*

(g) *Bartol. cons. 142. num 3. lib 1. Barbosa tract. var. Axiom. 92. num 1.*

(h) *Lib 1 § Dejecisse ff. de vi, & vi armata § quod si. ff. de administ. tutor. l. si per alium ff. ne quis eum &c.*

(i) *Cap. mulieres §. ult num de sent. Excom cap qui per alium 72. de reg juris in 6.*

(l) *Tusc. to 3. lit. F. Concl. 7. n. 25. Barbos. loc cit. n 2.*

(m) *Calderin cons. 221. num. 2. Barbos. loc. cit.*

(n) *Vincent. Carec. in singular. sit singul. 402 Barbos. loc. cit. n. 1*

nam, & ideò à quocumque homine fiat actus ipse, sivè per sè, sivè per alium, satisfit intentioni ejus, qui actum præcepit. Hinc quià Contradictores, dùm Beneficiarios merè simplices ad residendum arctare nituntur, in hoc assumpto magnam vim faciunt, quod cum ipsi Beneficiarii teneantur in loco beneficii ministrare, fiat ex consequenti, ut teneantur etiam inibi residere; apparet quam falsum sit eorum assumptum, & aerea cavillatio: quæ quatenùs etiam aliquam umbram veritatis haberet, præfato legali axiomate penitùs dissipatur, quod qui per alium facit, per se ipsum facere censetur.

6. Ideò si fortè contingat, quod Beneficiarii ad aliquod opus adimplendum teneantur, eorum beneficio connexum, utpotè celebrandi tot missas, vel quid aliud simile agendi; sufficit ut illud per interpositam personam adimpleant, nisi expressè illorum propria, & personalis actio fuerit expetita, & substituti subrogatio disertis verbis exclusa. Tùncque adhùc hujusmodi exclusio non habet locum, quando justa subest causa, Beneficiarium ab illo personali onere liberandi. Siquidèm Beneficiarii majores merè simplicibus, proùt sunt Curati, Canonici, & Dignitates, qui tenentur per se ipsos personalitèr propria munia exercere, & in loco sui beneficii residere, quemadmodùm plurimi sacri Canones decrevere (*a*), adhùc tamen aliquandò, justâ intercedente causâ, valent per substitutum supplere, juxtà id, quod docet D. Thomas his verbis: *Si subditorum saluti possit sufficientèr in absentiâ pastoris per alium provideri, tùnc licet pastori, vel proptèr aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum, corporalitèr gregem deserere* (*b*). Et infrà: *ille, qui spondet prò aliquo, si per se implere non possit, sufficit, ut per alium impleat. Undè Prælatus, si habet impedimentum, propter quod non possit personalitèr curæ subditorum interdere, suæ sponsioni satisfacit, si per alium provideat* (*c*).

(a) *Concil. Trid. ses. 6. cap. 1. & 2. ses. 23. c. 4. ses. 23. c. 1. ses. 24. c. 12. Conc. London. II. c. 14. Conc. Mogunt IV. c. 71.*
(b) *S. Thomas 2. 2. qu. 185. art. 5. in corp.*
(c) *Idem ibidem ad 2.*

7. Si ergò ex justâ causâ Beneficiarii, etiam Curati, & Chorales, in quibus est specialitèr electa industria personæ, adhùc possunt per substitutum sua munera implere, multò magis id possunt Beneficiarii merè simplices, in quibus (præterquamquod electa non est industria personæ) justa causa non residendi est generalis, & inconcussa praxis totius Ecclesiæ, ipsos à personali munere absoluens: *totius* enim *Orbis in hanc partem consensus*, *instar præcepti obtinet* (*d*). Nunquid enim credendum est Ecclesiam Catholicam, per rotum Orbem diffusam, hoc generalitèr permittendo, errare: vel non agnoscere, an sit peccatum: vel id agnoscendo, & permittendo, fovere peccatum, & tot peccata authorizare, quot sunt Beneficiarii merè simplices, non residentes apud Ecclesias, ubi erecta sunt eorum beneficia? Nunquid Romana Ecclesia, cujus Pontifici, in personâ B. Petri, Christus contulit privilegium infallibilitatis, & indefectibilitatis in fide (*e*), erravit in hoc punčto, & errat, aliosque illam imitantes, trahit perpetuum in errorem, quandò potiùs, ut ait Vualafridus: *Romanorum morem ideò in sacris rebus tàm multæ gentes imitantur, quià & tanti magisterii ex apice Apostolico primordiis clarent, & nulla per Orbem Ecclesia æquè ut Romana, ab omni fæce* erroris *cunctis retrò temporibus pura permansit* (*f*).

(d) *S. Hieron in Dialog. advers. Luciferianos c. 4.*
(e) *Lucæ cap. 22. num. 32.*
(f) *Vualafrid. de rebus Eccles. cap. 22.*

8. Adeò validam, & efficacem reputabat Beatus Petrus Cluniacensis, vir Doctrinâ, & Sanctitate conspicuus, auctoritatem Ecclesiæ in hujusmodi rebus, ut Clarevallensibus Monacis, sibi exprobrantibus, quâ ratione Cluniacenses possiderent beneficia Parochialia ad sæculares Clericos pertinentia, responderit: *Nos in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus: atquè ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcircò ipsarum primitias, & decimas, legitimè possidere confirmamus &c.* Et infrà: *Quià ergò Monachi ex maximâ parte fidelium saluti invigilant, licèt Sacramenti minimè ministrent, æstimamus ipsorum primitias, decimas, & oblationes & quæque beneficia eos dignè posse suscipere: quoniàm reliqua populo Christiano necessaria, à Presbyteris, & Clericis faciunt exhiberi* (*g*). Hæc Petrus Cluniacensis, in Contradictorio cum Clarevallensi-

(g) *Petrus Cluniacens. l. 1. epist. 28.*

lensibus, & cum D. Bernardo illorum Abbate. Itàque auctoritas Ecclesiæ usque adeò prævalet, ut possit beneficia ecclesiastica, etiam parochialia, monasteriis per viam unionis adnectere; quo casu nedùm amputat à Beneficiariis onus personalis residentiæ, sed imò ipsum titulum beneficii prorsus extinguit (a). Rursùs ipsamet Ecclesia potest eadem beneficia in titulum vel temporalis, vel perpetuæ Commendæ, alicui concedere, uti suprà uberiùs demonstravimus (b). Et utroque casu satis est, quod onus personale Beneficiario incumbens per substitutum Clericum impleatur.

(a) *DD. in c. cum accessissent de Constit. Barbos. in c. ex parte 6. de Offic. Vicar. n. 6 l. 2.*
(b) *Vid. hic supr. cap. 5 & 6.*

9. Si autem auctoritate Ecclesiæ intercedente, in præfatis unionis, & Commendæ casibus, possunt onera beneficiorum residentialium per interpositam personam adimpleri; multò magis per substitutum adimpleri valent onera beneficiorum merè simplicium; quando Ecclesiæ auctoritas id concedit. Ecclesiæ autem auctoritas concedit, ut Beneficiarii merè simplices onera proprii beneficii per substitutum valeant adimplere (nisi fundator, ut suprà notatum est, clausulas apposuerit personæ industriam beneficium possidentis, individuè postulantes). Et ità communi sententiâ Doctorum, tametsi fundator disponat, quod Beneficiarius teneatur tot missas celebrare, vel alia pia opera exercere (nisi apponat clausulam *per se ipsum, & non per interpositam personam*, vel alia verba æquivalentia) Beneficiarius ipse ad residentiam non tenetur, nec illa onera per se ipsum obire adstrictus est, sed ea cuncta implere potest per interpositam personam (c), ex eâ generali ratione, de quâ loquimur, quia qui per alium facit, per se ipsum facere censetur (d).

(c) *Borel. tom. 1. tit. 10. n 6. & tit. 20. n. 93. & n. 253. Perez de Lara de Capellanis lib. 2 cap. 7. n 7.*
(d) *Vid. Barbos. Sum. Apost. dec. Verb. Beneficiis simplex. collec 64 num. 5. & 6. & collect. 122. n. 9. & 15.*

10. Itidèm alia ratio Legalis depromitur ex capitulo *cum dilectus* 14. *de Cleric. non resid.* valdè proficiens Dominis Cardinalibus, & Prælatis, Aulicis, & Curialibus, qui beneficia merè simplicia retinent, in Romanâ Curiâ commorantes, vel alibi consistentes, in officiis Nuntii, aut Collectoris Apostolici, sive in aliis muneribus, Romanæ Ecclesiæ actualitèr deservientes. In illo, inquam, canone Honorius Papa III. Capitulo Metensi scribens decernit: *Mandamus quatenùs, non obstante constitutione, quæ contrà absentes Canonicos inter vos dicitur emanasse fructus præbendæ suæ, assignetis eidem in nostro servitio commoranti. Cum familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universi, minori non debeant prærogativâ gaudere, quam vestrum singuli, quorum negotia per ipsos sæpiùs promoventur.* Locum habet iste canon favore omnium, qui sunt Papæ familiares, quique in Romanâ Curiâ morantur de illius præcepto: & procedit potissimè in Canonicis, tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum, ut etiam in absentiâ valeant proventus suarum præbendarum adipisci (e). Igitur hujus Canonis vi definitur, quod Beneficiarius, licèt ex suâ naturâ residentialis, tamen si absit à loco, in quo erectum est beneficium, ut servitio Papæ, sive Sedis Apostolicæ incumbat, habetur pro præsenti in Ecclesiâ sui beneficii.

(e) *Vid. Barbos. in cap. cum dilectus n. 2. & 3. de Cler. non resid.*

11. Hæc autem præsentia talis non reputatur fictione juris, sed veritate rationis: quippè uti loquitur Cajetanus, *bonum partis ordinatur ad bonum totius, ut finem, & debet pars exponi prò totius bono, & si oportet etiam detrimentum pati, ut patet, cum inciditur quandoque manus, ut salvetur persona* (f). Summus autem Pontifex, & Sedes Apostolica rationem habent totius, cœteræ verò Ecclesiæ, atque Beneficiarii, rationem habent partis; ideòque istarum commodum illius debet commoditati postponi. Quâ etiam ratione si Canonici Cathedralis, vel Collegiatæ sint absentes in servitio sui Episcopi, reputantur prò præsentibus in propriis Ecclesiis, quià Episcopus totam Ecclesiam suæ Diœcesis in sè continet, vel repræsentat, ipseque Episcopus est in Ecclesiâ, & Ecclesia est in Episcopo (g): Undè idem Pontifex Episcopo Meldensi perscripsit: *Decernimus, ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ, in tuo servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant præbendarum: cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur* (h). Quâ de rè

(f) *Cajet. in 2. 2. qu. 185. art. 5. vers. quodd secundum.*
(g) *Cap. Scire debes 7 qu. 1.*
(h) *Cap. Ad audientiam 15. de Cler. non resid.*

rè fusiùs Doctores (*a*), & hujus Canonis Interpretes, necnon capituli *de cæterò* 7. *eodem titulo, de Clericis non residentibus*.

12. Notum est in Jure, quod argumentum à majori ad minus validum est (*b*), præsertìm quando majus, & minus sunt ejusdem qualitatis (*c*), & quando agitur de Statutis aliquâ de rè decernentibus (*d*). Itàque Beneficiarii residentiales, quod majus est, si absint, ut servitio proprii Episcopi incumbant, licitè percipiunt reditus suæ præbendæ, non secus ac si personaliter residerent. Non liceret autem salvâ conscientiâ talibus Beneficiariis sic abesse, neque superioribus Ecclesiasticis, totique Ecclesiæ illam permittere, si exhibitio servitii personalis in loco beneficii esset de jure divino, vel naturali, quippè in istis non datur dispensatio. Præthereà si Beneficiarii servitio Sedis Apostolicæ incumbant, se habent perindè, ac si in propriis Ecclesiis actualitèr residerent (*e*). Et servitus impensa Ecclesiæ Romanæ illos, alioquin ad residendum obligatos, ab onere personalis eximit residentiæ. Multò magis ergò Beneficiarii merè simplices, quod minus est, exempti sunt à debito residentiæ, quoties servitio Sedis Apostolicæ, vel sui Antistitis sunt addicti; eo vel maximè, quod ipsi alioquin suaptè naturâ sunt à residendi onere immunes.

13. Nèc obest dicere, hujusmodi exemptionem à debito residendi petitam ex servitio Sedis Apostolicæ, esse fictionem Juris, improbatam à Cajetano cum aliis Theologis (*f*), atque à Fagnano cum aliis Canonistis (*g*); Quippè hujusmodi Doctores loquuntur de Beneficiariis Curatis, & Choralibus, atque residentialibus, & in casu, in quo tales Beneficiarii non sint Ecclesiæ universali necessarii, vel non sint ex numero illorum, quos Papa vult tali perfrui privilegio, tametsi lato modo dicantur ejus familiares: tùnc enim verum est, residentiam illam, ex servitio Sedis Apostolicæ petitam, esse fictionem juris, parum, vel nihil proficientem. At verò non loquuntur de Beneficiariis merè simplicibus, & in Romanâ Curiâ, vel alibi, Sedi Apostolicæ verè deservientibus; quippè hi, cum ex se sint à residentiæ onere exempti, non egent fictione juris. Nèc alia potuit esse mens Cajetani, & Fagnani, quippè & ipsi fuerunt Prælati Romanæ Curiæ, & pluribus beneficiis merè simplicibus insigniti, quos non est credibile impugnasse eandem beneficiorum pluralitatem, atque ipsorum exemptionem ab onere residentiæ (*h*), ne cum aliis prædicabant, ut inquit Apostolus, ipsi reprobi efficerentur (*i*).

14. Legalibus rationibus, hùcusquæ adductis, illam adnectimus, quæ à Consuetudinis jure infertur. Si quidem omnium Doctorum consonâ voce, Beneficiarii merè simplices, sunt à munere ministrandi personalitèr, & ab actualis residentiæ debito de generali consuetudine exempti (*l*). Consuetudine, inquam, generali totius Ecclesiæ, tam communi, & constanti, ut nullibi observetur oppositum: tàmque antiquâ, & immemorabili, ut nedùm excedat memoriam hominum, & centenariam vetustatem transiliat, sed etiam trecentenariam, quingentenariam, & ultrà, utpotè quæ ab ipsis Contradictoribus ad Gregorii Papæ IX. tempora retrotrahitur. Si igitur generali totius Ecclesiæ Consuetudine Beneficiarii merè simplices à residentiæ debito eximuntur, ecquis poterit illos ad residendum, & personalitèr ministrandum arctare? Beneficiarii merè simplices, inquit Murga, de generali consuetudine *non obligantur ad residentiam, nisi consuetudine particulari, statuto, privilegio, aut consimili ratione specifica talis obligatio introducta reperiatur &c. Atquè ità possident beneficia simplicia, regulam prò sè habet, quod residere non teneatur, & onus probandi contrarium incumbit asserenti, ut in confesso est apud omnes, & sæpissimè tenuit Rota* (*m*).

15. Quanta sit vis Consuetudinis, non est qui penitùs notum non habeat. Illam Sancti Patres apprimè commendant; inter quos S. Isidorus eandem vocat Jus quoddam moribus constitutum (*n*): S. Augustinus ipsam appellat quasi secundam, & quasi affabricatam naturam (*o*); & S. Basilius ei parem quodammodò

(a) *Barbos. de Canon. & Dignit. c. 25. n. 5. 6. 7. & in cap. de cætero 7. ac in cap. ad audientiam 15. de Cler. non resident.*

(b) *L. in sua in fin. ff. de liber. & posthum. l. nec in ea 22. ff. de Adult. c. si ergo 8. qu. 1. c. si Paulus 32. qu. 1. cap. per venerabilem qui fil. sint legit.*

(c) *Tuscus tom. 1. lit. A. pract. concl. concl. 501. nu 10 Barbos. tract. var. loc. 67. num. 4.*

(d) *Garsias de confident. qu. 20. n 6. Barbos. loc. cit n. 5.*

(e) *Vide infrà cap. 34. per totum.*

(f) *Cajet. in 2. 2. qu. 185. art. 5. Soto de Just. & Jur l. 10 qu 3. art. 5. Natal. ab Alexandr. Theol. l. 2. reg 36.*

(g) *Fagnan cap. ex parte de Cleric. non resid. n. 85.*

(h) *Barbos. in cap. cum Ecclesiasticæ 3. de except. lib. 2.*

(i) *1. Corinth. cap. 9. num. 27.*

(l) *Borel tom. 1. tit. 10. n. 7. & 15. & tit. 20 n. 247. Lotter. l. 3 q. 27. nu. 9. Garcia p. 3. c. 2. num. 3.*

(m) *Murg de benef. qu 13. art. 3 n 169.*

(n) *S. Isidor l. 2. Etymolog. & c. consuetudo dist 1.*

(o) *S. August l. 6. de Mus.*

dò cum Scripturis pietatis deberi dicit effectum (*a*). Illam antiqui Summi Pontifices uberrimè commendarunt, inter quos Pius Papa I. eam laudat (*b*): Leo I. non intermittendam denuntiat (*c*): Innocentius I. observandam præcipit (*d*): Callistus I. attendendam decernit (*e*): Gregorius I. immotam servari jubet (*f*): Leo tandem Papa IX. nullatenùs prævaricandam esse disponit (*g*). Illam ipsa Sacra Concilia & approbant, & collaudant, ac præcipuè Coloniense II. (*h*), Lateranense IV. (*i*), & alia plura, prò quibus omnibus sufficiat Synodus Tridentina, centies pene deferens consuetudini, præsertim antiquæ, & immemorabili (*l*). Illam tandem infiniti sacri Canones prò laudabili admittunt, servandam docent, & nè quisquam ipsius transgressor sit, interdicunt (*m*).

16. Quod si verum est de consuetudine in abstracto, & generalitèr sumptâ, verum proculdubiò est etiam in materiâ beneficiorum, & præbendarum Ecclesiasticarum, in quibus consuetudinem esse attendendam plurima jura clamant (*n*). Quarè quod consuetudo constans, & communis, per totam Christianitatem diffusa, talitèr invaluerit, ut jàm ubilibet Beneficiarii merè simplices sint à residentiæ onere exempti; non potest ullum in se vitii scrupulum continere: *non enim dubitetur Divino judicio, & dispositione firmatum, quod ab Ecclesiâ Dei tam sancto ordine, & legitimâ observantiâ*, ubilibet observatur (*o*). Et quod multum valeat consuetudo, ubi agitur de beneficiis ecclesiasticis, audiatur definitio Concilii Ephesini generalis III. Exposuerunt Synodo Euprepius Episcopus Byzensis, & Cyrillus Episcopus Calensis, veterem esse morem in quibusdam Europæ Provinciis, ut unus Episcopus binos, ternosque regeret Episcopatus, qui tametsi ab initio proprios haberent Episcopos, jàm tamen à longo tempore illos non habuerant. Et quià periculum suberat, ne novatores quidam antiquam illam consuetudinem evertere niterentur, supplicarunt Synodo, nè id fieri assentiretur, *ut*, inquiunt, *neque nos Ecclesiis nostris privemur, in quibus plurimùm laboravimus, neque mos jàm longo tempore confirmatus, à quopiam præmemoratorum commoveatur &c.* auditis, ac re mature perpensâ, Synodus pronuntiavit: *Et sanctis Canonibus, & externis legibus, quæ veterem consuetudinem jubent vim legis habere, nihil innovandum in Europæ Civitatibus, sed juxtà veterem consuetudinem gubernentur ab Episcopis, à quibus & olim* (*p*).

17. Consuetudo ergò tanti ponderis fuit ab Ephesinis Patribus reputata, ut ea sola sufficeret ad exuendum alterum ex duobus Episcopatibus residentiæ onere, quod singuli habebant, quandò erant disjuncti. Si autem consuetudo vim possidet abscindendi beneficiis etiam Episcopalibus, debitum residentię in casu, vel eorum unionis, vel quod concedantur in commendam, aut quod alitèr uni, & eidem Præsuli conferantur; multò magis residentiæ onere privare poterit beneficia, & Beneficiarios merè simplices. Profectò Consuetudo facit de non licito licitum (*q*): Ipsa potest introducere quidquid potest privilegio concedi (*r*): quidquid paritèr per pactum potest; idipsum potest consuetudine definiri (*s*): Demùm nihil minùs consuetudo prævalet, quam prævaleat præscriptio (*t*). Sed sine dubio per privilegium, & per pactum stabiliri potest, quod beneficia merè simplicia careant onere residentiæ: idipsumque potest præscriptione firmari, ergò etiam consuetudine. Demùm tametsi illicita fuisset ab initio exemptio Beneficiariorum merè simplicium à debito residendi, non tamen talitèr fuit illicita, quin potuerit fieri licita: non enim fuit illicita jure Divino: quippè cum beneficia non sint de jure divino, sed humano (*u*), illorum quoque residentia de jure divino esse non potest, sed solummodò de humano (*x*), sicque exemptio ab onere residentiæ fieri potuit de illicitâ licita: præsertim quoàd beneficia animarum curâ carentia.

18. Itàque si omnis alia ratio deesset, eximens Beneficiarios merè simplices à debito residentiæ, & personalis ministerii, hæc una superabundat, de quâ loquimur, nempè Consuetudo generalis totius Ecclesiæ, ità tenentis, & in praxi ser-

(a) *Cap Ecclesiasticarum 5. dist. 11.*
(b) *Cap consuetudinem 6. dist 11.*
(c) *S. Leo epist. 4. cap 6. can hoc vestræ 10. dist. 11.*
(d) *Innoc. I epist. 1. cap quis nesciat 11. dist. 11.*
(e) *Cap. non decet. 1. dist 12.*
(f) *S. Gregor lib 1. epist. 75. cap. nos 8. dist. 12.*
(g) *Cap. S. it sancta 3 dist 12.*
(h) *Concil. Colon. II. p 9. c. 1.*
(i) *Concil. Later. IV. cap 66.*
(l) *Conc. Trid. ses. 21 cap 2. & 3. ses. 22. c. 3. & 9 ses. 24. c. 12. & 23 ses. 25. c. 6.*
(m) *Decret. Gratian. dist. 11. & 12. c. decernimus 10 quæ 1. cap. cum consuetudinis cap. cum dilectus de Consuet. c. ad apostolicæ de decim. cap series de test. cap a tbæc de excess. prael. Extrav Regimini de emption. & vendit. &c.*
(n) *Cap. cum Ecclesia de election. cap. cum Eccles. de caus. possess. & propriet. cap. nec numerus 5. caus. 10. qu. 3. Glos. in extrav. Execrabilis. Verb. quæ nitas de præbend. & dignit.*
(o) *Florus magister.*
(p) *Conc. Ephes. Act. 7.*
(q) *Gutierez pract. l. 3. qu 29. n 2. Barbos. tract. var. Axiom. 56. num. 3.*
(r) *Baldus cons. 49. in facto l. 12. Oldrad. Consil 146. 172. 254. Barbos ubi supr. n. 7.*
(s) *Gemin. Consil. 139 n 1. Bald. consil. 349 lib 5. Barbosa loc. cit. n 9.*
(t) *Tusc tom. 2. lit. C. conclus 807. Feder. de Senis cons. 151. Barbos ibi n. 10.*
(u) *Azor. p 2 lib 9. cap. 1. qu. 1. Lotter. l. 1. qu. 4. Moscon. de majest Eccl l. 1. p. 3. cap. 1. Barbos. jur. Eccl. Univers. l. 3. c. 4 n. 7.*
(x) *Barbos. ad Conc. Trid ses. 6. c. 2. n. 6.*

servantis. Consensio etenim omnium gentium in aliquâ rè, lex naturæ putanda est, inquit Tullius (*a*), est lex moribus observata, lexque universalis, & universalitèr ab omnibus observanda (*b*), præsertìm in casu nostro; in quo agitur de consuetudine stabili, constante, inconcussâ, & introductâ, non à recenti tempore, sed saltem quingentis ab hinc annis: *In his enim rebus*, inquit D. Augustinus, *in quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum, prò lege tenenda sunt. Et sicut prævarieatores Divinarum legum, ità contemptores Ecclesiastiearum Consuetudinum eoereendi sunt* (*c*). Si ergò Consuetudo eximit Beneficiarios merè simplices ab onere residentiæ, quis illos justè, & prudentèr ad eandem residentiam arctabit?

19. Et quoniàm de præscriptione mox verba fecimus, alia legalem, & quidem efficacissimam rationem, faventem exemptioni Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ, deducimus ex præscriptione. Præscriptio cunctis bonorum, & jurium, atque libertatum possessoribus optimè suffragatur, tùm de Jure (*d*), tùm secundum doctrinam omnium communitèr Juristarum (*e*): quibus accedunt Theologia, & Theologi, secundum quos præscriptio, præfata possessorum jura tuetur, redditque illa licita, atque juridica (*f*). Sed & Sacrorum Conciliorum decreta præscriptionis titulum prò legitimo admittunt, ut ex Conciliis Hispalensi II. (*g*), Toletano IV. (*h*), atque aliis lautè enitescet. Quanti sit ponderis prescriptio, videre est apud Tertullianum, qui de illâ integrum edidit opusculum (*i*). Jus Canonicum peculiarem continet titulum de Præscriptionibus (*l*). Jura Civilia æqualem ei dant vim cum privilegio: ità ut qui eandem prò se habet, nullum teneatur titulum allegare (*m*): Silet tandèm omnis actio, ubi *longi temporis probatur objecta præscriptio* (*n*).

20. Ne quidquam loquamur de politicis rebus, in quibus vi præscriptionis salvantur multa, quæ subtracto hujusmodi titulo, totaliter diruerentur. Ipsa etenim Regna ut plurimum ab initio fuerunt, vel parum justè, vel malis artibus acquisita: & fortè illâ solâ ratione invasâ, quam de Romanis, Regnum Creticum invadentibus, expressit Florus: *Creticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus solâ vincendi nobilem insulam eupiditate* (*o*). Hincque optimè Cardinalis Bellarminus ait: *Etiam Regna, & Imperia per latrocinium acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioquin enim quo jure Julius Cæsar occupavit Romanum Imperium: & tamen tempore Tiberii Christus ait Matth.* 22. *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari? Quo jure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hispaniam invaserunt: & tamen quis hoc tempore Regna ab illis constituta, illegitima esse diceret* (*p*)? Præscriptio ergò usque adeò prævalet, ut & ipsa Regna, & Imperia, ab initio illegitimè introducta, licita faciat, & legitima: multò magis igitur licitas reddit res inferiores, in quibus non adeò fortis ratio est necessaria.

21. Porrò cunctis Ecclesiis jus præscriptionis competere, certò certiùs est; & quidem sufficere possessionem quadragenariam apud omnes, est generalitèr in confesso (*q*): quæ imò in rebus Ecclesiasticis dicitur præscriptio legitima (*r*). Hæc autem præscriptio quadraginta annorum multò fortiùs prævalet in beneficiis Ecclesiasticis, adeò ut hujusmodi temporis curriculo firmetur status eorum (*s*), etiam quoad qualitatem residentialem (*t*): pro quâ excludendâ sufficit, quod res sit dubia (*u*). Undè cum tàm Pontifex, quàm Episcopi, omnesque alii beneficiorum collatores, vel respectivè ad ea nominatores, necnon Clerici eorundem beneficiorum susceptores, jus conferendi, & respectivè suscipiendi beneficia merè simplicia, sine onere residentiæ præscripserint, præscriptione fixâ immobili, & constante, nedùm quadragenariâ, & centenariâ, sed etiam plusquàm quingentenariâ; nescimus videre quâ fiduciâ valeant Contradictores in sensu veritatis, hujusmodi præscriptionis vim, ex sè fortissimam, & ineluctabilem impugnare: præsertim cum sit præscriptio cunctis illis conditionibus

con-

(a) *Cicer. 1. Tuscull.*

(b) *Barbos. in c. Ecclesiasticarum 5. & quibus dist. 11.*

(c) *S. August. ep. 86. ad Casulan. c. in his 7. dist. 11.*

(d) *C. si de terra de privil. c. sanctorum cũ plur seq. de præscript. cap. placuit 16. qu. 3.*

(e) *Fagnan. in lib. 2. Decretal. tit. de prescr. Barbos. repert. pract. concl. Ver. præscriptio. De Luca de benef. disc. 32. nu. 2. & 4. & disc. 49. n. 14.*

(f) *Vid. S. Thom. Quadlibet. 12. art. 25. Molinam, Lessium, & de Lugo de Just. & Jur. Bonac. de restit. tom. 2. Sum. Dian. V. prescriptio.*

(g) *Concil. Hispal. II. cap. 2.*

(h) *Concil. Tolet. IV. cap. 34.*

(i) *Tertull. de præscription.*

(l) *Vid in Decretal. tit. de præscription. & in 6.*

(m) *Leg. hoc jure § ductus aquæ ff. de aqu. quot. Æst.*

(n) *Concil. Hispal. II. cap. 2.*

(o) *L. Florus l. 3. c. 7.*

(p) *Bellarm. de Roman. Pontif. lib. 5. c. 9.*

(q) *Cap. nolumus, c. atque decenali 16. q. 4. c. si de terra de privil. pl. ur. canon. in tit. de præscription.*

(r) *Barbosa in cap. de quarta 4 de præscrip. lib 2.*

(s) *De Luca de benef. disc. 14 n. 14.*

(t) *Idem disc. 58. n 6. & 7.*

(u) *Doctores in cap. fi. de Cler. non resid. Gonzal. ad reg. 8. Cancel glos. 25. n. 19 et 22.*

constipata, quæ possunt præscriptionem fundatissimam suffulcire: nimirùm *primò*, quod inhæreat continuatæ possessioni (*a*). *Secundò*, quod possidens sit capax rei possessæ (*b*). *Tertiò*, quod possideat bonâ fide (*c*). *Quartò*, quod concurrat titulus præsumptus (*d*). Et *quintò*, quod tempus à Jure definitum ad præscribendum, excurrerit (*e*).

22. Quæ conditiones sine dubio concurrunt in præscriptione, vi cujus Beneficiarii merè simplices à residentiæ debito sunt exempti, prout seriò consideranti singulis enitescit. Et sicut præscribi potest servitus rei alioquin liberę (*f*), sic & præscribi potest libertas rei alioquin servitutem involventis: contrariorum enim eadem est lex, & disciplina (*g*). Multòque fortiùs præscribi potest libertas rei suaptè naturâ liberæ, qualia sunt beneficia merè simplicia, semper pro liberis reputata, nedùm à centenaria, sed etiàm à tempore, cujus initium ignoratur à residentiæ servitute. Et quia præscriptionem centum annorum, atque immemorabilem allegans, habet pro sè meliorem titulum de mundo, juxta loquendi phrasim, qua utuntur Jurisconsulti (*h*); hinc fit, quod Beneficiarii merè simplices residentiæ jugum à sè fortitèr excutientes, justissimo titulo id faciunt; & ducto argumento à contrario sensu, quod validissimum est in jure (*i*); sequitur quod injustissimè operantur quicumque nituntur libertatem, atque immunitatem ipsorum beneficiariorum residentiæ, ac personalis servitii debito subjugare: quippe beneficia cum de sui naturâ sint libera, & libera in dubio pręsumantur (*l*); non debent intelligi oneris jugo subiici, & indebitæ servitutis laqueis implicari (*m*).

(a) *Cap. cum dilectus de Confirm. inut. Regul. 3. de reg. jur. in 6.*

(b) *Cap. causam de præscription.*

(c) *Cap vigilanti eodem titulo.*

(d) *Cap si diligenti: ubi suprà.*

(e) *Bonacin. tom. 2. de restit disp. 1 qu. ult. pun. 2 § 2. n. 28.*

(f) *Idem Bonacin. cum aliis ab eo alleg. loco cit. n. 32.*

(g) *Leg. 1 de iis, qui sunt sui.*

(h) *De Luc. de feud. disc. 3. & de emphyt. disc. 60. n. 3 de benef. disc. 32. nu 2. & disc. 49 n. 14.*

(i) *L. qui testamento § mulier ff de testam. lib. 1. § hujus rei ff. de off ejus cui mandat. est jurisd c. qualis dist. 25 c. quamquam de Cens. Barbos. tr var. loc. 27.*

(l) *De Luca de benef. disc. 73. n. 38.*

(m) *Lotter. de rè benef l. 1. qu. 32. n. 10.*



CAP.

CAPUT XI.

In quo ipſamet Beneficiariorum merè ſimplicium Immunitas ab onere reſidentiæ, probatur Rationibus, & auctoritatibus deductis ex ſacris Eccleſiæ CONCILIIS, *Generalibus, Nationalibus, & Provincialibus.*

SUMMARIUM.

1 *Sacris Conciliis promiſſa eſt Cœleſtis aſſiſtentia. Concilia autèm favent exemptioni, de quâ loquimur.*

2 *Concilium* Sardicenſe, *variis encomiis à Patribus celebratum, non fuit Univerſale, ſed appendix Concilii primi Niceni.*

3 *Idem Concilium decrevit de Presbyteris, Theſſalonicam confluentibus (cujus Urbis Antiſtes erat Vicarius Papæ) ut ad eos ſe extenderent conſtituta de Epiſcopis.*

4 *Presbyteri illi, & Diaconi in ſenſu Contradictorum erant beneficiati; ſed tamquàm ſimplici beneficio præditi, ſe cognoſcebant à reſidentiæ debito immunes.*

5 *Canon Sardicenſis non mandavit Epiſcopis reſidentiam beneficialem. Epiſcopus in quolibet loco ſuæ Diœceſis permanere poteſt, & prò tribunali ſedere.*

6 *Editus fuit Canon Sardicenſis contrà Presbyteris, & Diaconos, inſtante Altio Theſſalonicenſe, cujus Eccleſia non ſufficiebat pro illis ſubveniendis.*

7 *Concilium* Nicænum II. *probibet, nè Clericus babeat duo beneficia Conſtantinopoli, extrà verò illam Urbem duo beneficia teneri poſſe permiſit.*

8 *Erat Conſtantinopoli commodum comparandi victum variis modis, & induſtriis, ideò ibi non fuerunt permiſſa duo beneficia ut alibi.*

9 *Reſidentiæ onere careant beneficia merè ſimplicia, vel ob diſpenſationem Eccleſiæ, vel ob ſublatum illis tale debitum, vel ob allm cauſam, hoc parum refert.*

10 *Concilium* Lateranenſe IV. *probibet, nè quis plura beneficia curata, perſonatus, & dignitates eccleſiaſticas valeat retinere.*

11 *Loquitur Concilium de beneficiis reſidentialibus, remanetque præſervata poteſtas Eccleſiæ, diſpenſandi ſuper reſidentiâ ipſorum.*

12 *Idem Concilium decernit literatis, & nobilibus viris poſſe dari plura beneficia: Eccleſia favet literatis, ac nobilibus, ac quibus?*

13 *Concilium* Tridentinum *decernit, ad reſidentiam non teneri niſi eos, qui beneficia obtinent, reſidentiam exigentia, vel de jure, vel de conſuetudine.*

14 *Sicut conſuetudo excitare poteſt onus reſidendi in Beneficiariis carentibus tali onere; ità etiàm illud habentibus detrahere poteſt.*

15 *Concilium ipſum admittit diſpenſationes de non reſidendo ad tempus conceſſas: ergò dari poſſunt etiam perpetuæ. Reſidentia eſt de jure poſitivo.*

16 *Mandat Concilium uniri Seminario, ſi opus eſt, aliqua beneficia, non qualiacumque, ſed ſolummodò ſimplicia: quæ ſupponit reſidentiæ debito carere.*

17 *Alibi*

17 *Alibi Concilium Tridentinum prohibet retineri plusquam duo beneficia simplicia: qui tamen numerus excedi potest.*
18 *Verba ista Tridentini sunt adeò clara, ut non possint salvari, nisi salvâ exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.*
19 *Concilia Nationalia, & Provincialia extrà eorum Regna, & Provincias non obligant, nisi aliud Pontifex decernat. Agitur de Concilio Londinensi.*
20 *Mandavit istud Concilium, ut Vicariæ, curam animarum habentes, non possent retineri unà cum aliis beneficiis curatis: sunt enim beneficia residentialia.*
21 *Cum in Angliâ soliti essent Clerici plura beneficia curata, & choralia retinere, Papa id tollere gestiit quoàd beneficia curata, relictis in primævo esse choralibus.*
22 *Ubi viget consuetudo excludens debitum residentiæ, in beneficiis residentialibus, permittenda est: Multò magis permittenda est in simplicibus.*
23 *Concilium* Aurelianense III. *canonem edidit, cujus vi exemptio beneficiorum merè simplicium à residentiæ debito comprobatur.*
24 *Ex Concilio* Nannetensi *ostenditur differre beneficia residentialia à merè simplicibus, hæcque carere debito residentiæ personalis.*
25 *Concilium* Coloniense II. *prolixum edidit decretum de beneficiis ecclesiasticis, & de eorum obligationibus fideliter adimplendis.*
26 *Distinguit Concilium residentiæ onus ab aliis beneficiorum obligationibus, & residentiam exigit ab aliis Beneficiariis, quàm à merè simplicibus.*
27 *Fatetur Concilium inesse Papæ facultatem dispensandi super residentiâ beneficiorum etiam residentialium, hancque agnoscit esse de jure.*
28 *Refertur Decretum Concilii* Moguntini *circà residentiam Clericorum possidentium ecclesiastica beneficia, & ex eo infertur immunitas, de quâ est sermo.*
29 *Allegantur aliæ sanctiones ipsius Concilii Moguntini, de residentiâ Clericorum possidentium ecclesiastica beneficia.*
30 *Validum est argumentum à sufficienti partium enumeratione, Concilium autem enumeratis aliarum specierum beneficiis, merè simplicia reticet.*
31 *Concilium* Emeritense *admittens, aliquem simul canonicatum in Cathedrali, & Parochiam ruri retinere; uni ex his beneficiis residentiam tollit.*
32 *Concilium* Bituricense *mandat uniri canonicatibus, paupertate laborantibus, beneficia simplicia, ut fecit Concilium Tridentinum.*
33 *Vetat idem Concilium, nè beneficia curata vertantur in simplicia. In omnibus Decretis Conciliaribus salva intelligitur semper potestas Papæ.*
34 *Ex Conciliis Mediolanensibus, editis à S. Carolo, liquet, non exigendam esse residentiam à Beneficiariis merè simplicibus.*
35 *Generalia, Nationalia, & Provincialia Concilia favent exemptioni beneficiorum merè simplicium à debito residentiæ. Nec sola ratio valet prò multis.*

UBER-

1. VERRIMA probatio libertatis Beneficiariorum merè simplicium ab onere residendi, desumitur ex Sacris Conciliis; quorum definitionibus cum fuerit promissa cælestis assistentia, & divinus afflatus (*a*), omninò credendum est quidquid in eis definitum legitur, sub Spiritus Sancti præsentiâ, & regimine fuisse decretum (*b*). Et ut benè scripsit Cœlestinus Papa I. Synodo apud Ephesum congregatæ: *Si numero tam exiguo*, quot sunt duo, vel tres, in nomine Domini congregati, *Spiritus Sanctus non deest; quanto magis par est credere ibi illum minimè defuturum, ubi tanta Sanctorum multitudo convenit? Etenim consessus ipse suaptè naturâ sacer, ac venerandus est: in quo utique magnæ illius, augustæque Apostolorum Synodi, de quâ in Actis legimus, reverentiam, gravitatemque quodammodò cernere licet* (*c*). *Ut is ergò nullo unquàm tempore Apostolos deserebat &c. ità neque cæteros Domini Sacerdotes deseret* (*d*). Quoties ergò verba alicujus Concilii habeamus, immunitatem ab onere personalis servitii, & residentiæ, Beneficiariis merè simplicibus elargientia; hanc Dei mentem, esse hanc Spiritus Sancti esse voluntatem omnibus innotescet, quod Beneficiarii merè simplices non debeant residere, neque teneantur Ecclesiis suorum beneficiorum præsentialitèr ministrare.

2. Non unicum autem Concilium, sed plura, vel directè, vel deductivè hoc effantur, & in primis Concilium *Sardicense*, ex trigintâ sex Provinciis Orbis Christiani congregatum (*e*), *Magna Synodus* à D. Athanasio nuncupatum (*f*), *Plenarium universæ Ecclesiæ Concilium*, à D. Augustino (*g*); A Sulpitio Severo, *Concilium ex toto orbe convocatum* (*h*), & à Socrate, *Generale Concilium* appellatum (*i*): Quod fanè Concilium non aliâ ratione prædicatum Synodi Universalis totalitèr non est adeptum, nisi ex eo quod, actis in illo rursus de iisdem rebus, de quibus paulò anteà fuerat in primâ Nicænâ Synodo pertractatum; nihil novum Decretum est de fide, sed sola quædam de disciplinâ tractata fuit, confirmatis quoàd fidem Nicænis Decretis: ideòque hujusmodi Synodus reputata est, non Concilium generale ex se, sed potius appendix Concilii generalis primi Niceni (*l*). Et de facto Canones Sardicenses Concilio Niceno adscripti sunt à Zosimo Papâ, ut ex Concilio VI. Carthaginensi liquet (*m*). Quâ de causâ etiam neque S. Gregorius Magnus (*n*), neque S. Isidorus Hispalensis (*o*), neque Venerabilis Beda (*p*), Concilia Generalia recensentes; Sardicensem Synodum inter illa connumerarunt.

3. Itàque Concilium Sardicense anno Christi 341. celebratum, postquàm interdixerat, ne quis laicus, neque Episcopus ultrà tres hebdomadas à propriâ Ecclesiâ posset abesse (*q*): ac nè quis Episcopus alterius Episcopi Clericum in suâ Ecclesiâ ordinaret (*r*); hoc tandem exaravit Decretum: *Non ignoratis qualis, quantaque sit Thessalonicensium Metropolis. Sæpè itàque ad eam ex Provinciis Presbyteri, & Diaconi accedunt, & brevis temporis morâ non consenti permanent, & omne tempus illic agentes transigunt, aut vix tandèm post plurimum tempus in suas Ecclesias reverti coguntur. De iis ergò definiendum est. Osius Episcopus dixit: ea decreta, quæ de Episcopis constituta sunt, serventur etiam in hujusmodi personis* (*s*). Ex quâ Conciliari ordinatione innotescit, quod usque ab antiquis illis temporibus Diaconi, & Presbyteri, animarum curâ carentes, non residebant in eorum Ecclesiis, sed aliò pro eorum libito se recipiebant, & præsertim Thessalonicam pergebant, ibique diuturno tempore, pro suo arbitrio morabantur: eo quod Thessalonica tunc esset emporium nobilissimum, & Urbs celeberrima Macedoniæ (*t*), ubi quæstui, vel propriis utilitatibus indulgebant eo modo, quo nùnc plurimi Romam petunt, Venetias, Neapolim, aliasque celeberrimas Orbis Civitates: vel fortè illùc ibant, ut causas, & lites Ecclesiasticas prosequebantur: Archiepiscopus namque Thessalonicensis Vicariatu Summi Pontificis fungebatur, ut ex S. Leone Papâ I. liquet (*u*), exercebatque juris-

(a) *Matthæi cap.* 18 *num* 20.
(b) *Vigil. Pap. I. ep.* 9 & 11.
(c) *Actorum c.* 15. *num* 6, 7.
(d) *S. Cœlestin ep.* 8. *ad Synod. Ephes.*
(e) *Baron. ann.* 347. *n.* 7 8. &c. *Bellarm. de Rom Pontif. l.* 2. *c* 21.
(f) *S. Athanas. Apolog* 2.
(g) *S. August. ep.* 162
(h) *Sulpic. Sever. l.* 2. *hist. sacr.*
(i) *Socrates hist. l.* 2 *cap.* 16.
(l) *Vid Bin. in notis ad Conc. Sardic. hic D. & Cabasut. in eodem Concil. in fin.*
(m) *Conc.* 6. *Carth. c.* 3. *ann* 419.
(n) *S. Greg l.* 2. *ep.* 10
(o) *S. Isidor. Ethim. cap.* 16.
(p) *Beda de temp. c.* 65. *Cabasut. l. c.*
(q) *Conc. Sardic. cap.* 14.
(r) *Conc. Sardic. cap.* 19.
(s) *Idem Conc. Sardic.* 16. *vel.* 20.
(t) *Vid. Bail. & Cabasut. ad Conc. Sardic. cap.* 20.
(u) *S. Leo. I. ep.* 84.

jurisdictionem super omnes Ecclesias Macedoniæ, Daciæ, Mysiæ, & partis Illyrici, uti refert Theodoretus (*a*).

4. Thessalonicæ, inquam, plurimi Diaconi, & Presbyteri morabantur, tametsi essent beneficiati simplices in propriis Ecclesiis: vel ex eo quod sportulas in eisdem percipiebant, aut percipiendi jus habebant: antiquis enim temporibus, in sententiâ Contradictorum, omnes Clerici ab Ecclesiâ sportulas accipiebant, nec dividebatur tùnc ordo à beneficio: quippè sportulantes habebantur, prò totidem Beneficiatis. Vel ex eo quod omnes Clerici tunc temporis ordinabantur ad solum titulum alicujus Ecclesiæ, nec adhùc fuerat adinventus titulus proprii patrimonii, cujus prima sanctio emersit successivè in Concilio Chalcedonensi (*b*). Et ità vel primo, vel secundo modo, in ipsorum sensu Contradictorum illi Diaconi, ac Presbyteri erant Beneficiarii, pro ratione illorum temporum. Sed quoniàm animarum curâ carebant, nec aliud munus obibant, quod ab eis residentiam, & personale exigeret ministerium, unoque verbo erant Beneficiarii merè simplices; ideò non in propriis Ecclesiis debere residere, sed sè posse cognoscebant, vel Thessalonicæ, vel alibi pro eorum libito permanere. Nèc obstat, quod Concilium Sardicense Diaconos illos, & Presbyteros jusserit ad proprias Ecclesias reverti, quemadmodùm de Episcopis paulò anteà constituerat; quippè Concilium non eos compulit redire ad ipsas Ecclesias, tamquàm Beneficiarios, & in eis intitulatos, ut ibidem personalitèr ministrarent; sed tamquàm Christianos, & Catholicos, ut juxtà disciplinam illorum temporum, quæ cunctis aliis quoque communis erat, sive viris, sive fœminis; sive Laicis, sive Clericis, ad proprias Ecclesias frequentes essent, ut ubi fidem acceperant, ibi quoque assiduè sacra mysteria frequentarent (*c*): hæcque ratio fuit, propter quam etiam Episcopis injunctum est à Patribus Sardicensibus, ut apud suas Ecclesias permanerent, quemadmodùm & Laicis fuerat positum in præcepto (*d*), & ab Episcoporum exemplo extensa est sanctio ad Diaconos, & Presbyteros.

5. Nàm tametsi Episcopi, vigore aliarum legum Ecclesiasticarum, tamquàm animarum curam habentes, tenerentur ad residentiam; tamen in Canone Sardicensi non sunt jussi morari apud suas Ecclesias, velut Beneficiarij, sed tamquàm Christiani, ut patet ex lecturâ textus edicentis: *Osius dixit &c. Memini superiore Concilio fratres nostros constituisse; ut si quis Laicus in eâ, in quâ commoratur Civitate, tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur. Si ergò hæc circa Laicos constituta sunt; multò magis Episcopo non licet, nec decet, si nulla sit tam gravitas, quæ detineat, ut amplius à suprascripto tempore absens sit ab Ecclesiâ suâ. Universi dixerunt sibli placere* (*e*). Sequiturque immediatè alius Canon, in quo decernitur, quod si Episcopus extrà locum suæ sedis possideat prædia, quorum culturæ velit sollicitudinem habere, ibidem commorando; id faciat: tamen diebus Dominicis proximam aliquam Ecclesiam adeat, *nè sine Ecclesiâ videatur facere diem Dominicum* (*f*). Qui Canon, si loquitur de prædiis extrà Diœcesim constitutis; jam nihil concludit pro debito residentiæ. Si loquitur de positis in Diœcesi; cum possit Episcopus in quacumque suæ Diœcesis parte consistere, ibique pro tribunali sedere (*g*), tametsi congruum sit, ut apud Cathedralem resideat (*h*); jam patet, quod Canon Sardicensis, urgendo Episcopum, ut ad Ecclesiam diebus Dominicis prout suprà se conferat; non loquitur de residentiâ beneficiali, sed de consistentiâ, omnibus Christianis communi, nè sine Ecclesiâ faceret diem Dominicum. Alioquin duo sequerentur inconvenientia. Primùm, quod Episcopi nihil magis tenerentur ad residentiam, quam Beneficiarii merè simplices, Presbyteri, vel Diaconi. Secundùm, quod nedùm Diaconi, & Presbyteri, ac Episcopi, verùm etiam Laici fuissent per Sardicensem Synodum ad residentiam obligati; quod quis dicat, nisi desipiat?

6. Præterquamquod Canon Sardicensis, de quo est sermo, editus fuit in-

(a) *Theodoret. histor. l.5. cap. 17.*

(b) *Cap. neminem, & ibi glos. Verb. possessionis dist. 70.*

(c) *Conc. Agathens. c. 18. 63. 64.*

(d) *Conc. Sardic. c. 14*

(e) *Conc. Sardic. c. 14 ap Bals. 10. 1.*

(f) *Idem Conc. c. 15*

(g) *Cap. cum Episcopus de off. ordin. in 6. Barbos. de off. Episcopi alleg. 80. n. 5. § Nam, & in Sum. Apost. decis. collect. 301 n. 19.*

(h) *Glos. in c. Episcopus dist. 3. Barbos. loc. cit. alleg. 53. n. 3.*

ſtante Altio Epiſcopo Theſſalonicenſi, ut propriæ Eccleſiæ indemnitati conſuleret (*a*), quia tam immenſus erat confluxus Presbyterorum, & Diaconorum aliundè Theſſalonicam properantium, & ſubſidia ab illâ Eccleſiâ petentium, ut hæc non poſſet omnibus ſatis eſſe: Idcircò ſanctione Conciliari fuerunt cuncti ad Eccleſias proprias amandati, non ut ibi perſonaliter reſiderent, niſi quatenus ità eis commodum videretur; ſed ut alibi quam Theſſalonicæ pro eorum libito morarentur, nec illam fatigarent Eccleſiam, quæ cunctis ipſis advenis, unà cum Diœceſanis ſuis Clericis non poterant ſatisfacere. Et ità quia hujuſmodi Presbyteri, atque Diaconi, tamquàm qui ex rationibus indicatis erant Beneficiarii merè ſimplices, & ante Concilium Sardicenſe reſidere non tenebantur, ad id coacti non ſunt poſt Concilium ratione beneficiorum. Quarè ex ipſius canone benè deducitur, ſenſum Eccleſię tunc fuiſſe, prout & nunc eſt, quod Beneficiarii merè ſimmplices non teneantur ad reſidentiam, neque ullius perſonalis miniſterii onere ſint adſtricti. Quod totum ſit dictum per tranſennam, & ad oſtendendum, quod etiam juxtà principia Contradictorum, ſi ratiocinium inſtituatur ſuper Canonibus Sardicenſibus, non obſcura occurrit ratio, ſive illatio, abſcindens onus reſidentiæ à Beneficiariis merè ſimplicibus. Clariorem verò adhùc deciſionem Concilii *Epheſini*, Generalis III. capitulo præcedente allegavimus, quam nè ſine neceſſitate hic repetamus, poterit benignus Lector ibi denuò perſcrutari. Ei addimus nùnc ea, quæ ſuggerit Concilium *Chalcedonenſe*, Generale IV. illiuſve Acta, in quibus lecta ſunt geſta in Concilio habito Conſtantinopoli à S. Flaviano illius Urbis Epiſcopo, ubi memorantur Presbyteri diverſis Eccleſiis, Martyriis, Oratoriis, ſeu Sanctorum Monumentis præpoſiti. *Abramius Presbyter Martyrii, quod eſt in Septimo &c. Elpidius monumentorum Procopenſium cuſtos &c. Euthychius in Martyrio Celerinæ &c. Hypces in monumentis habitans, habens duo, vel tria nomina in Chylocirco &c. Gaudentius habens quinque nomina in Monumentis &c.* (*b*). Quid quæsò ſibi vult hoc habere duo, tria, & quinque nomina, niſi totidem Eccleſiis, vel Oratoriis præeſſe, ſive reditibus, & beneficiis earundem ſacrarum Ædium potiri(*c*)? Quibus omnibus Eccleſiaſticis locis, cum non poſſet unus eodem tempore famulari, niſi Corpus idem eſſet in pluribus locis, quod naturalitèr nec Philoſophia, neque Theologia contingere poſſe aſſentitur; oportet, quod beneficia illa, vel ſaltem aliqua ipſorum eſſent à reſidentiæ perſonalis debito exempta.

7. Paritèr Concilium *Nicænum II.* Generale VII. convocatum anno Chriſti 787. Hadriano Papâ I. in Apoſtolicâ Cathedrâ confidente, & Conſtantino VI. cum Irene illius matre Imperium Orientale tenente(*d*), hoc inter cętera definivit: *Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Eccleſiis non collocetur: hoc enim eſt negotiationis, & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſticâ conſuetudine alienum. Ab ipsâ enim Domini voce audivimus, non poſſe quempiam Dominis duobus ſervire, vel enim unum odio habebit, & alterum diliget, vel unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Unuſquiſque ergò, ut vox eſt Apoſtolica, in eo, in quo vocatus eſt, debet manere, & in unâ Eccleſiâ aſſidere. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in Eccleſiaſticis negotiis, ea à Deo ſunt aliena. Ad hujus autem vitæ uſum ſunt diverſa ſtudia. Ex iis ergò, ſi quis velit, ad ea, quæ ſunt corpori ad uſum neceſſaria, comparet. Dixit enim Apoſtolus, uſui meo, & iis, qui mecum ſunt, ſubminiſtraverunt manus meæ. Et hoc quidèm in hac cuſtoditâ à Deo Civitate. In iis autem, quæ extrà ſunt locis, propter hominum inopiam permittatur* (*e*). Concilium ergò præcepit, nè quis Clericus in duabus Eccleſiis collocaretur, quod idem eſt ac dicere, nè duobus beneficiis eccleſiaſticis donaretur, ſed uno contentus eſſet: quod ſi unus non eis ſufficeret, ſed adhùc aliis proventibus indigeret, ad ea ſtudia, ſive officia, ſive opificia, sè volveret, intellectualia, manualia, vel alio modo induſtrialia, quibus poſſet ſibi optatos reditus comparare,

(a) *Cabaſut. ad can. 16. Conc. Sardic.*

(b) *Conc. Chalcedon. Act. 1. & 4.*

(c) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccle. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 92. n. 4.*

(d) *Labbè, Binius, Bail. Cabaſutius in Conc. II. Nicæn.*

(e) *Conc. Nicæn. II. can. 19.*

8. Sa-

8. Sanè, *Constantinopoli facile erat Clericis, citrà plurium præbendarum possessionem, vitam honestè tueri, sive apud Procerum familias sacra ministeria, domi, vel in agro, ex Episcopi veniâ celebrando, sive filiorum, aut famulorum institutioni, tum ad bonas literas, tum ad pietatem operam navando (exclusis tamèn omninò sæcularibus Præfecturis, aut vilioribus obsequiis) sive demum, aut publicè, aut privatim, honestas scientias, & disciplinas edocendo; sive Xenodochiis, aliisque piis domibus, aut etiam sanctimonialium Cœnobiis sacram Præfecturam exercendo; sive deniquè Apostolico Pauli exemplo, propriis manibus honestè laborando* (*a*). Ita, inquam, præcepit Concilium, nè quisquam intrà Urbem Constantinopoleos, binas posset simul adipisci præbendas, quia sive hác geminatione beneficiorum quisque Clericus poterat sibi aliter providere: At extrà illam Urbem Regiam, ubi præbendę tenues, & Clerici erant inopes, nec obvius eis patebat modus conquirendi ex officiis, & opificiis, aliisque industrialibus mediis, competentes proventus; Concilium duplicata beneficia uni, & eidem Clerico, permittenda esse sancivit, ibi: *in iis autem, quæ extrà sunt locis, propter hominum inopiam, permittatur* (*b*). Bina, inquam, permittenda esse beneficia sancivit: non ambo residentialia, quia onus personalis ministerii, & præsentialis utrobique residentiæ obsistebat; ergò vel ambo merè simplicia, vel saltem unum, quod uti merè simplex nullam incompossibilitatem cum altero retinebat: ergò juxtà sanctionem hujusmodi Concilii beneficia merè simplicia poterant cum residentialibus retineri, & sic etiam nunc poterunt, adeòque Beneficiarij merè simplices sunt à residentiæ debito exempti.

(a) Cabasut. ad can. 15. Conc. Nicæn. II.

(b) Idem Conc. Nicæn. II. cap. 15.

9. Si dicatur, bina illa beneficia fuisse ambo residentialia, Concilium tamen permisisse retentionem utriusque, per dispensationem, justâ de causâ inopiæ interpositam; hoc nihil officit, quinimò magis probat intentum nostrum. Nàm negatur in primis, quod hæc geminatio prębendarum fuerit Clericis indulta per viam dispensationis, in casibus particularibus interpositæ. Vel si adfuit dispensatio; oportet, quod hæc fuerit dispensatio generalis, Concilii Canoni innixa, in idemque resonat, ac sub aliis verbis dicere, fuisse de jure generali statutum, quod beneficia merè simplicia immunitatem à residentiæ debito haberent. Cæterùm si Concilium potuit justâ ex causâ inopiæ, dispensare super pluralitate beneficiorum residentialium; eccur non poterit idem facere aliâ justâ de causâ? Eccur non idem potest facere Summus Pontifex? Eccur non potest idipsum facere super beneficiis non residentialibus? Accipe ergò beneficia, & Beneficiarios merè simplices, & sive dicas, hos non teneri ad residentiam, ob dispensationem Ecclesiæ super illis, justâ de causâ generalitèr interpositam; sive ob sublatum ipsis aliter onus personalis residentiæ; sive ob exemptionem eisdem alio modo indultam à debito residendi; hoc parum refert, nam nihil curamus de modo, dummodo fateri cogaris, Beneficiarios ipsos esse à residentiæ debito exemptos.

10. Itèm Concilium *Lateranense* IV. Generale XII. anno Christi 1215. celebratum, Innocentio III. Pontificatum, & Friderico I. Imperium Occidentale tenentibus, repetens vim decreti, aliàs editi in Concilio Lateranensi III. nè quis plures præbendas posset simul Ecclesiasticas adipisci (*c*); novo Canone sic decrevit: *De multâ providentiâ fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales reciperet contra sacrorum Canonum instituta, alioquin recipiens sic acceptum ammitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. Quià verò propter præsumptiones, & quorumdam cupiditates, nullus hactenùs, aut rarus de prædicto statuto fructus pervenit; nos evidentiùs, & expressiùs occurrere cupientes, præsenti Decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium, curam habens animarum annexam, si priùs tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus: &*

(c) Concil. Later. III. cap. 13.

si fortè illud retinere contenderit, etiam alio spolietur &c. (*a*): sanctioni ergò Concilii Lateranensis III. Concilium Lateranense IV. adjungit pœnam privationis ipso jure primi beneficii post adeptum secundum. Et cum in ipso Concilio Lateranensi III. non fuerit interdicta pluralitas nisi Dignitatum, & Parochiarum (*b*), Concilium Lateranense IV. extendit prohibitionem etiam ad personatus, adjungens. *Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum: addentes, ut in eâdem Ecclesiâ nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum* (*c*).

11. Nota hìc, quod Concilium loquitur non generalitèr, sed solùm de obtinentibus plures dignitates, plures parochias, & plures personatus, seù quod idem est uno verbo, de obtinentibus plura beneficia residentialia, & incompatibilia. Quarè attento, quod Concilium nullum verbum facit de beneficii merè simplicibus, clarum remanet, quod ista non cadunt sub præfatâ prohibitione per tritum axioma, quod exceptio firmat regulam in contrarium (*d*), vel per aliud, quod casus omissus à novâ dispositione, remanet sub dispositione juris antiqui (*e*). Prætereà vi hujus Decreti sublata non est potestas Papæ dispensandi, ut plura beneficia tametsi residentialia, per unum, & eundem Clericum teneantur. Salva quoque remanet facultas Episcoporum dispensandi super pluralitate beneficiorum merè simplicium, ut exprimit ibi Glossa (*f*), sed nè quoàd beneficia residentialia intentionem Concilii deberet posteritas divinare, Decretum Synodale in fine Capituli hoc adjungit; *Circà sublimes tamen, & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari* (*g*).

12. En quomodo 400. Patres, Concilium illud Lateranense IV. & Generale XII. componentes, decreverunt, pluralitatem beneficiorum, justâ causâ concurrente (uti literaturæ, vel sublimitatis personæ) posse in eodem Clerico cumulari, absque eo quod Beneficiarius teneatur in utroque residere, cum non nisi in uno sigillatim possit consistere. Favet enim libentèr Ecclesia viris literatis, per quos mundus illuminatur, & Ecclesia Dei regitur, ac sustinetur (*h*). Favet quoque viris nobilibus, qui tales sunt, non simplici nomine, vel solâ inani aurâ progenitorum; sed qui ex propriâ virtute, junctâ meritis Majorum sunt verè nobiles, & eximii (*i*). Plura inquam beneficia, per quæ si Concilium intellexit beneficia merè simplicia, textus probat apertissimè intentum nostrum, nempè quod ipsa beneficia merè simplicia personalis residentiæ debitum non involvunt. Si verò intellexit beneficia Curata, & Choralia, sive quocumque modo residentialia; textus in fortioribus terminis (nempè à majori ad minus, quod est argumentum validissimum in jure (*l*), probat nostrum assumptum: Nàm si justâ concurrente causâ potest Sedes Apostolica dispensare Beneficiarios residentiales ab onere residentiæ, multò magis dispensare posset Beneficiarios merè simplices, si hi tali oneri subderentur. Et sic ex hujusmodi sanctione Conciliari probatum remanet, quod Beneficiarii merè simplices sunt ab onere residentiæ, & servitii personalis debito immunes.

13. Demùm Concilium *Tridentinum*, Generale ultimum, ità decrevit: *Episcopis inferiores, quævis beneficia ecclesiastica, personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia, in titulum, sive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis, quemadmodùm eis prò bono Ecclesiarum regimine, divini cultus augmento, locorum, & personarum qualitate pensatâ, expediens videtur, opportunis juris remediis residere cogantur; nullique privilegia, sive indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentiâ percipiendis suffragentur. Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis tantum concessis, & coràm Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris: quibus casibus nihilominùs officium erit Episcoporum, tamquàm in hac parte à Sede Apostolicâ delegatorum, providere, ut per deputationem idoneo-* rum

(a) *Concil. Later. IV. cap. 29.*

(b) *Concil. Later. III. cap. 13.*

(c) *Concil. Later. IV. cap. 29.*

(d) *Cap. dominus 6. caus. 32. qu. 7. Glos. in Clem. Exivi § dudùm de Verb signif. Barbos. tract. var. axiom. 85. num 4.*

(e) *L. si vero §. de viro ff. solut. matrim. l. commodissime ff. de liberis Barbos. loc. cit. axiom. 39. n. 6. & 7.*

(f) *Glos. in cap. de multa 28. de præbend.*

(g) *Concil. Later. IV. cap. 29 in fin.*

(h) *DD ap. Barbos. in d. cap. de multa n. 16*

(i) *Idem Barbos. loc. cit. n. 14.*

(l) *Authent. multò magis C. de Sacros. Eccl. cap. si ergò à qu. 1*

rum Vicariorum, & congruæ portionis fructuum assignationem, cura animarum nullatenùs negligatur (*a*). Attendat benignus Lector, quod Concilium hìc de residentiâ Beneficiariorum ex proposito tractat, & distinguens obligatos, à non obligatis ad residentiam; decernit, primò, quod ad illam non teneantur nisi illi, qui obtinent beneficia, quæ de jure, vel consuetudine personalem exigunt residentiam: undè quia ex notissimis exceptio firmat regulam in contrarium (*b*), sequitur, quod quantum ad illa beneficia, quæ nec de jure, neque de consuetudine residentiam exposcunt, eorum possessores de facto à Concilio ad ipsam non adstringuntur: hæc autem beneficia sunt beneficia merè simplicia: ergò quicumque illa possident, justè non valent ad onus personalis residentiæ coarctari.

14. Hinc Barbosa expendens idem Conciliare decretum, dicit sic: *beneficia simplicia obtinentem non posse Episcopum cogere personale aliquod servitium impendere, cum ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine non teneantur, refert decisum Piasec. in prax. Episc. p.2. c.3. n.32.* (*c*). Secundò Concilium, àd residentiæ debitum adstringens Beneficiarios, possidentes beneficia, quæ de jure, sive consuetudine residentiam exigunt, per dictionem illam *sive*, quæ est alternativa (*d*), & etiam augmentativa (*e*), ostendit, posse onus residentiæ à beneficiis exigi, non solum de jure, sed etiam de consuetudine: si ergò de consuetudine potest excitari obligatio residendi in beneficiis, quæ alioquin de jure tale onus non haberent; etiam à contrario sensu fit, quod ex consuetudine detrahi potest obligatio residendi ab illis beneficiis, quæ alioquin de jure tale onus haberent: argumentum etenim à contrario sensu validissimum est (*f*). Ergò tametsi beneficia merè simplicia de jure exigerent debitum residentiæ, attamèn potuerunt ex præfatâ *antiquissimâ totius Ecclesię consuetudine* hujusmodi debito denudari: & sic saltèm vigore istius consuetudinis, Beneficiarii merè simplices sunt à residentię onere exempti.

15. Tertiò Concilium Tridentinum clarè disponit, quod indulgentiæ, & dispensationes de non residendo, ad *tempus* concessæ, justis de causis, coram Ordinario verificandis, suum integrum effectum obtineant eximendi Beneficiarios, etiam residentiales, ab onere residentiæ: si autem hujusmodi dispensationes indulgeri possunt ad tempus; eccur non poterunt in perpetuum concedi: & si ad tempus, vel in perpetuum concedi possunt prò beneficiis residentialibus, eccur concedi non poterunt prò beneficiis merè simplibus? Profectò si Ecclesiâ suam interponente auctoritatem, fieri potest, ut ab onere personalis residentiæ immunes reddantur Clerici obtinentes beneficia ipsomet onere alioquin implicata; in terminis fortioribus eximi possunt possidentes beneficia merè simplicia. Hinc Barbosa idem Caput Concilii commentans, ità loquitur: *Papa poterit dare facultatem non residendi ad biennium, quinquennium, vel in perpetuum, ex quâlibet justâ causâ: cap. licet canon de electtion. in 6. Rebuff. in prax. benef. tit. de dispens. de non resid. num. 19. & 53.* Et infrà: *Pontifex potest dispensare, & dispensando veniam dare, nè quis personalitèr cogatur residere in altero beneficio incompatibili, quod habet; est enim juris positivi necessitas residendi* (*g*). Multò magis ergò potest, & potuit hoc fieri generalitèr prò beneficiis mere simplicibus, ideòque Clerici eadem retinentes, sunt à residentiæ debito immunes.

16. Paritèr idem Concilium, alibi jubens erigi Seminarium Clericorum in unâquaque Diœcesi, mandat, ut eidem valeant uniri beneficia aliquot *simplicia, cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint &c. etiam si beneficia sint reservata, vel affecta* (*h*). Supponit igitur, quod beneficia merè simplicia sint à residentię legibus absoluta: alioquin illa uniri Seminario non præcepisset: quippè unio facta, non alteri beneficio, sed loco pio, vel domui religiosæ, ut est Seminarium, aut Collegium Clericorum, sive Cœnobium Regularium, aut quid simile, non est compossibilis cum residentiâ personali: non enim potest Rector Collegii, vel Abbas Cœnobii, aut Monachi, & Alumni, eorundem subditi regimini, personali-

(a) *Conc. Trid. ses. 6. cap. 2.*

(b) *Seraph. dec. 980. num. 7. Tusc. 10. 3. lit. E. concl. 422.*

(c) *Barbos. ad Conc. ses. 6. c. 2. n. 2.*

(d) *Socin. Jun. cons. 41. n. 34. vol. 3. Barbos. tract var. diction. 375. nu n. 2.*

(e) *Menoch. cons. 763. n. 18. Tusc. lit. D. concl. 372. n. 16.*

(f) *L. qui testamento § mulier, & ibi Glos ff. de testam. cap. qualis dist 25. Mascard. de prob. conclus. 1246. n. 3.*

(g) *Barbos. ad Conc. Trid. ses. 6. c. 2. n. 6.*

(h) *Concil. Trid. ses. 23. c. 18.*

naliter residere, ac per se ipsos ministrare apud Ecclesias campestres, & solitarias, hùcque, illùcque positas, in quibus erecta sunt beneficia, eorum religiosis domibus unita. Quo præterea Concilium, si suppofuisset beneficia merè simplicia onus residentiæ involvere, non jussisset uniri Seminario limitatè beneficia simplicia, sed generalitèr aliqua beneficia, non distinguendo de residentialibus, vel de simplicibus, quatenùs omnia idem onus involverent residentiæ. Quià ergò Concilium dispositionem suam limitavit ad beneficia simplicia, satis declaravit, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito immunes.

17. Tandèm ipsum Concilium Tridentinum alibi generali lege interdicit, nè plùra beneficia uni, & idem Clerico valeant indulgeri, hoc modo: *Sancta Synodus &c. statuit, ut posteràm unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur: quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri* (a). Dudùm anteà plurimi Canones, per Ecclesiam fuerant constituti, pluralitatem beneficiorum in uno, eodemque Clerico reprobantes: & ità in variis Conciliis (b), & ità in diversis sanctionibus, corpori Juris insertis (c), idipsum fuit prohibitum. Sed Canones, & Concilia præfata loquebantur, vel saltem debent intelligi de beneficiis Curatis, atque Choralibus, aut alio modo residentialibus. Concilium verò Tridentinum in hoc decreto nedùm vetuit pluralitatem beneficiorum residentialium, quam in aliis quoque decretis prohibuerat, individuans beneficia incompatibilia (d); verùm etiam interdixit pluralitatem beneficiorum merè simplicium, quæ numerum duorum excedunt. Porrò si tria, vel ulterius beneficia simplicia quisquam Clericus peroptabat, olim opus erat dispensatione Apostolicâ (e), *hodie* tamen, inquit Barbosa, *de consuetudine non datur dispensatio ad plura beneficia simplicia: sed Prælati inferiores Summo Pontifice videtur, quod conferre possint, & de facto conferunt, nullâ habitâ ratione, an sint pinguia, vel tenuvia* (f). Hocque multò magis si beneficia illa simplicia sunt de jure patronatus: tunc enim ait idem Auctor, *universalem observantiam, & praxim esse, ut Episcopi instituant præsentatos à patronis, tametsi tertium, & quartum habeant beneficium* (g).

(a) *Concil. Trid. ses. 24. c. 17.*

(b) *Concil. Chalced. cap. 10 Conc. Nicen. II cap. 15. Concil. Agath. cap. 57. Conc. Epaon. cap. 9. Concil. Antioch. cap. 3. Conc. Arel. I. cap. 2 & 22.*

(c) *Cap. Unum Abbatem 21. qu. 1. c. quia intantum cap. cum non ignores. cap. referente. cap. multa de præbend. cap. quia nonnulli de Cler. non resid.*

(d) *Concil. Trid. ses. 7. cap. 2. & 4.*

(e) *Barbos. Sum. Apost. decis. Collect. 64 num. 14.*

(f) *Idem ad Concil. ses. 24. c. 17. n. 7.*

(g) *Idem Barbos. loc. cit. num. 8.*

18. Itàque si Concilium Tridentinum decernit, posse aliquem plura beneficia retinere, dummodò ambo, sive cætera, præter unum, non requirant residentiam personalem; quomodò quæso, bone Deus, & quâ fiduciâ possunt ejus verba intervolvi, ejusque sanctiones tali violentiâ contorqueri, ut vel ad significandum contrarium sensum trahantur, vel omninò negetur, esse Beneficiarios merè simplices à residentiæ debito immunes? Ad id posteà quod in oppositum judicatur, mentem Concilii Tridentini non fuisse approbandi. Sed solummodò permittendi merè tolerantèr exemptionem præfatorum Beneficiariorum ab obligatione residendi, & personalitèr ministrandi in Ecclesiis suorum Beneficiorum; jàm frustrà responsum est, & infrà iterùm respondebitur, totalitèr evertendo hujusmodi ludificationem verborum Tridentini: quarè superfluum est hìc eidem rei diluendæ prolixiùs immorari. Post igitur jàm hùcusque recensita Concilia generalia, faventia exemptioni, quâ potiuntur Beneficiarii merè simplices ab onere residentiæ: Nùnc ad aliarum specierum Concilia, nempè Nationalia, & Provincialia est opportuno tempore descendendum.

19. Tametsi autem eademmet Concilia Nationalia, & Provincialia, extrà illorum Nationes, & Provincias, nullatenùs afficiant (h), nec extrà ipsa loca vim legis habeant, necessariò à Fidelibus observandæ (i): attamèn eorum decreta, velut à Prælatis edita, non fine magnâ maturitate, atque concordi sensu, nec non sub Spiritus Sancti regimine, illoque ipsismet lumen infundente, qui in Sacris Evangeliis pollicitus est: *ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (l), magnam ubilibet merentur venerationem, & idcircò

(h) *Cap. 1. caus. 9. qu. 1. c. decernimus 3. qu. 9. Fagnan. in c. canonum 1. de constit. l. 1. num. 14. Alphons. à Castr. l. 1. c. 8.*

(i) *Barbosa Sum. Apost. decis. collect. 189. n. 3. & in c. canones n. 7. dist. 15.*

(l) *Matth. c. 18. n. 21 & ibi Cornel. à Lap.*

circò quidquid ab eis est Synodalitèr definitum, omni honore, atque obsequio colendum est, præsertim si fuerunt à Summo Pontifice approbata, decernente ab omnibus observandas esse sanctiones ibidem editas: tunc enim ratione Pontificię approbationis, Concilia illa sè habent non secus ac si essent universalia, de quâ rè Jacobatius, Albertus Pighius, & alii (*a*). Intèr Concilia autem Nationalia unum, quod de rè, ad nostrum propositum faciente, loquitur, est Concilium *Londinense*, Londini habitum apud Anglos anno Christi 1268. ex Angliæ, Scotię, atque Hiberniæ Episcopis, præside Cardinali Ottobono de Flisco, Legato de Latere Clementis Papæ IV, Concilium magnum à Matthęo Vvestmonasteriensi appellatum, & quod totius magnæ Britanniæ incolæ, tamquàm summæ auctoritatis Synodum impensè coluere, usque ad ea infelicia tempora, in quibus Henricus VIII. Rex, à fide Catholicâ, quam præcedentèr & calamo, & ense virilitèr defensaverat, ex motivis Orbi universo notissimis, desilivit.

20. In hoc inquam Concilio, sequens Canon, inter alios est statutus: *Nullum de exterò ad Vicariam admittendum, nisi in Presbyterum jàm ordinatum, vel sàltem in Diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis beneficiis, si qua habet, Curam animarum habentia; juret ibi residentiam facere corporalem: alioqui institutionem ipsius nullam fore decrevit, & Vicariam alii conferendam. De iis autem, qui tùnc jam fuerant constituti, non tamen in Presbyteros ordinati, statuit, & præcepit, ut ex tunc infrà annum ad minus sè facerent in Presbyteros ordinari: alioquin privatos ipsos ex tunc Vicariis fore decrevit; quod de residentiâ circà instituendos præceptum erat, statuens etiam circà ipsos &c.* (*b*). Loquitur Concilium de Vicariis perpetuis, curam animarum habentibus, quæ sine dubio inter beneficia ecclesiastica computantur (*c*): disponitque, ut hujusmodi Vicariæ, sive beneficia, non nisi Presbyteris traderentur, vel saltem Clericis, qui possent intrà annum ad Sacerdotium promoveri. Sancivit quoque, ut hujusmodi Vicarii jurejurando adigerentur, personalem residentiam polliceri; demùmque voluit, ut non possent unà cum aliis beneficiis curam animarum habentibus retineri: & quidèm justè quandoquidem cum Vicarii perpetui verum habeant titulum beneficii (*d*), quinimò & nec possint constitui absque erectione tituli Vicariæ (*e*), dicanturque verè, & non fictè habere beneficia Curata (*f*), incompatibiles erant, & sunt ipsæmet Vicariæ cum aliis beneficiis Curatis.

21. Recolendum est hìc autem ex historiâ, quod in Angliâ prava quædam inoleverat introductio, retinendi plura beneficia, etiam Choralia, & Curata, sive alio titulo residentialia: quem abusum radicitùs evellere gestiens Gregorius Papa IX. misit illùc quendam Legatum suum anno 1237. ut congregato in Urbe Londini Concilio, pluralitatem beneficiorum residentialium, ex totius Regionis illius finibus amputaret. Sed quià Clerici jàm binis, ac ternis beneficiis insigniti, ad hęc audita, fremere incœperunt, & penè ad arma impugnanda proruere; Vvalterus de Cantelupo Episcopus Vvigorniensis exurgens in Concilio, Legatum Pontificium virilitèr est adhortatus, nè contrà morem hunc, profundis nimium radicibus Anglię infixum, quidquam constitueret, sed de illo tolerando, donec melior adesset opportunitas, Pontificem commoneret, quem ipsum quoque Concilium, de hoc suis literis obsecrasset: ne ex remedio tunc tentato, majora mala profluerent (*g*). Ità ergò res infecta remansit, de quâ fusiùs Matthæus Parisius (*h*), Polydorus Virgilius (*i*), Genebrardus, & alii (*l*). Quod ergò Gregorius Papa IX. per Legatum suum eradicare non potuerat, Clemens Papa IV. triginta post annos, per alium Legatum evellere procuravit: nec toti malo repagula ponere valens, prò eo quod potuit, remedium adaptavit: nimirùm arcuit pluralitatem beneficiorum, Curam animarum habentium, toleratâ pluralitate Choralium, sive alio titulo residentialium.

(a) *Card. Jacobat. de Conc. l. 1. art 2. §. quot. Pighius de Eccl. hier. l 6. c. 2. V. medii. Barbos. in c. 1. n. 3 dist. 15.*

(b) *Concil. Londin. ann. 1268. c. 9.*

(c) *Barbos. Jur. Eccles. Univ. l. 3. cap. 6. num. 18. 19. &c.*

(d) *Cap. ad hæc de offic. Vicar. Garcia de benef p. 7. c. 2. n. 289.*

(e) *Garcia de benef. p 11. c. 2. n. 15.*

(f) *Barbos. Jur. Eccles. Univ. p 7. c. 2. num. 287. Campanil. divers. Jur. Canon. rubr. 7. c. 6. n. 114.*

(g) *Vid. Bail. Sum. Conc. in Concil. Londin. ann. 1268.*

(h) *Matth. Paris. ad ann. 1268.*

(i) *Polydor. Virgil. hist. Angl. l. 16.*

(l) *Genebrard. in Chronic. lib. 4.*

22. Ex

22. Ex quibus duo nobis innotefcunt, primùm, quod ubi aliqua confuetudo fuper refidentiâ beneficiorum alicubi talitèr eft infixa, ut non poffit fine magnâ Ecclefiæ perturbatione divelli, eft pacificè permittenda: & ità quantumlibet per hypothefim beneficia merè fimplicia de fui naturâ exigerent refidentiam; tamen quia confuetudo contraria, illamet eximens ab illo onere, non poteft fine totius Ecclefiæ conturbatione extirpari, ideò toleranda eft potiùs, quam cum fcandalo, ac multa confufione rerum, atque hominum evellatur. Si enim permitti tunc potuit in beneficiis refidentialibus; multò magis permitti nunc poteft, & debet in beneficiis merè fimplicibus. Alterum quod nobis innotefcit, eft, quod beneficia refidentialia cum non refidentialibus funt compatibilia; nam quià incompatibilitas in ifto Concilio eft reftricta ad fola beneficia Curata, ex confequenti cœtera beneficia compatibilia remanferunt: hæcque compatibilitas, fi tunc nedùm beneficia merè fimplicia complexa eft, fed etiam sè ad beneficia Choralia, five alio titulo refidentialia dilatavit, confuetudine fic ftatuente; multò magis nunc fe valet ad ipfa fola beneficia merè fimplicia coarctare. Pofitâ autem compatibilitate in beneficiis merè fimplicibus, fit ex confequenti, quod Beneficiarii merè fimplices à refidentiæ onere, & fervitii perfonalis debito funt immunes.

23. Ex Conciliis verò Provincialibus, primò nobis occurrit Concilium *Aurelianenfe III.* convocatum anno Chrifti 540. in quo Patres decreverunt: *de his verò Clericorum perfonis, quæ de Civitatenfis Ecclefiæ officio, Monafteria, Diœcefes, vel Bafilicas, in quibufcumque locis pofitas, ideft, five in territoriis, five in ipfis Civitatibus fufcipiunt ordinandos, in poteftate fit Epifcopi, fi de eo quod antè de ecclefiaftico munere habebant, eos aliquid, aut nihil exindè habere voluerit; quià unicuique facultas fufcepti Monafterii, Diœcefis, vel Bafilicæ debet plenâ ratione fufficere* (*a*). Loquitur ifte canon de beneficiis, quæ ibi vocat *Ecclefiæ officia*: illâ etenim ætate promifcuè fumebantur verba officii, & beneficii: ac noftris etiam temporibus beneficia æquiparantur officiis (*b*). Verbum quoque *Diœcefis* in ifto canone fignificat parochiam, fic etenim interdùm refonare folet in Canonibus prifcorum temporum (*c*). Demùm *habere de ecclefiaftico munere* idem eft ac beneficium ecclefiafticum poffidere juxtà phrafim illorum temporum, quod idem Concilium canone præcedente vocat *Munificentiam Sacerdotum*. Igitur decernit Concilium Aurelianenfe III. quod fi Clericus habens beneficium; Abbatiam quoque, vel Parochiam, vel Ecclefiam obtineret, poffet illud retinere cum eâ, fi confentiret Epifcopus. Illud autem primum beneficium, vel erat merè fimplex, & habemus intentum: vel erat refidentiale, & argumentum in fortioribus terminis probat. Nàm fi poterat confenfus Epifcopi abfcindere onus refidentiæ primo beneficio, ut retineretur ab uno, & eodem Clerico cum alio beneficio refidentiali; multò magis ab Ecclefiâ poteft idem onus auferri beneficio merè fimplici, fi onus ipfum haberet.

(a) *Concil. Aurel. III. ann. 540. c. 18.*

(b) *Card. de Luca de Regalibus difc. 11. n. 10*

(c) *Cap. Presbyter. 12. qu. 4.*

24. Paritèr Concilium *Nannetenfe*, quod coaluit anno Chrifti 1264. edidit hoc decretum; *Si verò quifpiam Capellaniam adeptus fuerit, quæ refidentiam debeat perfonalem; ipfo jure vacet primum beneficium, quod fimilitèr refidentiam requirebat* (*d*). Loquitur Concilium de Capellaniis, non utcumque, quoniam hæ fæpè fæpius nec etiam folent effe ecclefiaftica beneficia, tametfi in dubio prò beneficiis reputentur (*e*). Sed de illis Capellaniis, quæ vel onus habent adjuvandi parochum in exercitio curæ animarum, vel interceffendi Choro, vel aliud opus perfonaliter exercendi (*f*). Et quià iftæ funt refidentiales; prohibet Synodus, nè cum alio priori beneficio, itidèm refidentiam requirente, poffint unà fimul retineri. Ergò argumentum ducendo à contrario fenfu (quod eft optimum, & efficax, uti pluries oftendimus) fi primum beneficium refidentiæ debitum non expofcat, unà cum aliquâ ex præfatis retineri poteft. Beneficia autem talis fpeciei funt beneficia merè fimplicia; ergò in fenfu Concilii Nannetenfis beneficia merè fimplicia funt à refidentiæ debito immunia.

(d) *Concil. Nannetenf. ann. 1264. cap. 6.*

(e) *Perez de Lara de Capellan. l. 2. cap. 1. num. 59. Gonzal. ad reg. 8. Canc. glof. 5. n. 5.*

(f) *Barbof. Jur. Ecclef. Univ. l. 3. cap. 5. num. 26. & 28.*

25. Sc-

25. Sequitur Concilium *Colonienſe II.* celebratum anno Chriſti 1549. in quo introducto tractatu de tertio medio inſtaurandi eccleſiaſticam diſciplinam, hujuſmodi ſanctio ſuit communibus Patrum ſuffragiis conſtituta: *Cupientes ex animo, quantum in nobis eſt, prohibere, ac tollere, odioſum illud, & inſatiabile (quod Patrum Canones deteſtantur) ſtudium coacervandi plura beneficia, curam animarum habentia, undè populus fidelis graviter ſcandalizatur, & optimorum quorumcumque animi à Clero alienantur &c. Donèc Cæſarea Majeſtas proviſionem meliorem adverſus licentiam hanc à Summo Pontifice impetret, id quod ab Eccleſiaſticis Imperii Statibus rogatus in ſe recepit à ſanctitate ejus eniti, ac flagitare velle; ſtatuimus, & communi, maturâque deliberatione cum Concilio prehabitâ, quod juſtiſſimum eſt, & ad Eccleſiæ ædificationem pertinet, ſancimus. Ut beneficiatus quiſque, ſi beneficia habet à Curis libera, aut beneficium Curatum unum, aliud ſimplex, ſatisfaciat officio, cujus gratia beneficium accepit, ſecundum intentionem fundatoris, ſacros Canones, & Patrum decreta: & ab Eccleſiâ, ubi beneficium negligit, non participet. Etenim divini juris eſt, ut qui ſervit altari, de altari vivat: nec bono jure is, qui non ſervit altari, vivit de altari; ſicut ſtipendium non debetur niſi militanti: ſi verò curatum habet beneficium, apud Eccleſiam, ubi beneficium habet, reſideat, & officio ſatisfaciat, alioqui nihil percepturus &c. Quod ſi quis juxtà Caput de multâ, de Prebend. qualificatus jàm impetravit à Sede Apoſtolicâ facultatem plura quam unum beneficia retinendi, mandamus, ut hanc Epiſcopo ſuo, aut ejus Viſitatoribus, ſecundum diſpoſitionem cap. Ordinarii de offic. ordin. in 6. præſentet, atque exhibeat. Quæ ſi appareat ſufficiens, curet Epiſcopus, ut beneficia debitis officiis non fraudentur: alioquin Beneficiatus uno, quod maluerit, retento, reliqua liberè reſignat, aut remittat viris idoneis perſonaliter reſidere volentibus &c.* (a).

26. Diſtinguit ſatis clarè Concilium hoc in Beneficiario, reſidentiam ab aliis obligationibus, diſcretiveque de utrâque rè diſponens, edicit; quod ſive beneficia ſint Curata, ſive ſimplicia, Beneficiarius omninò obligationes beneficio adnexas adimpleat, nimirùm ſive per ſè, ſive reſpectivè per alium: per ſè, ſi beneficia ſint Curata, vel reſidentialia: per alium verò, ſi beneficia ſint merè ſimplicia. Quoàd reſidentiam autem jubet ad illam teneri eos, qui beneficia curata poſſident, vel reſidentialia, ſine diſpenſatione. Aſt de beneficiis merè ſimplicibus altum ſilentium ſynodus habet, comprehenſura certè hæc ipſa quoque ſimplicia, ſi cognoviſſet, quod eadem eſſent reſidentiæ debito adſtricta. Quæ ommiſſio in loco, & tempore, quo de reſidentiâ Beneficiorum agebatur, benè oſtendit non fuiſſe à Concilio nominata beneficia merè ſimplicia, quià noluit ea reſidentiæ vinculis alligare (b).

27. Prætereà notetur, quod Concilium Colonienſe admittit, in Summo Pontifice auctoritatem diſpenſandi, ut quis valeat plura beneficia reſidentialia inſimùl retinere, agnoſcens etiam hanc facultatem eſſe de jure (c): quo caſu poſito jàm ab uno ex dictis beneficiis onus reſidentiæ amputatur, quippè Beneficiarius non valet uno, eodemque tempore in duobus Eccleſiis longè diſſitis reſidere: cum unum, & idem corpus, eodem temporis momento, eſſe non poſſit circumſcriptivè in pluribus locis (d). Si autem reperitur in Eccleſiâ hæc facultas ſubtrahendi à beneficiis reſidentialibus debitum reſidentiæ, vel ad tempus, vel in perpetuum; eccur non reperietur pro eodem debito à beneficiis merè ſimplicibus auferendo; cum imò hæc facultas potiùs debeat pro beneficiis merè ſimplicibus prævalere, ob majoritatem rationis, à quâ ſine dubio validum eſt argumentum (e). Eccleſia autem hujuſmodi onus beneficiis merè ſimplicibus abſcidit, prout hùcuſque probavimus, & patet ex conſuetudine generali, per totam Eccleſiam ipſam diffusâ: ergò Beneficiarii merè ſimplices ſunt à reſidentiæ debito exempti.

28. Paritèr Concilium *Moguntinum* eodem anno 1549. convocatum, inter

(a) *Concil. Colon. ann. 1549. de 3. medio §. Octavo.*

(b) *L. Si Vero §. de viro ff. ſoluto matrim. Barboſ. tract. var. loc. 76.*

(c) *Cap. de multa de præbend.*

(d) *S. Thom. in 4. diſt. 10. art. 1. ad 5. 6. 7. &c. & diſt. 44. qu. 2. art. 2. qu. 3. ad 4. & quodl. 1. art. 21. ad 1. & quodl. 3. art. 20.*

(e) *Barboſ. tract. var. loc. 68. n. 1.*

ter 57. Canones, ad ecclesiasticam disciplinam pertinentes, hæc, quæ sequuntur, decrevit: *Res ipsa loquitur, plura beneficia, potissimùm quibus animarum cura submissa est, non sine gravi Ecclesiarum damno, ab uno obtineri: cum unus in pluribus Ecclesiis ritè officia persolvere, aut rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur &c. singulos ejusmodi curatorum beneficiorum detentores monemus, & districtè eis præcipiendo injungimus, ut intrà trimestre tempus post hujus synodi Provincialis exitum, nobis, aut Comprovincialibus nostris, locorum Ordinariis, dispensationes, quarum prætextu ejusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia, quasi eo ipso illicitè obtineri convincantur, post trimestre tempus elapsum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debeant. Quod si dispensatio alicujus legitima, & sufficiens videbitur, is beneficia sine molestiâ retinebit &c. Sin dispensationes invalidæ, aut non satis legitimæ visæ fuerint, si is, qui earum prætextu plura beneficia curata obtinuit, uno retento, cætera liberè resignare recusaverit: causa illius ad Sedem Apostolicam referatur, ejusdemque judicium expectetur, quem sui beneficii modum esse velit. Quod si quis in diversis Diœcesibus ejusmodi beneficia curata obtineat, à quolibet Ordinario ad talem exhibitionem compelli debet; & si legitimâ dispensatione munitus non fuerit, ultimo quod accepit beneficio retento, cætera resignet &c.* (a). Ex quibus verbis recurrit argumentum paulò anteà ex Concilio Coloniensi deductum (b), quod hìc parcimus explicare, nè nupèr dicta videamur sine necessitate repetere: faveat Lector illud ibi denuò suis oculis perlustrare, & videbit quantâ efficaciâ Concilium Moguntinum pro sententiâ nostrâ peroret.

(a) Concil. Mogunt. ann. 1549. cap. 64.
(b) Vid. in hoc Capitulo paulò antè n. 25.

29. Sequitur ipsa synodus, & decernit: *Statuimus, ut post hac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenùs hæ ad nostram, aut Comprovincialium nostrorum dispositionem pertinent) jàm præfulgent, aut porrò ornandi erunt, præsentes suis Ecclesiis, utilem, & nomine dignam operam præstent: Non absentes, fructus tantum auferant: neque liceat cuiquam absenti nullam harum dignitatum genere, sed quisque tali titulo insignitus suæ Ecclesiæ non absens, neque conductâ aliorum operâ, sed residendo præsens ipse inserviat* (c). Ad hæc Concilium adjungit: *nè beneficia, per Ecclesias debitis obsequiis fraudentur, omnibus beneficiorum possessoribus, sub amissione beneficiorum injungimus, ut ordines, quos eorum beneficia requirunt, si nondùm habent, proximis temporibus à jure statutis recipient. Ad quod etiam Canonicos Ecclesiarum pro suo quemque ordine teneri volumus, ut obsequium, quod quisque pro officii sui exigentiâ Ecclesiæ debet, cum res postulat, per sè præstare queat* (d). Successivè idem Concilium aliam sanctionem edidit, tenoris ut sequitur: *Pastoribus etiam, & iis, qui Curata beneficia obtinent, injungimus, ut Ecclesiis, in quibus per consensum Diœcesani instituti sunt, nec tamen eisdem per sè præsunt, Vicarios idoneos, & Canonicè institutos præficiant; eisque pro sufficienti victu portionem congruam dè proventibus Ecclesiæ assignent: nec sic à se institutos Vicarios, ab eâdem Vicariâ amoveant, nisi ipsi jàm actu Sacerdotes Ecclesias suas per se ipsos regere velint, aut aliquam rationabilem amotionis causam contrà Vicarium coràm Diœcesano, aut ejus officiali probaverint* (e).

(c) Concil. Mogunt. loc. cit. cap. 71.
(d) Concil. Mogunt. loc. cit. c. 72.
(e) Idem Concil. Mogunt. loc. cit. c. 80.

30. Totam ergò hujusmodi Canonum Moguntinorum colligando substantiam habemus, teneri ad residentiam personalem Pastores, Parochos, Præpositos, Decanos, Scholasticos, Custodes, Cantores, Canonicos, & alios Beneficiarios, quorum præbendæ sacrum aliquem ordinem prærequirunt: de Beneficiariis verò merè simplicibus nè verbum quidem ibi fieri reperimus. Ut quid autem hæc, non secus ac illa, eisdem residentiæ vinculis non innexuit, nisi quia illa, tamquàm curata, & respectivè choralia, sive alio titulo residentialia, tùm ex jure, tùm ex totius Ecclesiæ praxi, servitium exigent personale;

merè

merè simplicia verò à talis servitutis onere sunt immunia. Et sanè argumentum, à sufficienti partium enumeratione desumptum, validum est (*a*), cumque in hàc Synodo enumerentur sufficientèr beneficia quoàd eorum partes, residentiam involventes, nec includantur in eis beneficia merè simplicia; patet quod illorum omissio, seu non nominatio, à quâ paritèr in jure optimum sumitur argumentum (*b*), ostendit, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito exemptos. Paritèr Concilium admittit posse Clericos, etiam non actu Sacerdotes, Curata beneficia adipisci, apud quæ ipsi non resideant, sed per Vicarios deserviant: posse quoque unum Clericum duo beneficia Curata nancisci, etiam in duabus Diœcesibus constituta, hæcque ex dispensatione Apostolicâ, quam vult omninò suam efficaciam habere. Si autem Pontifex potest concedere privilegium dispensationis, ut beneficia Curata, sive aliàs residentialia, residentiam non exposcant; eccur interponere non potest approbationem consuetudinis, quæ generalitèr cuncta beneficia merè simplicia à residentię debito exsolvit, cum consuetudine valeat introduci quidquid potest privilegio concedi (*c*)?

31. Posset hìc interseri Concilium *Emeritense*, antiqua Synodus Provincialis decernens, posse Clericos binum residentiale beneficium insimùl retinere, Canonicatum nimirùm Cathedralis, & Parochiam ruralem, dummodò in hac per Vicarium officia pastoralia complerent (*d*). Sed quia textum hujusce Concilii suprà per extensum retulimus, inutile reputamus hic illum denuò replicare (*e*). Solùm advertimus, quod Concilium rem optimam censuit, & omni præconio dignam, quod justâ concurrente causâ unus, & idem Clericus, duo beneficia residentialia, & incompatibilia posset insimùl retinere, alteri ex eis subtrahendo debitum residentiæ: multò magis ergò hoc justum, & optimum fuit, ac est, admitti in beneficiis merè simplicibus, quæ de sui naturâ, nec residentialia, neque incompatibilia sunt; neque pro talibus à totâ Ecclesiâ reputantur; & in quibus minor ratio concurrit, quam in illis, exposcendi debitum residentiæ: argumentum etenim à majori ad minus validum est (*f*). Quid egerit *Concilium Compostellanum*.

32. Concilium *Bituricense* anno 1584. apud Bituricas convocatum, inter 46. titulos, quos complectitur (*g*), in titulo de Canonicis talia decernit: *Si non sit sufficiens reditus Canoniei, provideat Episcopus, sive per suppressionem præbendarum, ubi magnus erit earum numerus: sive per unionem beneficiorum simplicium, non regularium, ut iis proventus competentèr augeatur* (*h*). Distinguit ergò Concilium inter beneficia merè simplicia, & Canonicatus, vultque illa istis, tenuitate laborantibus, copulari. Supponit igitur beneficia illa merè simplicia esse à residentiæ debito immunia, alioquin ea non mandasset Canonicatibus uniri: quemadmodùm non mandavit uniri Curata, quia sciebat illa esse residentiæ debito adstricta. Idipsum anteà decreverat Concilium Tridentinum, penè totidem verbis, ut tenuitati Canonicatuum provideret (*i*): mandansque illis uniri beneficia simplicia, de merè simplicibus intellexit, non de simplicibus servitoriis, qualia dicuntur ab aliquibus Canonicatus, & Præbendæ Chorales; cum Canonicatus exuberantes jusserit supprimi, non uniri. Voluitque ut beneficia, etiam à viventibus possessa, sine tamen illorum præjudicio, uniri possent (*l*), singulisque præbendis singula possent beneficia copulari (*m*): Nèc quidquam obstare hujusmodi unioni juspatronatus, beneficiis illis merè simplicibus colligatum, quippè adhùc & uniri posse voluit Canonicatibus ipsis, salvo patronorum consensu (*n*).

33. Pergit Concilium Bituricense, & decernit, quod *beneficia curata in simplicia non convertantur* (*o*). Sed jàm illud consimili, atque fusiori determinatione præiverat Concilium Tridentinum, tantundèm interdicens his verbis: *Statuit S. Synodus ut ecclesiastica beneficia sæcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primævâ eorum institutione, aut alitèr quomo-*

(a) *L. ex maleficiis §. hæres l. obligationum ff de Action. c. cũ dilectus de jurepatr. c. per suas de sent. excom. c. quanto de jurejur.*

(b) *Anchar. conf. 280. Tusc. tom. 2. lit. D; Concl. 517. n. 30. 31.*

(c) *Bald. cons. 49. lib. 2. Anchar. cons. 50. Oldrad. cons. 172. & 254. n. 8.*

(d) *Vid. Cabassut. ad Can. 12. Concil. Emeriten. &c.*

(e) *Vid. supra hic cap. 4. n. 10.*

(f) *Sanchez de Matrim. l. 8. disp. 1. n. 21. Farinac. prax. Crim. par. 4. cons. 60. n. 109. Barbos. tra. var. loc. 67. num. 1.*

(g) *Vid. Bail. Sum. Conc. tom. 2. ad Concil. Bituric. f. 661.*

(h) *Conc. Bituric. ann. 1584 titul. de Canonicis.*

(i) *Conc. Trid. ses. 24. cap. 15.*

(l) *Garcia de Benef. p. 11. c. 4. num. 31. Barbosa ad Concil. ses. 24. c. 15. n. 14.*

(m) *Gratian. discept. for c. 174. n. 14. in fin.*

(n) *Moneta de commut. ult. vol. cap. 12. n. 126. Barbos. loc. cit. num. 21.*

(o) *Concil. Bituric. ann. 1584 tit. de Beneficiis.*

documque retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congruâ portione, non convertantur (*a*). Cur autem tàm Concilium Tridentinum, quàm Bituricense, vetuerunt hujusmodi transitum beneficiorum de Curatis in merè simplicia? nisi quia Curata obligant Beneficiarios ad residendum apud eorum Ecclesias, & ad munus parochiale inibi personaliter exercendum; merè simplicia verò proprios possessores ab onere hujusmodi personalis obligationis absolvunt? Cœterùm Concilium Tridentinum, & multò magis Concilium Bituricense salvam reliquerunt Summo Pontifici potestatem, quam arctare non potuerunt, ut liberum illi semper esset justis de causis beneficia etiam Curata in merè simplicia convertendi. In omnibus namque Conciliorum decretis intelligitur semper salva Papæ potestas (*b*).

(a) Conc. Trid. sess. 25. cap. 16.

(b) Cap. Significasti 4. de elect. Conc. Trid. sess. 25. cap. 16.

34. Tandem Concilia *Mediolanensia*, à S. Carolo Borromæo pastorali sollicitudine convocata, Beneficiarios merè simplices immunes esse à residentiæ debito satis apertè declarant, prout patefaciunt decreta, quæ jàm superius, & hisce sacris Synodis allegavimus (*c*), quibus optimùm erit alia hìc adjungere, quæ inibi reperiuntur sub hujusmodi sensibus exarata: *Personalis residentiæ munus, ut rè verâ per eos præstetur, qui illius generis beneficia ecclesiastica obtinent, omnem rationem, Canonum jure, Tridentinisque Sanctionibus præscriptam, Episcopus ineat* (*d*). Vide quàm clarè Concilium Mediolanense V. non exigit residentiæ munus à cunctis Beneficiariis, sed ab illis tantum, qui obtinent beneficia talis generis, quod Beueficiarios ipsos obligat ad residentiam. Supponit ergò Concilium dari alterius generis beneficia, quæ ad residentiam non obligant; hæc autem sunt beneficia merè simplicia. Rursus agendo de Seminario Clericorum, Concilium Mediolanense I. ità determinat: *Decernimus, ut Episcopi ex auctoritate Concilii Tridentini, intrà sex menses ecclesiastica aliquot simplicia beneficia, cujuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas, etiam nondùm vacantes, Seminario applicent, & incorporent, ea videlicet, quę illi Seminario magis opportuna, & idonea videbuntur, sine tamen cultus divini detrimento, & beneficia obtinentium præjudicio* (*e*).

(c) Vid. supr. cap. 8. num. 4.

(d) Conc. Mediol. V. part. 1. tit. de resident.

(e) Concil. Mediolan. I. tit. de Seminario.

35. Recurrit hìc sermo, quem Capitulo præcedenti allegavimus (*f*), nimirùm quod Concilium sanciendo unienda esse Clericorum Seminario, non beneficia Curata, vel Choralia, aut alio modo residentialia, sed simplicia, declaravit hæc esse à residentiæ debito exempta, alioquin ad hæc sola unionis facultatem non coarctasset. Habemus ergò Concilia Generalia, tàm in Oriente, quàm in Occidente convocata: habemus Concilia Nationalia: habemus Provincialia, quæ uno ore, uno eloquio, totiusque Ecclesiæ sensu conclamant, vel claris verbis, vel deductivo sermone, non debere Beneficiarios merè simplices, residentiæ personalis vinculis irretiri, ipsosque esse à personalis servitutis onere immunes. Quid ultrà desiderari potest? Si alia cuncta argumenta deessent, nonnè hoc solum sufficiens esset, ad salvandos Beneficiarios merè simplices ab omni debito residendi, & personalitèr ministrandi in illis Ecclesiis, in quibus eorum erecta sunt beneficia? Conquiescant itàque novi Residentiarii, qui eosdem gestiunt residentiæ loris involvere, calamumque non arbitrio, sed ratione temperantes, veritati tandem cedant, quam cognitam impugnare, peccatum est contrà Spiritum Sanctum, ipsis parvulis cum elementis fidei dictitatum.

(f) Vid. supr. hic cap. 11 n. 16.

C A-

CAPUT XII.

In quo ex variis Rationibus THEOLOGICIS *probatur, Beneficiarios merè simplices esse à Residentiæ, & Servitii personalis debito immunes, prestando in loco, in quo Ecclesiasticum obtinent Beneficium.*

SUMMARIUM.

1 *Volentes propter novitatem opinionum in admiratione esse, decipiuntur. Qualis sit error contendere, Beneficiarios merè simplices teneri debito residentiæ.*

2 *In Ecclesiâ non potest esse error ab illâ approbatus. Christus infallibilitatem obtinuit, quem Patres variis epithetis prosequuntur, ipsam infallibilitatem prædicantibus.*

3 *Tota per obem Ecclesia exemptionem ad praxim redigit Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.*

4 *Cum Concilia generalia approbant exemptionem prædictam; si hæc est de jure Divino, & Naturali; oportet quod tota Ecclesia erraverit, & erret.*

5 *Quià exemptio præfata in sensu Contradictorum incæpit à tempore Gregorii Papæ IX. Ecclesia jàm à quadringentis annis erit in errore.*

6 *Dicere, quod Ecclesia sit fallibilis, & erraverit, est hæresis non semèl damnata. In hanc verò impingit Contradictorum conatus.*

7 *Reperitur in Ecclesiâ potestas dispensandi, & canones temperandi, hæcque sè extendit ad illa, quæ Christus Ecclesiasticæ potestati submisit.*

8 *Dispensatio est juris relaxatio. Papa dispensare potest in omnibus, quæ sunt juris positivi, & dispensando non facit contrà, sed juxtà statuentium intentionem.*

9 *Dispensatio duplex est, tacita, vel expressa. Residentiæ debitum est de jure humano, sicuti de jure humano sunt beneficia.*

10 *In Scripturis nihil habetur, quod præcipiat præfatam residentiam: undè hæc non est de jure Divino, neque est de jure Naturali in Beneficiariis simplicibus.*

11 *Potest Pontifex interdùm etiam in jure Divino, & Naturali dispensare, indirectè declarando jus Divinum, & Naturale in tali casu locum non habere.*

12 *Papa dispensare potest super residentiâ, & pluralitate beneficiorum, tametsi residentialium. Episcopi quod possint circà hæc?*

13 *Dispensare potest Papa super residentiâ beneficiorum etiam residentialium ad vitam Beneficiati: Episcopi verò id facere possunt ad tempus.*

14 *Pontifex, & Ecclesia de facto eximunt Beneficiarios merè simplices à debito residentiæ, dispensando super illâ, tàm tacitè, quàm expressè.*

15 *Tametsi Beneficiarii residentiales teneantur ad residentiam, dantur tamèn aliquæ causæ, ob quas à tali debito eximuntur.*

16 *Di-*

16 *Dispensatio non residendi licitè conceditur ab Ecclesiâ, si justæ causæ concurrant dispensandi, quarum quatuor adnumerantur.*

17 *Si Ecclesia dispensare valet cum Beneficiariis residentialibus super onere residentiæ; multò magis id facere potest cum Beneficiariis merè simplicibus.*

18 *Probabilitas opinionis vel est ab intrinseco, vel ab extrinseco. Utraque astipulatur opinioni immunitatis Beneficiariorum simplicium à debito residentiæ.*

1.  ONTINGERE non raró solet, ut qui sententias, atque doctrinam Patrum, ac Scriptorum eruditione sublimium, qui nos præcesserunt, impugnant, vel ab eâ recedunt, *novas invehendo opiniones; dùm propter novitatem in admiratione esse volunt, despiciantur* (a). Hoc autem, ut cernimus, accidit in Contradictoribus, quos cum non lateat constantes, ac uniformes esse Patres, & Doctores in asseverandâ Immunitate Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ, ac servitii personalis onere, in loco beneficii exhibendo: ipsi tamen adhùc, adversus communem omnium sensum, novam doctrinam, oppositum suggerentem, Ecclesiæ intrudere connituntur. Sed quam inani consilio; tota profectò præsentis Operis series manifestat. Varias hùcusque scientias percurrimus, eandem immunitatem suadentes: nunc Theologiam perscrutemur, atque doctrinam Patrum, & videamus, an istæ quoque cum aliis facultatibus in idipsum consentiant, ut Immunitatem ipsam stabiliant. Et sane, Theologicè loquendo, non potest quis pertinacitèr affirmare Beneficiarios merè simplices ad residentiæ personalis debitum obligari, quin saltem indirectè in hujus, quæ sequitur, suspicionem hæresis prolabatur, nempè quod Ecclesia in errore versetur.

(a) *Conimbricenses, in Proœm l.2. de generat. & corruption.*

2. Etenim citrà controversiam est, quod in Ecclesiâ esse non potest error ab ipsâmet approbatus (b). Nàm inter fidei articulos unus est, infallibilitatem ejusdem Ecclesiæ concernens, talitèr ut hæc infallibilitas nec unquàm defecerit, nec ullo sit unquàm tempore defectura: quippè illam contulit Christus Vicario suo Summo Pontifici tamquàm Ecclesiæ Capiti, supremoque ipsius Rectori, ac Doctori, cui in personâ Petri hæc fuit exhibita pollicitatio: *Rogavi pro tè Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos* (c). Quibus verbis Christus pro eo infallibilitatem omnis erroris exclusivam, ab Æterno Patre rogavit, cui dixit: *& tu aliquandò conversus*: hoc autem dixit Petro Ecclesiæ Capiti. Pro eo quoque rogavit, ne deficeret ejus fides, sed infallibilitas perennitèr permaneret, cui dixit: *confirma fratres tuos*, quod proculdubio dixit Petro Ecclesiæ Capiti, qui fratres habebat, quos confirmaret (d). *In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ità ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur*, inquit optimè D. Leo Magnus (e). Hinc D. Petrum Apostolorum Principem vocarunt meritò *Custodem Fidei Christianæ* D. Petrus Chrysologus (f): *Portum tutissimum communionis Catholicæ* D. Hieronymus (g): S. Joannes Chrysostus *Fundamentum Ecclesiæ* (h): *Magistrum universalem* S. Bonifacius (i): Hincmarus Remensis *Doctorem omnium Ecclesiarum* (l): *Facem divinitus Ecclesiæ lucentem* S. Theodorus Studita (m): & alii Patres, Concilia, Principes, & Doctores, variis epithetis, infallibilitate prædicantibus, Summum Pontificem prosequuntur (n).

(b) *S. Thom Quodl. 9. qu. 7. art. 16. in arg. sed Contr.*

(c) *Lucæ cap. 22. num. 32.*

(d) *Bellarm. tom. 1. de Rom. Pontif. l. 4. c. 3 § quæ.*

(e) *S. Leo serm 3. de Assumpt. sua.*

(f) *S. Petr. Chrysol. serm 107.*

(g) *S. Hieron. ep. 57. ad Damasum.*

(h) *S. Jo. Chrysost. ad eos qui scandaliz. sunt lib. 1. to. 5. f. 928.*

(i) *S. Bonif. Mogunt.*

(l) *Hincmar. Rem. Gallia Vindic. f. 689.*

(m) *S. Theodorus Studit de ador. Imag.*

(n) *Bzovius de Rom. Pont. c. 6 & 24. Bellarm. loc. cit. c. 3.*

3. Itàque infallibilitatis dono Ecclesia cœlitùs est munita, quæ admissionem cujuscumque erroris excludit, ex privilegio, quod principalitèr competit illi Sedi, apud quam *Fides non potest sentire defectum, cui plenitudo potestatis*

super

super universas Orbis Ecclesias singulari prærogativâ donata est (a). Undè unitas Sacerdotalis exorta est, & ad quam perfidia accessum habere non potest (b). Quam tandem *non vincunt superbæ inferorum portæ, & in quâ semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus (c).* Tota autem Ecclesia, usquequaque per universum Orbem diffusa, admittit, & ad praxim redigit, exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ: Etenim & Papa, & Episcopi, & Ordinarii locorum, & omnes generalitèr beneficiorum Collatores: nec non Reges, & Principes, & Laici, cunctique demùm beneficiorum Patroni, atque ad ea Nominatores ipsamet Clericis impertiuntur quotidianè, sine onere residendi. Uidemus, quod Cardinales, Prælati, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Parochi, Sacerdotes, & Clerici, ex quacumque Christianitatis Regione progeniti beneficia merè simplicia & suscipiunt, & retinent, sine ullo onere residentiæ.

4. Accedit, quod Concilium generale, ut ait Alphonsus à Castro, *Ecclesiam universalem repræsentat (d)*: quod innuere videtur etiam Martinus Papa V. in Bullâ, in quâ agit de Concilio Constantiensi, dicens: *Sacrum Concilium, & universalem Ecclesiam (e)*: nempè Concilium generale, cui *Pontifex præsens est, vel Legati ipsius plenam habent instructionem (f)*. Quod sanè Concilium *errare non potest in fide, & moribus, quia Ecclesia, quæ per Concilium generale repræsentatur, non potest errare in fide, aut moribus (g)*. Plura autem Concilia generalia, & præsertim Tridentinum, locis superiùs recensitis, immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ, ac servitii personalis approbant, confovent, & admittunt. Hæc verò quomodò subsistere possunt cum infallibilitate Ecclesiæ, & cum necessitate residentiæ? Certè si exemptio à debito residentiæ, de quâ loquimur, non est justa, sed injusta; si non est licita, sed illicita; si est execrabilis, atque Juribus Divino, & Naturali contraria, prout supponunt Contradictores; si tandèm in eorum sententiâ, debitum residentiæ, à beneficiis merè simplicibus est indivisum: estque articulus disciplinæ immobilis, & invariabilis; necessariò consequitur, quod Ecclesia, servans contrariam praxim, & exemptionem prædictam approbans, fuerit hùcusque fallibilis, & quidem nedùm fallibilis in potentiâ, sed etiam fallibilis in actu, ac quod de facto erraverit, & erret, atque adhuc esset inposterùm erratura, nisi Contradictores errorem tùnc detegendo, illam à fallibilitate retraherent; quod quis dicere sine dementiâ, & quis audire poterit sine risu?

5. Demùm contendentibus ipsis Contradictoribus, quod exemptio præfata incæperit circà tempora Gregorii Papæ IX. prout superiùs indicavimus (*h*); fiet, quod Ecclesia nedùm erraverit in aliquo casu particulari, & perfunctoriè, sed etiam stabilitèr, permanentèr, & incorrectè, jamque à quadringentis annis, & ultrà, permaneant in errore; hæc autem audiendo, nos opportunè iusurgimus cum D.Hieronymo, vocemque attollimus adversus Contradictorum quemlibet, asserentes: *quisquis es assertor novorum dogmatum, quæso ut parcas Romanis auribus: parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod antè nescivimus (i)?* Itàque impugnatâ exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ, salvari non potest infallibilitas Ecclesiæ, per totum Orbem usquequaque diffusæ, immunitatem ipsam, & exemptionem probantis, servantis, admittentis, & ad praxim communitèr perducentis, adeòut ipsamet Ecclesia hæc agendo, de facto & errare potuerit, & erraverit, & in diuturno errore perennitèr perseveret.

6. Dicere autem, quod Ecclesia, quam Christus ità fundavit, ut eam *exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam (l)*, sit fallibilis, & erraverit; est hæresis, quam impudentèr effutiit *Joannes de Vuestfalia, tempore Friderici hujus nominis tertii, qui propter hunc errorem, & alios Moguntiæ damnatus fuit, & ejus libri combusti (m)*. Est & hæresis damnata indi-

vidua-

(a) *Bernard. ep. 131 & 190.*
(b) *S. Cyprian. lib. 1. ep. 2 & ep. 55.*
(c) *S. August. epist. 157 & 162. Et in Ps. cont. part. Donat.*
(d) *Alphons. à Castr. adv. Hæres. lib. 4. verb. Concilium in medio.*
(e) *Martin. V. in Bulla, in fin. Concil. Constantiens.*
(f) *Barbos. in cap. Concilia 6 n. 4. in fin. distinct. 17.*
(g) *Alphons. à Castro loc. cit.*
(h) *Vid. supra c. 7. num. 18.*
(i) *S. Hieron. ep. 65. ad Pammach. & Ocean. cap 3.*
(l) *Ephesiorum c. 5. num. 27.*
(m) *Alphons. à Castro advers. Hæres. l. 6. verb. Ecclesia 2. error.*

vidualitèr à Pio Papâ IV. in Odetto de Colignì, Cardinali de Castilion, qui asserebat, *Ecclesiam usque ad tempora Hugonottorum errasse*: propter quam propositionem, cum aliis temerariè prolatis, & pertinacitèr defensatis, fuit Romanâ purpurâ, beneficiis, & Clericali honore privatus, ac tamquàm hæreticus, blasphemus, apostata, deviusque à fide, solemnitèr excommunicatione perculsus (*a*). Si ergò nullus potest pro residentiâ Beneficiariorum merè simplicium, tamquàm pro rè necessariò faciendâ, obstinatè contendere, absque eo quod Ecclesiæ Dei fallibilitatis notam inurat; Ecclesiam autèm de fallibilitate infamare, est hæreticæ pravitatis reatum incurrere; sequitur, quod Contradictores, nisi velint in hæresim impingere, debeant omninò, justitiâ deposcente, fateri, quod Beneficiarii merè simplices sunt à personalis servitii, & residentiæ debito immunes.

(a) *Pius. IV. const. 66 §. 3 & 4.*

7. Rursùs Theologicè, præfata immunitas Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ, probatur hac formâ. Inest Ecclesiæ potestas dispensandi in omni jure humano (*b*): Et primariò hæc potestas competit Papæ Rectori Ecclesiæ, ipsiusque supremo Capiti (*c*): de quo Gelasius Papa I. ait: *necessariâ rerum dispositione constringimur; & Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum decreta librare, & retrò Præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum, restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibitâ consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus* (*d*). Hæc sanè potestas dispensativa, quâ Canones temperentur, & relaxentur, juxtà rerum, personarum, & temporum opportunitates, in Ecclesiâ necessariâ est, de quâ Ivo Carnotensis: *dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit, ad sedandas perturbationes in aliquibus admittendus est* (*e*). Inest autèm ipsa potestas primariò Papæ, cui cum Summo Pontificatu cœlitus est concessa. Non quod Papæ liceat in omnibus dispensare juxtà sensum eorum, *qui Romanæ Ecclesiæ omnia licere putant, & quasi quadam dispensatione alitèr quam Divina Scriptura præcipit, eam facere posse. Nam quicumque sic sapit, desipit* (*f*); Sed quod justis causis exigentibus, adhibitâ maturitate, consilio, ac prudentiâ, potest Summus Pontifex *jura nova condere, vetera abrogare*, eadem temperare, vel relaxare, aut super illis dispensare: illa tandèm facere, *quæ de jure divino Ecclesiasticæ concessa sunt potestati* (*g*).

(b) *S. Thom. 1. 2. qu. 97. art. 4. Valent. to 2. disp. 7. quæst. 5 punt. 9. § quarto.*
(c) *August. Triumph. de potest. Eccl. qu 60. art. 4.*
(d) *Gelas. Papa I. epist. 1.*
(e) *Ivo Carnotens. epist. 214.*
(f) *Goffrid. Vindocin opusc. 2.*
(g) *Ja: Sarisberiens. epist. 191. 223 & 230.*

8. Residet, inquam, potestas dispensativa primariò in Papâ, ut innuimus, quia cum dispensatio sit juris relaxatio (*h*), pertinet ut plurimum ad plenitudinem potestatis: plenitudinem autem potestatis in regimine Ecclesiastico, Christus Petro contulit per Clavium traditionem (*i*), per potestatem pascendi agnos (*l*), per facultatem solvendi, atque ligandi, ei attributam (*m*). Et ità D. Gregorius sè dispensasse profitetur cum Anglis circà matrimonia in gradibus prohibitis contrahenda (*n*): Itèm Siculis dispensativè indulsisse, ut semèl tantùm in anno Synodum celebrarent (*o*), quæ fuit dispensatio contrà Canonem Concilii universalis Niceni alitèr decernentis (*p*). Et sicuti generalitèr verum est, quod Papa dispensare potest in omnibus illis rebus, quæ sunt juris positivi (*q*); Ità verùm est, quod potest dispensare in cunctis Ecclesiæ legibus, etiam à Concilio Generali statutis (*r*). Illa enim, *quæ Sancti Patres determinaverunt esse de jure positivo, sunt relicta sub dispositione Papæ, ut possit ea mutare, vel dispensare, secundum opportunitates temporum, vel negotiorum. Nec tamen Papa quando aliquid facit alitèr quam à S. Patribus statutum sit, contrà eorum statuta facit, quia servatur intentio statuentium, etiam si non servantur verba statutorum, quæ non possunt in omnibus casibus, & omnibus temporibus observari* (*s*). Præterquamquod, ut alibi pluries notavimus, in decretis Conciliorum, etiam generalium, semper excepta intelligitur Summi Pontificis auctoritas, & potestas.

(h) *S. Thom. in 4. dist. 44 qu. 1. art. 3. qu. 4. ad 3. Barbos. repert. pract. concl. V. dispensatio.*
(i) *Mathæi c. 16. n. 19*
(l) *Joannis c. 21. v. 15*
(m) *Matthæi c. 16. loc. cit.*
(n) *S. Gregor. l. 12. epist. 31.*
(o) *S. Gregor. lib. 6. epist. 19.*
(p) *Concil. Nicæn. I. cap. 5.*
(q) *S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 2. & Quodl. 4 ar. 13. in corp. & Quodl. 12. ar. 27. ad primum, & secundum Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1 c. 2. n. 95. 96.*
(r) *Gloss. V. Concilii in c. ubi periculum de elect. in 6. Barbos. loc. cit. a. 129. Turrecr. in c. sicut sancti d. 12. 19. August. Triumph. de potest. Eccl. qu 60. art 8. per totum. Fagnan. in c. significasti de elect.*
(s) *S. Thomas de impugn. Religion. cap. 4.*

9. Videmus autem quod ubilibet, quocumque latè sè diffundit Ecclesia, immu-

immunes sunt Beneficiarii merè simplices ab onere residentiæ. Quod si fit absque dispensatione; jam clarè infertur, nullam esse legem eos ad residentiam obligantem. Si verò contingit ex dispensatione; sive dispensatio hæc fiat ab Ecclesiâ sine Papâ, sive à Papâ sine Ecclesiâ, vel ab alterutro, vel ab utroque junctim, vel divisim; hoc unum est, quod dispensatio hæc fieri potest, & fit (*a*), ac per totum orbem universalitèr sic servatur, praxi hac pro dispensatione serviente: nam uti notum est apud Theologos, dispensatio duobus modis fit, vel expressâ relaxatione legis, vel tacitâ tolerantiâ inobservantiæ ipsius (*b*), seù per consuetudinem in contrarium vigentem (*c*). Et sive uno, sive altero modo fiat, semper dispensatio est, & pro dispensatione censetur. Notum est etiam, quod obligatio residentiæ, ac personalis servitii, quâ Contradictores gestiunt Beneficiarios merè simplices onerare, est sine dubio de jure humano, sive positivo (*d*): Nàm cum beneficia ipsa sint de jure humano, & solo positivo jure introducta (*e*), profectò etiam eorum residentia non poterit nisi ex humano jure esse debita.

10. Prætereà cum neque in veteri, neque in novo Testamento, quidquam de hujusmodi residentiâ legatur, illa certè de divino jure esse non potest: argumento, quo utitur D. Thomas ad probandum non esse vetitum jure divino plures habere præbendas, quippè de hâc rè *in sacrâ Scripturâ expressa mentio non fit* (*f*). Quinimò si onus residentiæ, & ministerii personalis in animarum Rectoribus, Parochis, & Episcopis, non est de jure divino, uti latè probant Ambrosius Catharinus, Campeggius, Salmeron, Gerunda, & alii apud Dianam (*g*); multò minùs potest esse de jure divino in Beneficiariis merè simplicibus. Neque prædictum onus residentiæ, & personalis servitii in memoratis Beneficiariis merè simplicibus, esse potest de jure naturali; tum quia potius naturale jus pro libertate uniuscujusque perorat: tum etiam, quià natura inclinat ad exemptionem ab hoc onere, nec illius contrarium unquàm induxit (*h*). Et licet fortè reductivè, aut radicalitèr, sive aliquâ verborum circumlocutione, præfatum onus ad jus naturale, vel divinum pertrahi possit; rè verâ tamen, rigorosè, ac Theologicè, non verificatur hanc rem ità sè habere: adeòque totus vigor hujusmodi obligationis soli humano juri dignoscitur inhærere, nec obligatio ipsa vires positivi juris excedit.

11. Ultrà quod Pontifex, licet non possit directè (*i*), potest tamen interpretativè, & indirectè in jure divino, & naturali dispensare, declarando quod in tali casu jus divinum, vel naturale locum non habent (*l*). Etenim etiam Apostolus ad Corinthios scribens, ait: *nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi* (*m*), quippè, ut inquit D. Thomas, *omnis dispensatio debet fieri ad honorem Christi, in cujus persona dispensatio fit* (*n*). Si namque deficeret hæc potestas in Ecclesiâ, videretur Christum non reliquisse in terris sufficientem potestatem ad suæ Ecclesiæ gubernationem, quod impium est affirmare (*o*). Hocque posito sequitur, quod vel exercitium talis potestatis possit dici dispensatio, ut aliqui contendunt: vel dici debeat interpretatio, declarans in tali casu obligationem legis cessare, ut alii sustinent: in quocumque autem sensu res accipiatur, nihil, vel parum, cum sit lis de nomine, non de substantiâ rei, nam hoc unum est, quod Ecclesia in utroque jure dispensativè sè potest ingerere (*p*). Et tùnc *dispensatio sic juris vincula laxat in aliquo, quod in aliis non dissolvit: & sic beneficium gratiæ specialis inducit, quod vigorem constitutionis non perimit generalis* (*q*).

12. Itàque Ecclesia, ejusque Caput Summus Pontifex potest dispensare super residentiâ beneficiorum, & super pluralitate ipsorum, tametsi residentialium, uti docet D. Thomas (*r*). Adde quod Concilium Salmuriense hanc potestatem dispensandi super residentiâ, videtur conferre etiam Episcopis in eo Canone, in quo interdicit, nè Monachus in duobus monasteriis intituletur, nisi

(a) *Idem S. Thomas Quodl. 1. q. 7. art. 13. in corp.*

(b) *Summa Diana V. Dispensation 31. f. 287*

(c) *S. Antonin. 3. par. lib. 15. c. 1. §. 9. fo. 262.*

(d) *Fagnan. in c. extirpandæ §. quod vero n. 28 de præbend. Barbos ad Conc. Trid. sess. 6 cap. 2. n. 6.*

(e) *Azor. p. 2. l. 9. c. 1 q. 1. Loter de rè benef. l. 1. q 4. Barbos jur. Eccles. univ. l. 3. c. 4. n. 7.*

(f) *S. Thom. Quodl. 9 art. 15. in corpore.*

(g) *Diana p. 10. tr. 14 resol. 66.*

(h) *S. Thom. 1. 2. qu. 94. art. 5. ad tertium.*

(i) *S. Thom Quodl. 4 art. 13. in corp.*

(l) *Vid. S. Thom. 1. 2. q. 94. ar. 5 Valent. to. 2. disp. 7. quæst. 4. pun. 5. §. quod. & q. 8. pun. 4.*

(m) *2. Corinth. cap. 2. num 10.*

(n) *S. Thom. 2. 2. q. 88 art. 12. in corp.*

(o) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n. 122.*

(p) *S. Thom 2. 2. q. 54. art. 5. S. Antonin. p. 2. tit. 17. §. 20. Sylv. V. Pp. qu 16. in fin. Mart. de Jurisd. p 2. c. 37. n. 1. & p. 4. c. 93 n. 3. & c. 194. num. 7.*

(q) *Innoc. III. regest. 16 epist. 154.*

(r) *S. Thom. Quodl. 1. art. 13. & Quodlib 9. art. 15.*

Episcopo permittente (*a*). Ex lege namque contrariorum, quotiès id permittat Episcopus, intitulari valeat utroque in loco: quod idem est ac duo beneficia regularia retinere, à quorum alterutro Monachus, ut suprà intitulatus, necessariò debet abesse (*b*). Concilium quoque Tolosanum, editum anno 1590. eandem facultatem Episcopis impertitur, prohibens, nè licentias non residendi concedant, *nisi id personæ meritum in utilitatem Ecclesiæ cessurum, exigere comprobetur* (*c*). Sed & nedùm Episcopi (*d*), verùm etiam cuncti alii Prælati, territorium, & jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, hâc facultate præditi sunt, ex declaratione S. Congregationis Concilii apud Fagnanum (*e*): intelligendo de dispensatione temporaneâ ex causis, & in casibus à jure permissis.

(a) *Conc. Salmuriens. an.1276.c.7.*

(b) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. par.1.lib.3. c.67.n.19. in fin.*

(c) *Concil. Colon. ann.1593. c.11. Thomassin. loc cit. p.2.l.3. c.34.n.15.*

(d) *Cap. licet canon. in fine de elect. in 6.*

(e) *Fagnan. in cap. relatum 4. de Cleric. non resid.n.6.& 7.l.3.*

13. Ecclesia inquam, ejusque Caput Summus Pontifex potest dispensare super residentiâ Beneficiorum in perpetuum, sive ad vitam eorum, qui eadem beneficia possident, tametsi alioquin residentialia. Ordinarii verò locorum id facere valent ad tempus, ut innuimus, & in casibus à jure permissis. Quæ facultas dispensativa multum confert ad commodum Ecclesiarum particularium: imò & Ecclesiæ universalis regimen, prout cuilibet regiminis ecclesiastici benè perito satis innotescere non ambigimus. Possunt quoque respectivè dispensare super pluralitate beneficiorum: & hæc quoque facultas multum confert ad commodum Ecclesiæ regimen, propter multas rationes, ob quas non rarò dignoscitur expedire, quod in uno, & eodem Clerico plura insimùl cumulentur ecclesiastica beneficia. Et tamen licentia non residendi, & beneficiorum pluralitas, in uno, & eodem Clerico adunata, directè sè opponunt debito residentiæ. Quinimò Contradictores asseverant, in tantum beneficiorum pluralitatem in uno, & eodem Clerico à sacris Canonibus prohiberi, quia Clericus non potest in utroque beneficio residere: quæ ratio tamen vera est prò ablegandâ pluralitate beneficiorum incompatibilium, juxtà sensum Concilii III. Lateranensis (*f*), non verò respectu beneficiorum merè simplicium.

(f) *Concil. Lateran. III. can. 14.*

14. Igitur ad summum Beneficiarii merè simplices tenerentur ad residentiam, & personale ministerium Ecclesiis suorum beneficiorum exhibendum, si Pontifex, & Ecclesia illos per dispensationem ab hujusmodi onere non absolveret. Sed de facto Pontifex, & Ecclesia ipsos ab eodem onere absolvunt, tùm expressè in Concilio Tridentino, & in pluribus Canonibus Juris communis, atque aliorum Conciliorum, necnon in Constitutionibus Apostolicis, obligando ad residentiam solos Beneficiarios Curatos, & Chorales, sive alio modo residentiales, & per consequens Beneficiarios merè simplices eximendo, quippè exceptio ex notissimis firmat regulam in contrarium. Tùm tacitè admittendo, ratam habendo, frequentando, & approbando consuetudinem generalem eximentem Beneficiarios merè simplices à debito residentiæ: quæ est tacita dispensatio (*g*); Ergò vel oportet negare Summo Pontifici, & Ecclesiæ potestatem dispensandi super residentiâ beneficiorum, & eorundem pluralitate, vel necessario fatendum est Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ vinculis absolutos. Primum sine magnâ temeritate asseri non potest, quam ipsa continua Ecclesiæ praxis convincit; ergò est operæ pretium affirmare secundum.

(g) *S. Antonin Sum. p.3.l.15 c.1. § 9.*

15. Paritèr certò certius est, quod licèt Episcopis, Curatis, aliisque Beneficiariis residentialibus, adsit onus personalitèr residendi; tamen dantur aliquæ causæ, quæ illos ab adimplemento hujusmodi obligationis absolvunt (*h*), inter quas enumerantur inimicitia, lis, studium Theologiæ, utilitas Ecclesiæ (*i*). Ac si quæ aliæ causæ sunt licitæ, atquæ honestæ, de quibus Alexander PP. Archiepiscopo Eboracensi scripsit: *poterunt amoveri, nisi fortè licentia Prælatorum suorum, vel studio literarum, vel pro aliis honestis causis, contigerit eos abesse* (*l*). Ergò licitum est Papæ, & Ecclesiæ dispensare Episcopum, Parochum, Canonicos, Dignitates, & alios Beneficiarios residentiales ab onere personalis servitii, & residentiæ, vel perpetuò, vel ad tempus, prout etiam statuit Concilium

(h) *S.Thom. 2. 2. qu.85 art.5.& ibi Cajetan.*

(i) *Barbosa ad Concil sess.23.c.1.per tot.*

(l) *Cap. 4. & 5. de Cler. non resident.*

cilium Tridentinum his verbis: *nulli privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentiâ percipiendis, suffragentur. Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis tantum concessis &c. in suo robore permansuris* (*a*).

16. Ex quibus patet, quod privilegium non residendi Beneficiariis, de naturâ suâ residentialibus, potest ab Ecclesiâ concedi. Et licèt, justâ deficiente causâ, talia privilegia, sive dispensationes concedi non debeant, & fortè etiam sine aliquâ culpâ, majori, vel minori, prò ratione excessus, & injustè interpositæ dispensationis, non valeant indulgeri; tamen si justa causa interveniat, benè, providè, utilitèr super ipsius residentiæ debito per superiorem ecclesiasticum dispensatur: & ut ait Ivo Carnotensis, nunquàm *dispensatio ulli sapienti displicuit* (*b*): Nullus demùm Theologorum, nullus Canonistarum unquàm negavit id fieri posse; sed potiùs cuncti Doctores, unâ voce fatentur, similia indulta concedi posse: hocque expressè Concilium Tridentinum disponit habere locum, quoties una ex hisce quatuor causis concurrat, nempè *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas* (*c*). Quas causas fusiùs explicant, & prosequuntur Doctores (*d*).

17. Si Ecclesia igitur, & si Pontifex à residentiæ, & personalis ministerii onere dispensare valent Beneficiarios etiam Curatos, Chorales, & ex naturâ suâ residentiales; multò magis dispensare possunt à consimili onere Beneficiarios merè simplices, residentiæ obligatione carentes, seu tales qui hùcusque censiti sunt obligatione illâ carere. Sed de facto Pontifex, & Ecclesia Beneficiarios merè simplices à præfatâ residentiæ obligatione dispensant, vel tacitè, vel expresìè, proùt paulò superiùs patefecimus, & quotidiana praxis evincit; ergò vel neganda est Ecclesiæ facultas dispensandi super debito residentiæ, Beneficiariis injunctæ, vel fatendum est Beneficiarios merè simplices esse è residentiæ debito exemptos: Papæ, & Ecclesiæ facultatem ipsam negare, sine integritatis fidei dispendio, vel sine delirii manifesto indicio, nemo potest, ac sine memoratâ gravissimâ contumeliâ Ecclesiæ illatâ, quod eadem usque modo versata fuerit in errore, ac quod adhùc in dies jugitèr in errore permaneat; ergò restat ut Beneficiarii merè simplices ritè, ac rectè potiantur immunitate à sæpefato onere residentiæ personalis in loco, ubi simplex obtinent beneficium.

18. Demùm Theologicè sic probatur exemptio prænarrata. Duplex probabilitas in qualibet opinione, de cujus veritate tractatur, solet, ac debet etiam considerari, nempè probabilitas intrinseca, & probabilitas ab extrinseco. Probabilitas intrinseca est illa, quæ intima est opinioni, uti proveniens à rationibus topicis, intrinsecis, & radicalibus, quibus nititur ipsa opinio. Probabilitas verò extrinseca est illa, quæ forinsecus accedit opinioni ab auctoritate Doctorum ipsi faventium (*e*), quorum si numerus sit notabilis cum famâ ingentis doctrinæ, fit ut opinio ab illis defensa, post congruam rei discussionem, non solum sit tuta, sed etiam sit communis, & aliquandò etiam communior (*f*); nam sine dubio adhæsio plurium Doctorum alicui opinioni, qui perpensis perpendendis, eidem adhærendum esse determinant; magnam illi probabilitatem ab extrinseco affert. Sed sive probabilitas opinioni accedat ab intrinseco, sive ab extrinseco, actus juxtà ipsam opinionem regulatus est licitus, atque justus. Multò magis autem actus est justificatus, ubi utraque probabilitas opinionem constipant. Ast opinio, tenens, quod Beneficiarii merè simplices sint à residentiæ debito immunes, gaudet probabilitate, tàm intrinsecâ propter multas rationes hùcusque allatas, & successivè afferendas; quàm extrinsecâ propter infinitos propemodum Auctores illam docentes: Ergò Theologicè loquendo, Beneficiarii merè simplices sunt ab onere personalis servitii, & præsentialis residentiæ debito immunes.

(a) *Conc. Trid. ses. 6. de reform. cap. 2.*

(b) *Ivo Carnotens. epist. 214.*

(c) *Concil. Trid. ses. 21 de ref. c. 2.*

(d) *Barbos. ad Concil loc. cit.*

(e) *Filliuc. tom. 2. tr. 21. c. 4. n. 134. Sanchez Sum. tom. 1. lib. 1. cap 9. n. 7. Diana p. 4. tr. 4. resol. 30. Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 4. dub. 1. n. 4.*

(f) *Bonac. tom. 2. de Pecc. disp. 2. qu. 4. pu 9 n. 12. Filliuc. tr. 21. c. 4. qu. 5. n. 142.*

CAPUT XIII.

In quo ex Sanctis Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis *proferuntur Rationes, probantes exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere servitii personalis, & residentię.*

SUMMARIUM.

1 *S. Augustinus provocavit quosdam ad Sanctorum Patrum testimonia. Idipsum hic fit. Apud* S. Gregorium *sunt quædam faventia causæ nostrę.*

2 *Jubet D.* Gregorius *Visitatori Capuanæ Ecclesiæ, ut stipendia præberet Clericis Capuanis Neapoli commorantibus, velut Beneficiariis simplicibus.*

3 *Ex* D. Isidoro *Hispalensi, & ex* Hincmaro *Remensi ostenditur, quod illorum ætate erant beneficia simplicia, à residentiæ debito exempta.*

4 D. Bernardus *improbat, quod beneficia parvulis infantibus conferantur. Plura eorum ab uno, & eodem obtineri posse fatetur per dispensationem.*

5 *Doctrinam S. Bernardi* S. Bonaventura *suæ Pharetræ inservit, ubi de Beneficiariis sermonem habet: utrinsque autem sermo favet intentui nostro.*

6 B. Petrus Cluniacensis *exprobrantibus illi, quod suus Ordo beneficia possideret, respondit id licitè fieri Catholicæ Ecclesiæ auctoritate.*

7 *Si Petrus de parochialibus loquebatur, argumentum à majori ad minus afficit pro exemptione Beneficiariorum simplicium ab onere residensiæ.*

8 S. Anselmus *Cantuariensis sua officia interposuit, ut Beneficiarius absens reditus præbendæ suæ adipisceretur, quamvis non resideret.*

9 *Ecclesia sicut valet ad tempus, residentiæ onus beneficiis, aliàs residentialibus detrahere, ità eam auferre potest in perpetuum.*

10 D. Thomas *de Aquino sermonem habet de beneficiis residentialibus, & de aliis, quorum onera possunt adimpleri per substitutum.*

11 *Supponit D. Thomas posse aliquem tenere duo beneficia residentialia, & dari beneficia, quorum onera possunt per alium adimpleri, nempè simplicia.*

12 *Idem D. Thomas ad quæstionem an liceat plures habere præbendas sine curâ, respondet affirmativè, quia has habere non est intrinsecè malum.*

13 *Aliqui censent esse rem indifferentem tenere plures præbendas, sed quia hoc aliquas inordinationes continet, non subsistere videtur.*

14 *Tenere plures præbendas est actio, quæ licèt aliquas inordinationes contineat, tamen justis accedentibus causis licita est.*

15 *Habere plures præbendas est prohibitum per antiqua jura, quæ tamen contrariâ consuetudine sunt abrogata; ultrà quod juribus derogari potest per dispensationem.*

16 *Juxta D. Thomam sunt beneficia merè simplicia, non exigentia residentiam. Residentialia quoque plura haberi possunt ex dispensatione.*

17 *Canones, quos sibi obiicit D. Thomas, admittunt beneficia merè simplicia. Positâ pluralitate residentialium, cessat in alterutro onus residentiæ.*

18 S. Raymundus *de Pennafort docet per Sedem Apostolicam dispensari cum sublimibus personis super pluralitate Beneficiorum residentialium.*

19 *Joannes de Triburgo ejus glossator D. Raymundi exponit posse sublimibus personis plura etiam curata beneficia conferri, & personatus.*

20 *Si*

20 *Si interponitur dispensatio super pluribus beneficiis residentialibus, multò magis locum habet in merè simplicibus.*

21 B. Dionysius Carthusianus *admittit sex casus, in quibus unus potest plura beneficia retinere: quâ stante pluralitate cessat onus residentiæ.*

22 Joannes Gersonius *admittit ut licitam in pluribus casibus pluralitatem Beneficiorum. Indè dicit esse beneficia, quorum oneribus potest per alium satisfieri.*

23 D. Antoninus *ait ad residentiam cogi posse solos Beneficiarios habentes præbendas exigentes residentiam, non verò carentes tali onere.*

24 *Beneficiarius merè simplex servit altari, quoties benè vivat, & benè expendat reditus sui beneficii.*

25 B. Augustinus Triumphus *quis fuerit? Cum exemptio præfata antiquis temporibus non fuerit in dubium revocata, plures Patres de illâ non egerunt.*

26 *In beneficiis est de jure divino, & naturali, ut possessor eorum administret aliquod officium. Est verò de jure positivo singularitas, vel pluralitas eorum.*

27 *Potest Beneficiarius administrare officium vel per sè, vel per alium. Papa potest dispensare in iis, quæ ex jure naturali eliciuntur.*

28 *Non tenetur Beneficiarius per sè deservire, si traditio Ecclesiæ habeat, quod serviat per substitutum, ut accidit in beneficiis merè simplicibus.*

29 *Si beneficiis residentialibus interdùm detrahitur onus residentiæ; multò magis illo nudata sunt beneficia merè simplicia.*

1. POSTQUAM aliis argumentis retuderat D. Augustinus novas quasdam propositiones, à quibusdam viris suorum temporum irregularitèr pronunciatas; eos ad Sanctorum Patrum testimonia provocavit, dicens: *Commenta vestra eloquiis sunt redarguenda Sanctorum, quos oportet, ut populi Christiani vestris profanis novitatibus anteponant, ejusque potiùs eligant adhærere, quam vobis* (a). Totidem verbis conveniri à nobis possunt Contradictores, qui onus residentiæ Beneficiariis merè simplicibus ingerere connituntur, eos nempè ad Sanctorum Patrum testimonia provocando, ut discant ab istis, inanem esse ipsorum conatum, incongruam disceptationem, insubsistens propositum, dùm Sancti Patres suis Scriptis, & auctoritatibus, eorundem novitati resistunt. Vidimus suprà *D. Gregorium* habere sermonem de Joanne Syracusano Episcopo; qui simùl erat Archidiaconus Catanensis (b). Apud Archidiaconatum autem hìc non residebat, quippè vel dispensationem non residendi obtinuerat, vel præbendam illam assecutus fuerat in Commendam: Alterutro verò modo res accidisset, certè onus personalis residentiæ fuerat Archidiacono illi, vel Archidiaconatui ademptum. At si onus hujusmodi detrahi potest beneficiis residentialibus, vertendo ipsa, sive per viam dispensationis, sive per viam commendæ, vel in perpetum, vel ad tempus; vertendo inquam ipsa quodammodò in beneficia merè simplicia; eccur quæso ipsum onus abscindi non poterit à beneficiis, de sui naturâ merè simplicibus?

(a) *Ignatius Gaulam disc. var. Concil. lib. 1, c. 11. disc. 7. n. 6.*

(b) *Vid. supr. tom. 1. sæcul. 7. c. 14. n. 15.*

2. Rursus idem S. Gregorius alibi verba facit de Clericis Capuanis Neapoli permanentibus, jubetque Visitatori Ecclesiæ Capuanæ tùnc vacantis, ut eisdem stipendia solita de rebus ecclesiasticis elargiatur (c). Quæ sanè stipendia, vel erant beneficia, vel id, cui beneficia succedunt. Si autem Clericis præfatis beneficia, seu stipendia ipsa debebantur, quantumvis non Capuæ, sed Neapoli morarentur; jàm patet, quod ibi agebatur de beneficiis merè simplicibus, nullo servitii personalis onere adstrictis, exibendi Ecclesiæ Capuanæ; sed aliud solummodò ministerium, orandi vel quid simile agendi habentibus, quod posset

(c) *S. Gregor. lib. 4. epist. 26,*

ubili-

ubilibet exerceri. Et sic quantùm rei ratio patitur, & investigandæ ex antiquis sanctis Patribus veritatis, jàm usque à tempore D. Gregorii habemus beneficia merè simplicia, sive talia, quæ muneri servitii personalis, & residentiæ, possessores ipsorum non coarctabant: improvidèque valdè sè gerunt Contradictores audentes impugnare id, quod usque à tempore D. Gregorii in eorum ipsò Regno, Provinciâ, & Civitate erat in usu.

3. Paritèr *D. Isidorus* Hispalensis in epistolâ ad Laudefredum, recenset *Ecclesias Urbis, non habentes Presbyterum (a)*. Cum verò inhibitum esset Ecclesias excitare, non assignatâ illis dote, censemus, Ecclesias ipsas fuisse suis reditibus instructos, quos aliqui Presbyteri non ibi residentes perciperent, tamquàm beneficia merè simplicia. Insupèr alibi de officiis ecclesiasticis idem Auctor sic effatur: *Duo sunt genera Clericorum, unum ecclesiasticorum sub regimine Episcoporum degentium. Alterum acephalorum, idest sine capite, quem sequantur ignorantium. Nos neque inter laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio detentat divina; sed solutos, atque oberrantes, sola vaga vita complectitur &c. (b)*. Improbat quidem D. Isidorus errabundam vitam Clericorum, sine directore vagantium, sed tamen ostendit, quod etiam suâ ætate aliqui Clerici erant Ecclesiis non affixi, nec in eis erat reprehensibile hùc illuc pergere, vel morari, si sub obedientiâ sui Præsulis circuirent; qui Clerici cum de bonis ecclesiasticis viverent, & in sententiâ Contradictorum idem esset antiquis temporibus ordines, & beneficium ecclesiasticum adipisci; jàm patet, quod ipsimet Clerici ex proventibus Ecclesiarum vivebant, apud quas nullatenùs residebant. Ex doctrinâ quoque *Hincmari Remensis* constat, quod suâ ætate dabantur Beneficiarii merè simplices, à residentiæ debito immunes: ait enim: *quidam Presbyteri præter Ecclesiam, in quâ titulati sunt, etiam Capellas habent (c)*. Loquitur de Parochis habentibus Ecclesias parochiales in titulum, & alias insimùl minores Ecclesias, seu Capellas, quod idem est ac beneficia merè simplicia, apud quæ proculdubiò non residebant, sed apud suas parochias.

4. Prætereà *S. Bernardus* Abbas Claravallensis, Doctor mellifluus, vir doctrinâ, & sanctitate nulli secundus, improbans pravum illum abusum suo tempore alicubi grassantem, quo ephebis adhùc, & imò *parvulis, ac forsan nondùm natis ecclesiastica jàm beneficia, provida parentum sollicitudo parabat (d)*: abusum usque adeò tùnc effusum, ut non diu anteà nisi fuerint imberbes homines rectoriis Ecclesiarum præfici, & Hugo quinquennis, filius Heriberti Comitis Aquitaniæ, sacris tæniis Remensis Archiepiscopatus errari, Seulpho antecessore per venenum sublato (e); improbans inquam D. Bernardus abusum ipsum, in responsione ad Comitem Theobaldum, optantem quod Vvillelmulus filius suus quasdam posset præbendas ecclesiasticas adipisci; satagit illum ab hoc proposito dehortari. Scribit ergò ad ipsum: *Honores, & dignitates ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè, ac secundum Deum administrare & velint, & possint. Porrò eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis justum, nec mihi tutum esse noveritis. Nàm nec cuiquam vel adulto, plures in pluribus Ecclesiis habere licet, nisi dispensatoriè quidem ob magnam, vel Ecclesię necessitatem, vel personarum utilitatem (f)*. Docet ergò D. Bernardus, quod legitimâ interveniente dispensatione, potest Clericus in diversis Ecclesiis, plures præbendas acquirere: hocque posito, stat immunitas alterutrius præbendæ ab onere personalis servitii, & residentiæ; quippè non potest unus, & idem Clericus eodem tempore in dissitis Ecclesiis ministrare.

5. Tanteque auctoritatis est hujusmodi elocutio Melliflui Doctoris, ut eam *S. Bonaventura* Doctor Seraphicus, aureo suo inseruerit Opusculo, cui nomen dedit *Pharetra*, ad omnes omnium conditionum homines erudiendos directo in loco, ubi agit ex proposito de Beneficiatis (g). Quò Lectorem remittimus, ut rem in suo fonte perspiciat. Sancti autem Bernardus, & Bonaventura, vel de

(a) S. Isidor. epist. ad Laudefredum f. 593.

(b) S. Isidor. de Eccles. Offic. lib. 2. c. 3. fol. 596.

(c) Hincmar. Remens. c. 5. Sirmond. to. 3 Concil. Gall. f. 636.

(d) S. Bernard. in Declam. f. 999. G.

(e) Card. Baron. an. 925. n. 8.

(f) S. Bernard. epist. 271. ad Com. Theobald.

(g) S. Bonav. tom. 6. Pharetr. p. 3. c. 22.

de beneficiis merè simplicibus sunt locuti, & jàm habemus intentum, nec Beneficiarii merè simplices erunt residentiæ debito adstricti, quippè Ecclesię eosdem dispensativè à tali onere absolvit. Si verò de beneficiis Curatis, & Choralibus, vel alio modo residentialibus, sermonem habuerunt; eorum doctrina in terminis fortioribus, arguendo à majori ad minus, probat intentum nostrum. Quoniàm si positâ dispensatione non tenentur Beneficiarii alioquin residentiales ad onus residentiæ personalis, multò minus ad illam obligabuntur Beneficiarii merè simplices, qui sunt ex generali Ecclesię consuetudine, à residentiæ debito dispensati.

6. *B. Petrus Cluniacensis*, Vir venerabilis, doctrinâ, & sanctitate præclarissimus, ac D. Bernardi coætaneus, uti testantur epistolę intèr eos ultrò, citròque missæ, respondens aliquandò epistolæ Monachorum Claravallensium, exprobrantium Cluniacensibus, quod beneficia ecclesiastica possiderent, in quibus non residebant, neque illis personalitèr, sed per sæculares Clericos ministrabant, ait: *Deindè subjungitis interrogando, quæ ratio possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum nobis contulerit, cum hæc non ad Monachos, sed ad Clericos canonicâ sanctione pertineant. Nos verò sicut in prędictis sic & in istis, Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus: atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcircò ipsarum primitias, & decimas legitimè possidere confirmamus* (a). Et post pauca: *Quià ergò Monachi ex maximâ parte fidelium saluti invigilant, licèt Sacramenta minimè ministrent, æstimamus, ipsorum primitias, decimas, & oblationes, ac quæque beneficia eos dignè posse suscipere: quoniam & reliqua, populo Christiano necessaria, à Presbyteris, & Clericis faciunt exhiberi*. En quomodò Petrus Cluniacensis, tametsi non explicitè, implicitè tamen docet Monachos suos posse beneficia merè simplicia legitimè retinere absque onere residentię, non solas enim memorat parochias, sed *quæque beneficia*, in quibus non Monachos residere ait, & personalitèr ministrare, sed Presbyteros, & Clericos sæculares, tamquàm ipsorum Monachorum locumtenentes.

(a) Petr. Cluniac. l. 2. epist. 28.

7. Qui Petrus quantumvis etiam de solis beneficiis parochialibus locutus fuisset, adhùc ejus auctoritas proculdubiò ad intentum nostrum optimè deserviret, arguendo à majori ad minus, quæ est efficacissima species argumentandi (*b*): quippè si licitum est, justâ de causâ, & interveniente legitimâ Ecclesiæ auctoritate, onus personalis residentiæ beneficiis curatis, & parochialibus (quæ aliàs ex naturâ suâ sunt residentialia) subtrahere; eccur idipsum licitum non erit in beneficiis merè simplicibus? Et si ex auctoritate Ecclesiæ Catholicæ beneficia parochialia, unita monasteriis, inducunt rationem Beneficiorum merè simplicium, talitèr ut eorum possessores personalis ministerii, & residentiæ onus excutiant; multò minùs beneficia merè simplicia eâdem immunitate à debito residentiæ carebunt, quando jàm Ecclesiæ Catholicæ universalis consuetudo, per totum Orbem diffusa, eandem immunitatem formalitèr approbat, & suffulcit. Quarè his ità sè habentibus, jàm patet, quod Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ onere immunes.

(b) Barbos. trac. var. Loc. 67. n. 1.

8. *S. Anselmus* Cantuariensis, Doctor splendidissimus, *cui nihil defuit ad plenitudinem, nihil ad integritatem doctrinæ* (*c*): *Vir ingenio acerrimo, & sanctitate admirandâ, cum maximâ prudentiâ, & humilitate conjunctâ* (*d*); Scribens Idæ Comitissæ, inter cœtera sic eloquitur: *Dominus Lambertus Capellanus vester, qui moratur in Angliâ pro vestro servitio, rogat, & ego cum illo rogo, nè aliquâ occasione, donec ad vos redeas, perdat aliquid de præbendæ suæ beneficio. Precamur etiam, ut hoc ipsum confratres ejus Canonicos precando moneatis: quos simul nos ambo in hac schedulâ salutamus, & ut petitionem vestram admittant, etiam atque etiam rogamus* (*e*). Aberat Lambertus à loco sui beneficii, & consequentèr in eo non residebat, nec ei personalitèr deserviebat, & tamen

(c) Hildebert. Turonens. epist. 22. ad Anselm. Cantuar.
(d) Bellarm. de Scriptor. Eccl. in S. Anselm. Cant.
(e) S. Anselm. Cantuar. lib. 3. epist. 16.

tamen S. Anselmus censuit defectum residentiæ illi neutiquam obstare debere, quin licitè posset sui beneficii fructus integralitèr adipisci, quinimò & ipse sua officia efficacitèr interposuit, nè prenotatus Lambertus recensitos fructus amitteret. Si dicatur S. Anselmum de Canonicatu loqui, non de merè simplici beneficio; attende quod Canonicatus, quantum est de sè, est beneficium simplex (*a*). Et ideò Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ regulatur sub formâ beneficiorum simplicium; ità ut sicut ad hæc sufficit ætas 14. annorum, sic & eadem sufficiat ad illa (*b*). Quarè sepositâ dispositione novorum jurium, vel peculiari Ecclesiarum consuetudine, aut statuto, Canonicatus ut sic de naturâ suâ, & attento antiquo jure, non exigit residentiam: adeòque præbenda, de quâ loquitur S. Anselmus, eo tempore non erat residentialis. Quod si adhùc eam fuisse residentialem contendatur; recurrit iterùm argumentum paulò superiùs allatum, à majori ad minùs: quippè non minus licere poterit residentiæ onus à beneficiis merè simplicibus amputare, quàm liceat illud demere Canonicatui residentiali.

(a) *Navar. consil. 97 num. 5. de Simon. Barbos. de Canon. c. 13. n. 2.*
(b) *Gratian. discep. for. cap. 591. num. 12. Gonzal. ad reg. 8. Cancel. glos. 5. in princ. num. 76.*

9. Et si replicetur absentiam Lamberti fuisse ad tempus, non perpetuam; respondemus, quod auctoritas Ecclesiæ, valens detrahere beneficiis onus residentiæ ad aliquod tempus, non est ità certè alligata, ut non valeat illud ad longius tempus, & etiam in perpetuum amputare: magis enim, & minus ex tritissimo proloquio, & etiam secundum jura, non variant naturam rei (*c*). Quarè si legitima causa Lamberto favens, illum licitè exemit ad tempus à munere personalis residentiæ, aliàs debitæ beneficio residentiali, multò magis consuetudo universalis Ecclesiæ, quæ est causa plusquàm legitima, licitè eximit Beneficiarios merè simplices in perpetuum, ab onere personalis residentiæ, alioquin neque solitæ, neque debitæ. Ex doctrinâ igitur D. Anselmi, satis patet, quod Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ, ac personalis servitii debito immunes.

(c) *L. fin. ff. de fud. instr. Barbos. trac. var. Axiom. 140. n. 6.*

10. *S. Thomas* de Aquino Doctor Angelicus, lux, fons, & abyssus scientię: ipsoque sole clarior (*d*), ac universi terrarum orbis preconiis celebratus proponens in suis Quodlibetis articulum, *Utrum habens duas Ecclesias, teneatur utriusque officium dicere* (*e*), ità illum suo more sapientissimè resolvit: *Dicendum, quod supposito, quod aliquis licitè sit præbendatus in duabus Ecclesiis ex dispensatione, considerandum est, quod ille, qui in aliquâ Ecclesiâ præbendam accepit, duobus obligatur, scilicèt Deo, ut ei debitas laudes exsolvat pro ejus beneficiis; & Ecclesiæ, de quâ accipit sumptus. Ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ: & ideò hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exsolvere secundum quod statutum est, vel per sè ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem. Sed debitum, quod debet Deo, per se ipsum debet exsolvere. Non refert autem quantum ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet, ut puta, utrum dicat in Vesperis. Dixit Dominus, vel Laudate pueri Dominum, nisi quantum ad hoc, quod homo debet sequi majorum traditiones: & quià laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit, quod semel Officium dicat, secundum consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Clericus Sed de electione Officii, rationabilitèr videtur, quod debeat dicere Officium illius Ecclesiæ, in quâ majorem gradum habet: putu, si in unâ sit Decanus, & in aliâ simplex Canonicus, debet dicere Officium Ecclesiæ, in quâ est Decanus. Quod si in utrâque Ecclesiâ fuerit simplex Canonicus, debet dicere Officium digniorls Ecclesiæ, quamvis fortè in minori Ecclesiâ habeat opulentiorem præbendam, quià temporalia nullius momenti sunt spiritualibus comparata. Si verò ambę Ecclesiæ sunt æqualis dignitatis, potest eligere quodcumque officium magis voluerit, si fuerit ab utraque Ecclesiâ absens. Si autem fuerit in aliquâ earum præsens, debet sè conformare illis, cum quibus conversatur* (*f*).

(d) *Bellarminus de Script. Eccl. in S. Thom. Aquinat.*
(e) *S. Thom Quodlibet 1. qu. 7. art. 13. in corp.*
(f) *S. Thom. Quodl. 1 qu. 7. art. 13. in corp. fol. 4. 6.*

11. Lo-

11. Loquitur D. Thomas de habente plura beneficia residentialia, quæ *licitè* in duabus Ecclesiis, ope dispensationis, posse ab uno, & eodem Clerico retineri, pro certo ponit, exemplum proferens de habente simùl Decanatum in unâ Ecclesiâ, & in aliâ Canonicatum: vel duos in duabus Ecclesiis Canonicatus: in quorum utrâque cum non valeat eodem tempore residere, clarum restat, quod vi legitimæ dispensationis, abscinditur alterutri ex dictis beneficiis, alioquin residentialibus, onus residentiæ personalis. Quod onus si potest ad tempus tolli; eccur tolli non poterit in perpetuum? Et, si potest ad tempus, vel in perpetuum, beneficiis residentialibus amputari; certè arguendo à minori ad minus, quod, ut pluries diximus, est optimum argumentum in jure (*a*), multò magis demi potest beneficiis merè simplicibus, à quibus de facto Ecclesia per generalem dispensationem, universali consuetudine explicatam onus servitii personalis abscindit. Pariter ipse D. Thomas in eodem loco distinguit beneficia residentialia à merè simplicibus, & dicit, quod Beneficiarius *debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exsolvere secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat, secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem.* Supponit ergò pro certo, quod dentur beneficia non residentialia, & alia, cujus obligationes possint per substitutum Vicarium à Beneficiario adimpleri: beneficia autem hujusmodi qualitatis sunt beneficia merè simplicia: igitur secundum inconcussam D. Thomæ Doctrinam, Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ debito immunes.

(a) *Auth. multò magis. C. de Sacros. Eccl. Barbos. tr. var. loc. 73. num. 1.*

12. Rursus idem D. Thomas movet alibi difficultatem: *Utrum habere plures præbendas, sine curâ animarum, absque dispensatione, sit peccatum mortale* (*b*): & rè accuratè perpensâ, resolvit, nullum esse peccatum, si hoc fiat justis concurrentibus causis. Longiusculus est sermo Sancti Doctoris, sed tamen bonum erit hìc illum integraliter adnotare. Ait ergò: *Cum hæc quæstio ad Theologos pertineat, inquantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali: & ad Juristas, inquantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contrariè sentire. In jure namque divino non invenitur determinata expressè, cum in Sacrâ Scripturâ expressa mentio de eâ non fiat, quamvis ad eam argumenta ex aliquibus Auctoribus Scripturæ fortè adduci possint, quę tamen non lucidè veritatem ostendunt. Determinando verò eam secundum jus naturale, sic videtur ad præsens de eâ dicendum, quod actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabilitèr annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo benè fieri possunt; De numero talium non est, habere plures præbendas, aliàs in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit.*

(b) *S. Thom. quodl. 9. qu. 7. art. 15.*

13. *Quædam vero sunt actiones, quæ de sè indifferentes sunt ad bonum, vel malum, ut levare festucam de terrâ, vel aliquod hujusmodi, inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes: Ità licitum est habere plures præbendas, sicut habere plura poma. Sed hoc non videtur esse verum, cum hoc, quod est habere plures præbendas, plurimas in sè inordinationes contineat, utpotè, quià non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus, cum præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent: undè non potest continere inter indifferentes actiones, & multò minus inter eas, quæ sunt secundum sè bonæ, ut dare eleemosynam, & hujusmodi.*

14. Hâc positâ rerum serie, prosequitur S. Doctor, dicens: *Sunt verò quædam actiones, quæ absolutè consideratæ deformitatem, vel inordinationem quan-*

dam importans, quæ tamen aliquibus circumstantiis accedentibus bonæ efficiuntur; sicut occidere hominem, vel percutere, in sè deformitatem quandam importat: sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causâ disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ità honestantes, quod prædictæ inordinationes totalitèr evacuantur, ut puta si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdèm absens, quam alius præsens, & si qua alia sunt hujusmodi: & tunc istis conditionibus supervenientibus, cum rectâ intentione, non erit peccatum, etiam nullâ dispensatione interveniente, si consideretur tantum secundum jus naturale, quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed solùm ad positivum.

15. *Si verò aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcopatum perveniat in aliquâ Ecclesiarum, ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione, & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, esset illicitum: & sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente. Nùnc autem certum est per antiqua jura hoc esse prohibitum: patet etiam huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata. Nàm per contrariam consuetudinem jura humana abrogantur. Quidam verò dicunt per hanc consuetudinem antiqua jura non abrogari, eo quod quædam Decretalis &c. Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta; justitiâ cogente cassarentur, & hæc controversia Juristis est relinquenda, quamvis hoc videatur esse probabile, quantum ad hoc, quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possit per contrariam consuetudinem, utpotè irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod solum de jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipuè si simulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare. Si ergò antiqua jura, quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contrariâ consuetudine non obstante, certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione, etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tùnc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sinè dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat: eo quod dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest (a).*

(a) *S. Thom. quodl. 9. qu. 7 art. 15. in corp.*

16. Sentit ergò D. Thomas, quod dantur beneficia, quorum onera possunt adimpleri per alium, nempè merè simplicia, & ad habendum plura ex istis, non opus est dispensatione, quia non exigunt servitium personale, & residentiam. Quoàd reliqua verò beneficia residentialia, tametsi de jure naturali dentur aliquæ inordinationes, si unus plura ex illis obtineat; tamen interdùm illa potest licitè adipisci, quia quandoque concurrunt rationes, quæ tales deformitates cessare faciunt, & in eo casu alterum ex quis beneficiis destitutum remanet onere residentiæ. Pro eo verò, quod spectat ad jus positivum, prohibens pluralitatem beneficiorum; hoc tollitur per dispensationem à superiore interpositam, si jus istud viget: vel si consuetudo abrogavit canones pluralitati ipsi obsistentes, jàm jus positivum non afficit. Et sanè canones, quos circà hoc sibimetipsi obiicit S. Thomas in eodem articulo sunt *Cap. Clericus* 21. *qu.* 1. (b), & *cap. sanctorum Canonum* 2. *dist.* 70. (c). Sed hi Canones, vel de beneficiis choralibus loquuntur, vel pro eo quod concernere possent beneficia merè simplicia, si censebantur esse per contrariam consuetudinem abrogati tempore D. Thomæ, nimirùm quin-

(b) *Ex Concil. Niceno II. c. 15.*
(c) *Ex Concil. Placentino Urban. II.*

quingentis jàm ab hinc annis, multò magis nùnc pro abrogatis habentur, quoàd ipsa merè simplicia beneficia tùm à Theologis (*a*), cum à Jurisconsultis (*b*).

17. Præterquamquod ipsimet Canones pluralitatem beneficiorum merè simplicium admittunt: nempè *cap. Clericus* 21. *qu*. 1. prohibet ipsam pluralitatem in Urbe Constantinopoleos, in aliis verò locis illam admittit, uti legenti patet. Paritèr *Cap. sanctorum Canonum* 2. *dist*. 70. distertè ità disponit, *licèt Episcopi dispositione, unus diversis preesse possit Ecclesiis, Canonicus tamen prębendarius, nisi unius Ecclesię, in quâ conscriptus est, esse non debet. Si quę tamen Capellę sunt, quę suis reditibus Clericos sustentare non possunt, ea cura, ac dispositio Prępositio majoris Ecclesię, cui Capellę subditę esse videntur, immineat; & tàm de possessionibus, quàm de ecclesiasticis Capellarum officiis ipse provideat*. Per istum Canonem ergò admittitur, pluralitas beneficiorum, & Capellarum, quæ non sint Canonicatus, vel Curæ animarum: beneficia autem illa sunt beneficia merè simplicia: quorum admissâ pluralitate, venit ex consequenti, quod exemptionem proferant Beneficiario merè simplici ab onere residentiæ: quandoquidem ille, qui plura insimùl retinet beneficia, in utrisque non valet eodem momento temporis residere, adeòque in illis cessat obligatio residentiæ: quâ cessante beneficium, redigitur ad statum beneficii merè simplicis. Et sic ex doctrinâ Doctoris Angelici Divi Thomæ satis clarè distinguuntur beneficia residentialia à non residentialibus: constatque per eam, quod Beneficiarii merè simplices sunt ab onere servitii personalis, ac præsentialis residentiæ debito immunes.

18. *S. Raymundus* de Pennafort, illustris vitæ sanctitate, & miraculorum gloriâ (*c*), nec minus doctrinâ celebris: quippè præter compilatos libros Decretalium, jussu Gregorii Papæ IX. Summam quoque scripsit de Casibus pœnitentialibus, quam *audiendibus confessionem, valdè necessariam*, appellavit Henricus de Gandavo (*d*). In eâdem autem Summâ de beneficiis Ecclesiasticis agens, ità proloquitur: *Nota quodsi Episcopus confert uni personæ duas dignitates, vel personatus, etiam si curam non habeant animarum; vel Ecclesias Parochiales duas, vel plures, peccant ambo, & conferens, & recipiens* (*e*). *Circà sublimes tamen, & liberatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, poterit per sedem Apostolicam dispensari* (*f*). Deindè subjungit: *sunt tamen quinque casus, in quibus de jure communi, potest una persona duas, vel plures Ecclesias habere. Primus quando Ecclesię tenues sunt, ità quod neutra per sè sufficiat ad sustentandam personam* (*g*). *Secundus si una pendet ex alterâ* (*h*). *Tertius propter caritatem Clericorum* (*i*). *Quartus si Ecclesia est annexa præbendę, vel dignitati, in quo casu cum ipse teneatur in majori Ecclesiâ personaliter deservire, in ipsâ Ecclesiâ parochiali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium canonicè constitutum, qui congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem* (*l*). *Quintus si habet unam intitulatam, & aliam commendatam* (*m*). *Hoc intelligo si subest justa causa, quarè debeat fieri commendatio* (*n*).

19. Ad quæ verba D. Raymundi Joannes de Friburgo ejus Glossator, perpendes illam propositionem, quod circa sublimes, & literatas personas potest per Sedem Apostolicam dispensari, ut plures habeant Ecclesias, siue præbendas (*o*); adjungit posse dispensari, *ut habeant simul plura beneficia, curam animarum habentia, & plures dignitates, siue in eâdem Ecclesiâ, sive in diversis* (*p*). Et postquam ait, hanc dispensandi potestatem non competere Episcopo quoad plures curas animarum, vel dignitates uni conferendas; subsequitur: *sed nunquid Episcopus potest dispensare, quod habeat aliquis plures prębendas, aut plura beneficia sine curâ animarum, & sine personatu? ℞. credo, quod sic, non tamen de jure scripto potest hoc, sed de consuetudine solâ, quam Papa scit, & non reprobat, & ideò præsumitur eam approbare* (*q*). Ista autem beneficia, de qui-

(a) *Jo: de Friburgo glos. in S. Raymundo Sum lib*. 3. *tit*. 23. §. 2. *V. sublatam Bonacin. tom* 1. *de benef. disp*. 5. *qu* 4. *pun*. 3. *n*. 11. *Reginald. lib*. 30 *n*. 50.
(b) *Lotter. l*. 3 *qu*. 27 *num*. 9. *Garcia. p*. 3. *c*. 2 *num* 1. *Borel. to*. 1. *tit*. 20. *à n*. 147.

(c) *Bellarmin. de Scriptor. Eccles. in S. Raymund.*
(d) *Henr. de Gandav. de illust. Eccles. Script. c*. 48.
(e) *Cap. de multa de præbend.*
(f) *S. Raym. Sum. lib*. 3. *tit*. 23 §. 2.
(g) *Cap. unio* 10. *qu*. 3.
(h) *Cap. eam te. de ætat. & qualit.*
(i) *Cap. Clericus* 25 *qu*. 1.
(l) *Cap. extirpandæ de præbend.*
(m) *Cap. qui plures* 21. *qu*. 1.
(n) *S. Raymund. loc. cit*. §. 3.
(o) *Cap. de multa. de præbend.*
(p) *Jo: de Friburg. glos in verb. dispensari lib*. 3. *tit*. 23. §. 2. *S. Raymundi*.
(q) *Idem loc. cit*. §. 2. *V. sublatam*.

quibus hìc ultimo loco fit fermo, funt beneficia merè fimplicia, quæ de generali confuetudine, immunitate gaudent à quolibet refidentiæ onere, ac fervitii perfonalis minifterio.

20. Itàque tàm D. Raymundus, quàm ejus Commendator in eâ funt fententiâ, quod in pluribus cafibus poffit per Papam, & refpectivè per Epifcopum difpenfari, ut unus habeat plures Ecclefias, præfertim circa *fublimes, & literatas perfonas cum ratio poftulaverit*: Spectatque ad difpenfatorem, non ad alios judicium ferre, an is, cum quo difpenfat fuper pluralitate beneficiorum, fit perfona fublimis, vel non; & an ratio in cafibus practicis poftulet, quod difpenfetur, vel non. Quoties ergò hæc difpenfatio interponitur, neceffariò fit, quod difpenfatus in alterutro beneficiorum non debeat refidere. Hæcque difpenfatio cum juxtà D. Raymundum interponi poffit fuper beneficiis Curatis, & Choralibus, ac de naturâ fuâ refidentialibus; multò magis valet interponi fuper beneficiis merè fimplicibus. Sed de facto Ecclefia difpenfat fuper refidentiâ beneficiorum merè fimplicium per confuetudinem generalitèr approbatam; ergò Beneficiarii merè fimplices funt à refidentiæ debito immunes.

21. *Dionyfius Carthufianus*, vir Sanctiffimus, & Doctiffimus à Bellarmino appellatus (*a*): ac tot librorum auctor, ut cum D. Auguftino, Alphonfo Toftato, & fimilibus, valeat comparari (*b*); pluribus in locis de beneficiis ecclefiafticis agens, totus eft in eorum pluralitate improbandâ (*c*). Nihilominùs admittit illam poffe in quinque cafibus licitè habere locum (*d*), nempè in illis ipfis, quos approbat D. Raymundus mox allegatus. Nèc abnuit adjungere fextum cafum, dicens: *Poteft autem & fextus cafus adjungi, ut cum quis Clericus defervit communi bono Ecclefiæ in Legatione &c. non tamen negandum eft, quia fublimiori perfonæ, de pinguiori fit beneficio providendum* (*e*). Igitur fublimis hic Doctor admittit fex cafus, in quibus plura beneficia Ecclefiaftica licitè poffunt infimul retineri: quo pofito recurrit ratio paulò fuperiùs ex Doctrinâ D. Raymundi deductâ: nimirùm quod fpectat ad folum Collatorem, & Difpenfatorem beneficiorum judicare, an in cafibus particularibus licita fit, nec ne pluralitas ipfa beneficiorum, & quatenùs ità fit; certè retinens plura beneficia, cum non valeat omnibus ipfis perfonalitèr defervire: ab alterutro eorum remanet exemptus, ne præfentialitèr adminiftret: hæcque exemptio, fi accedente legitimâ difpenfatione cadit etiam fuper beneficiis Curatis, & Choralibus, ac de naturâ fuâ refidentialibus; multò magis cadere poteft fuper beneficiis merè fimplicibus, quæ videmus ubilibet per totum orbem ex generali confuetudine ipsâ exemptione potiri; adeòque certum remanet, quod Beneficiarii merè fimplices funt à perfonalis refidentiæ debito immunes.

(a) Bellarm. de Scriptor. Eccl. in Dionyf. Carth.
(b) Petr. Annat. Appar. ad pofit. Theolog. l. 4. art. 8. in fin.
(c) Dionyf. Carthuf. Epifc. de regim. Epifc. l. 1. art. 33. & de ref. Canonicor. l. 1. art. 22. & contr. plural. benef. lib. 1. per tot.
(d) Idem contr. plur. benef. l. 1. art. 12.
(e) Idem de reform. Canon. l. 1. art. 12.

22. *Joannes Gerfonius* inter Sanctos Patres non habet locum: attamèn inter doctos, & pios viros, ac inter Scriptores ecclefiafticos, abfque ambiguitate computatur (*f*), ideòque ab orbitâ noftrâ non declinabimus, fi ejus doctrinam hìc apponemus. In fuis igitur Regulis moralibus, de beneficiis verba inftituens, hæc præfertìm effatur: *fi teneas quis plura beneficia, ex dono Superioris, in cafibus non excufantibus hanc pluralitatem, peccare poteft uterque, conferens per indifcretionem, recipiens per ambitionem: nihilominùs occupans reftituere percepta non tenetur* (*g*). Vides quod etiam Gerfonius admittit uti licitam in cafibus congruentibus pluralitatem beneficiorum, & ita recurrit femper argumentum præcedentibus numeris allegatum, quod hæc pluralitas, fi licita eft in beneficiis refidentialibus, multò magis eft licita in merè fimplicibus; cumque hæc eximat Beneficiarios, alioquìn refidentiæ debito adftrictos ab onere fervitii perfonalis; multò magis eximit ab eodem Beneficiarios merè fimplices. Profequitur indè idem Gerfonius, & ait: *Quantumcumque multa beneficia aliquis teneat auctoritate fuperioris, illa poffunt dici unum beneficium* (*ficus plures tunicæ in magnis frigoribus, una tunica*) *& hoc unitate morali, fi illa omnia*

(f) Bellarm. de Scriptor. Ec. l. in Jo: Gerf.
(g) Jo: Gerf. to 2. in Regul. Mor. §. de avaritia fol. 20.

non

non sint nisi ad sufficientem decentiam status occupantis, secluso scandalo: & impossibilitate officiandi per sè, vel per alium non existente (a). Quibus verbis ostendit hìc Doctor posse obligationibus beneficio adjectis opportunè, ac licitè satisfieri vel à Beneficiario per se, vel ab alio ejus vice: & certè satisfactio per alium excludit onus personalis residentiæ, ac præsentialis servitii: quod si accedente auctoritate superioris licitè potest per alium adimpleri à Beneficiariis curatis, & choralibus, sive residentialibus, multò magis adimpleri potest per alium à Beneficiariis merè simplicibus, & ità semper est verum, quod Beneficiarii merè simplices sunt à residentię debito immunes.

(a) *Joan. Gersonius loco cit.*

23. *S. Antoninus*, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Florentinus, *vir doctissimus, & sanctissimus* (b), in eleganti suâ Summâ, de beneficiis ecclesiasticis agens, ad eorum residentiam sub hisce verbis descendit: *De Clericis non residentibus in beneficio suo, nota quod hujusmodi si moniti justâ causâ cessante non redeant, possunt beneficiis spoliari, ut in cap.ult.de Cler.non resident. Et dicit idem Joan. Andr. quod intelligitur de beneficiis curatis, vel etiam simplicibus, si residentiam exigant ex privilegio, vel statuto, vel consuetudine. Verùm si essent beneficia, quæ residentiam non exigunt, tùnc nisi esset necessitas, vel utilitas Ecclesiæ de novo suborta, non possent cogi beneficiati ad residentiam, quià tùnc hoc præcipere non spectat ad superiorem officium art.17.qu.1. quià frater. Et de talibus potest intelligi, quod unus potest habere plura beneficia. Nec obstat, si dicat, quod unus non potest servire duabus Ecclesiis, quià omnes Ecclesiæ sunt una, secundum Innoc. 21. distin. quamvis. Dicit Hosti: melius respondendum, scilicèt quod ubi agimus de beneficio, quod non exigit residentiam, nec de residentibus, sed officio est quærendum, & potest quis præsentialitèr, & alteri in absentiâ deservire.*

(b) *Bellarm de Scriptor. Eccl. in S. Antonin.*

24. *Nec obstat secundum Innoc: infrà cap. cum secundum, de Præbend. & Dign. ubi à contrario innuitur, quod qui non servit altari, non debet vivere de altari. Nàm absens, & præsens servire intelligitur, dummodò benè vivat, & benè expendat, quod indè percipit, hoc tamen dicit Host: reprobari potest. 1. qu. 3. ex multis. Igitùr, qui malè accepit, ut benè dispenset, gravatur potius, quàm juvetur. Undè dicit capitulum: cum secundum intelligendum de beneficiis, quæ exigunt residentiam, secùs de collatione obtentu personæ, causâ pietatis, & eleemosynę tantùm. Undè si debili confertur beneficium ad sustentationem, percipiet etsi non serviat: nec habet conqueri Ecclesia, cum quicquid habet, sit deputatum pietati 12. quæst 2. aurum. Putat tamen Innoc. omne beneficium requirere residentiam, nisi probetur contrarium* (c). Adeò claris verbis, & rutilanti eloquio D. Antoninus beneficia residentialia, à non residentialibus, sive à merè simplicibus, distinguit, ut nihil haberi valeat dilucidiùs, nec minùs disertè pronuntiat Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito immunes: quarè attentâ illius opinione, ac doctrinâ, ipsamet immunitas, & exemptio nullatenùs potest in controversiam deduci.

(c) *S. Antonin. sum. p. 3. tit. 15. c. 1. §. 13. fol. 261.*

25. Beatus *Augustinus de Triumphis* Anconitanus, Ordinis Sancti Augustini, *vir doctrinâ, & vitæ integritate celeberrimus* (d), qui *Regibus Neapolitanis Carolo, & Roberto* carissimus fuit (e), & Beati titulo decoratur (f), in aureâ suâ Summâ de potestate ecclesiasticâ monet quæstionem: *Utrum Papa possit dispensare in pluralitate beneficiorum*: ex cujus resolutione optimum argumentum deducitur immunitatis, & exemptionis Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Nèc miretur Lector, nos ex hac pluralitate beneficiorum argumenta pro causæ nostræ defensione suscipere, quippè etiam Contradictores argumenta favore illorum opinionis, ex beneficiorum pluralitate deposcunt: & cum alioquin antiquis temporibus non fuerit in controversiam posita hujusmodi exemptio, & immunitas Beneficiariorum merè simplicium à debito residentię; plures ex Patribus, doctrinâ, & sanctitate conspicuis, qui nos præcesserunt, de illâ ex proposito non egerunt, sed eandem tamquàm certam,

(d) *Jacob. Philip. Bergom. in Chron. & alii initio oper. D. August. Triump.*

(e) *Joseph. Pamphilius in Chron. Ord. S. August.*

(f) *Ejus Epitaph. Neapoli in Eccl. S. August. & Hier. Seripand. in Comment. Ord. S. August.*

&

& indubitabilem suppofuerunt. Ex aliis ergò quæstionibus, per ipsosmet agitatis, oportet eorum sensum colligere, & deductivè, sive in obliquo percipere, quod parentèr, & in recto non protulerunt. Estque hìc optimus modus procedendi in probandis propositionibus; arguendo ex unâ re ad aliam, respectum congruum ad illam habentem: sive per analogiam paris ad parem: sive per æqualitatem similis ad simile: sive per relationem majoris ad minùs, aut minoris ad majus: vel à majoritate, aut paritate rationis; vel ab oppositis, vel à connexis, vel ab æquiparatis, vel à correlativis, aut ab aliis motivis, justam rationem arguendi præbentibus: Quâ de rè videri potest Barbosa, qui peculiari tractatu totus incumbit colligendis legibus, & auctoritatibus, hujusmodi modum arguendi comprobantibus (*a*).

(a) *Barbof. tr. var. in locis com. argum. juris.*

26. Igitùr B. Augustinus Triumphus præfatæ quæstioni hoc modo respondet: *Respondeo dicendum, quod in collatione beneficiorum aliquid est de jure Divino, & naturali, & aliquid est de jure positivo. De jure nàmque naturali, & Divino est, ut beneficium detur propter administrationem officii. Sic enim mandatum est Num.*18. *Filiis autèm Levi dedi decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in Tabernaculo fœderis, ut nihil aliud possideant, decimarum oblatione contenti. Et Apostolus* 1. *Corinth.* 9. *dicit: Sic Christus ordinavit, ut qui evangelium anunciant, de evangelio vivant, juxtà illud Lucæ* 10. *Dignus est operarius mercede suâ. De jure verò positivo est paucitas, vel pluralitas beneficiorum. Non enim possunt talia cadere sub unâ regulâ, quià consideratâ quandòque Ecclesiæ necessitate, vel personę dignitate, plura beneficia conferenda sunt uni, quàm alteri. Cum igitùr Papa non solum possit illa, quę sunt juris positivi, verùm etiam suprà ipsum jus potest dispensare, ut suprà allegatum est; Ideò dicendum est, quod sicut de jure positivo communi, cujus Papa est conditor, facta est talis restrictio, ut nulli liceat plura beneficia habere, sed quicumque recipit aliquod beneficium, curam habens animarum annexam, si priùs tale beneficium habeat, est eo ipso jure privatus, sicut scribitur extrà de præben. & dignit. cap. de multa. Sic Papa, qui est suprà ejus, potest talem restitutionem relaxare, & in pluralitate beneficiorum universalitèr dispensare: consideratâ tamèn Ecclesiæ utilitate, & justitiæ ęquitate. Alitèr, ut dicit Bernardus, magis dicenda est dissipatio, quàm dispensatio, indè contid. l.* 3.

27. His positis respondet B. Augustinus ad ea, quæ sibi objecerat in contrarium, hoc modo. *Ad primum ergò est dicendum, quod non est ibi privatio finis; potest enim Beneficiatus administrare officium, vel per se, vel per alium auctoritate Superioris. Non enim Paulus administrabat officium personalitèr in Ecclesiâ Philippentium, sed per suos ministros: & tamèn residens ipse præsentialitèr apud Ecclesiam Thessalonicæ, beneficium procurationis à Philippensibus recepit, ut ipse testatur Philip.* 4. *Ad secundum est dicendum, quod Papa non potest dispensare suprà jus naturale communitèr sumptum, sed benè potest dispensare in jure naturali, quantum ad illa, quæ ex jure naturali eliciuntur, & explicantur. Nec tollitur justitia distributiva in collatione beneficiorum, dummodò justâ causâ fiat: quià si unum beneficium detur uni, vel plura dentur alteri pro eodem servitio, possunt alia negotia occurrere, in quibus consideratâ Ecclesiæ utilitate, vel personę dignitate unus meretur plura recipere, quàm alius: Ad tertium dicitur verum esse, quod Papa est rerum ecclesiasticarum dispensator: in dispensatione tamèn non solùm requiritur fidelitas, sed etiam prudentia, quę eum sit recta ratio agibilium, fidelitèr dispensat Papa ecclesiastica beneficia, conferendo plura uni, quàm alteri, consideratâ pro loco, & tempore Ecclesię utilitate, vel personarum dignitate* (*b*).

(b) *B. Aug. Triump. de potest. Eccl. qu.* 68. *art.* 1.

28. Inferiùs quoque movens difficultatem, an Beneficiatus toties horas canonicas recitare teneatur, quot beneficia habet, ità eam resolvit: *Si traditio Ecclesiæ habet, quod per se serviat, per se tenetur: si verò per vicarium, per vicarium*

carium tenetur. Ideò puto, quod habens plura beneficia, nisi consuetudo, vel statutum ecclesiasticum requirat, ut per se deserviat, non tenetur per se plura officia dicere (*a*). Ex utroque igitùr B. Augustini Triumphi discursu patet, quod pius, ac cruditus hic doctor sensit dari aliqua beneficia; in quibus Beneficiarius non tenetur personalitèr deservire, sed famulari potest per substitutum, nisi consuetudo, vel statutum ecclesiasticum requirat, ut per se deserviat: hęc autem beneficia sunt beneficia merè simplicia, quæ, uti pluries ostendimus, de generali consuetudine, per totum orbem frequentatâ, onus residentię personalis Beneficiario non inferunt (*b*). Et cum consuetudo generalis habeat vim, & rationem legis (*c*), & ab eâ ad statutum valeat argumentatio (*d*); optimè dici potest, quod & de consuetudine, & de statuto ecclesiastico est, quod Beneficiarii merè simplices sint à residentiæ debito exempti.

29. Rursùs hic idem Doctor admittit, tamquàm incontrovertibile jus Ecclesiæ in dispensando, ut unus, & idem Clericus plura valeat beneficia ecclesiastica retinere. Quâ pluralitate admissâ, ex necessitate consequitur, quod alterum ex beneficiis residentiæ obligatione careat, vel quià onus illud non habeat, vel quià idem onus tùnc cesset. Hisque ità se habentibus, si Auctor loquitur de beneficiis curatis, & choralis, atque residentialibus, multò fortiùs ejus doctrina locum habet in beneficiis merè simplicibus: quarè cum Beneficiarii residentiales, vi legitimæ dispensationis, eximi valeant ab onere servitii personalis, & residentiæ; multò magis eâdem possunt exemptione potiri Beneficiarii merè simplices, quibus consuetudo universalis Ecclesiæ, ubilibet frequentata, pro legitimâ dispensatione deservit, eâque freti non tenentur Ecclesiis suorum beneficiorum personalitèr deservire.

(a) *Idem Triumphus qu.69.art.2.*

(b) *Lotter.de rè benef.l.3.qu.27.n.9. Borel sum.decis.tit.20.à n 247. & tit.20. n.7.& 15.*

(c) *De Luc.de benef. disc.23.n.11. Barbosa tract.var. Appel.129 num.4.*

(d) *Barbos.tr. var. Loc.25.nu.3. Mantic. pract. Conclus. lit. A. Concl.507.nu.20. Menoch.de arbit. l.1. qu. 71.n.3.*



CA

CAPUT XIV.

In quo ipsamet immunitas Beneficiariorum merè Simplicium ab onere Servitii personalis, & Residentię in loco Beneficii, Rationibus HISTORICIS *probatur.*

SUMMARIUM.

1 *Historiæ bonor, & fides babenda est. Divus Gregorius Nazianzenus vix ordinibus insignitus, in solitudinem Ponti secessit, patre illius reclamante.*

2 *S. Joannes Chrysostomus Lector factus, abiit in solitudinem. S. Paulinus, S. Hieronymus, & Paulinianus nulli Ecclesiæ affixi fuerunt.*

3 *Referuntur verba D. Hieronymi de se, & de Pauliniano ejus fratre. Hi, ac alii voluerunt esse liberi ab onere residentię.*

4 *Cum juxtà doctrinam Contradictorum, olim idem esset ordines, ac beneficia nancisci, oportet, quod præfatorum sanctorum beneficia immunia essent à residentiâ.*

5 *D. Gregorius scribit Maximiano Syracusano, ut beneficium conferat in suâ Ecclesiâ Felici, habenti aliud beneficium in Romanâ Ecclesiâ.*

6 *Iste Felix non poterat simul in Romanâ, & Syracusanâ Ecclesiis deservire: undè oportet, quod alterutrum ex his beneficiis debito residentiæ careret.*

7 *Quià nimium gravosum esset multas historias, hâc de rè loquentes, per extensum referre strictim easdem innuemus.*

8 *In cunctis Orbis regionibus, aliqui sancti viri plura Beneficia, Abbatias, & Episcopatus, respectivè insimùl, & eodem tempore retinebant.*

9 *Alii referuntur pietate celebres viri, qui pluribus unà simul præerant ecclesiasticis beneficiis.*

10 *Recensentur multi Præsules celeberrimi, qui unà simul plura beneficia Episcopalia tenuerunt.*

11 *Alii similitèr Præsules innuuntur, qui cum Episcopali, unum etiam, & plura Abbatialia beneficia possidebant.*

12 *Fit sermo de aliis habentibus plures Abbatias. S. Gregorius VII. mandat, ut Abbas S. Remigii Rementis prætit quoque Abbatiæ Monasterii Metensis.*

13 *Leges post illa tempora promulgatæ vetant plura beneficia residentialia, non verò merè simplicia, & præservant potestatem Ecclesiæ dispensandi.*

14 *Memorantur quidam, retinentes plures Episcopatus, auctoritate Concilii Provincialis: multò magis licita est retentio ipsâ auctoritate Papę.*

15 *Quotiès fit collatio plurium beneficiorum residentialium uni, & eidem cum dispensatione; subtrahitur onus residentię alicui ex iptis.*

16 *Post historias antiquiores, jàm alias recentiores afferamus, exemptioni Beneficiariorum merè simplicium faventes.*

17 *Carolus IX. Rex Franciæ suis Oratoribus ad Concilium Tridentinum iniunxit, ut procurarent edi decretum, quo residentiæ debito adstringerentur Beneficiarii.*

18 Si

18 *Si Rex locutus est de beneficiis residentialibus; nihil ad nos. Si de merè simplicibus, & non obtinuit votum suum, hoc ostendit illum rem indebitam popoſciſſe.*

19 *Inanitèr dicitur Concilium Regis votis adhæsiſſe, cum juſſit beneficia simplicia uniri Parochiis, Seminario &c. Tùnc enim Concilium ad alia perſpexit.*

20 *Dè facto Concilium Tridentinum beneficia merè simplicia à residentię debito exemit. Nèc est probabile Regem Francię voluiſſe quid diverſum.*

21 *S. Pius V., & Marcellus II. etsi ad auſteritatem propensi, nunquàm ſibi ſcrupulum fecerunt de non impensâ beneficiis merè ſimplicibus residentiâ.*

22 *S. Carolus diù retinuit plures Abbatias abſque reſidentiâ: in ſuiſque Conciliis beneficia simplicia immunia à reſidentię onere declaravit.*

23 *Diſpenſatores beneficiorum ſimplicium, eorumque ſuſceptores, uſque modo residentiæ debitum non afficere cognoverunt.*

24 *Plurimi Sancti Præſules recentiores, aliique Eccleſiæ Proceres, & Clerici, vel tenuerunt, vel contulerunt beneficia merè ſimplicia ſine debito reſidentiæ.*

25 *Recenſentur varii Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales Imperiali, Regali, & Ducali ſanguine nati, ex cunctis Chriſtianitatis regionibus.*

26 *Hi omnes autèm poſſederunt beneficia merè ſimplicia abſque reſidentiâ: Nunquid autèm proptèr hoc damnati ſunt ad tartara?*

1.  ERMULTAS probationes, quas hùcuſque adduximus, augeat nùnc hiſtoria: *Teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis*, ut eam Tullius appellavit (*a*): quæ cum plura nobis præbeat argumenta exemptionis Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere reſidentiæ, atque ſervitii perſonalis; facto, & factis juſtificata oſtendetur ipſa exemptio, quam hùcuſque jure, & juribus juſtificatam eſſe monſtravimus: Honor enim, & fides in rebus humanis eſt hiſtoriis adhibenda, quæ ſibi exiſtimationem ex ipsâ rerum antiquitate conciliarunt (*b*). Primoque loco hùc facit hiſtoria *S. Gregorii Nazianzeni*, qui aliquandò à Patre ſuo, itidem Nazianzi Epiſcopo, tametſi rennens, ac magnâ humilitate reluctans, fuit ſacris ordinibus inſignitus: quibus ipſe ſuſceptis, citò procul in Ponti ſolitudinem, patre reclamante, ſeceſſit: *Nàm genitor*, inquit, *per vim ſecundis collocat mè in ſedibus*, quæ mihi tyrannis tàm gravis menti fuit, ut mox ſodales, mox parentes, & meos, mox & propinquos deferens, patrium & larem, ut ſævo aſili ſpiculo puncti boves, in Pontum abirem &c. (*c*). Videbitur fortè parergon, & extrà negotii ſeriem, hoc eloquium de ſeceſſu Divi Nazianzeni: At legat Anagnoſtes ea, quę ſequuntur, & poſteà judicium dabit.

2. Eodem prorsùs modo *S. Joannes Chryſoſtomus* à forenſibus negotiis, quibus incumbebat, ad vitam eccleſiaſticam evocatus, ad uſque Lectoratum aſcendit; mox in invias ſolitudines longiùs ſe recepit, & ibi delituit per ſexennium (*d*). Sanctus quoque *Paulinus* Epiſcopus Nolanus, Româ oriundus, Burdigalæ in Aquitaniâ, ſive Hebromagi propè Burdigalam exortus (*e*), & à Delphino illius Urbis Epiſcopo in maturâ ętate undis baptiſmalibus madefactus (*f*), à Lampio tandem Barcinonenſi ad Sacerdotium provectus (*g*), & à S. Ambroſio Mediolanenſi ſuo Clero conſcriptus (*h*); nullibi ex hiſce locis conſtitit, ſed hùc illùc pro ſuo arbitrio permeavit, *in Sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Eccleſię dedicatus* (*i*). Itidèm *S. Hieronymus* apud Stridonem natus, in Hungarię, atque Dalmatię confiniis (*l*). Romæque baptizatus (*m*); Antiochiæ à Paulino Epiſcopo ad Sacerdotium provectus eſt, eâ intentione, ut nollet Eccleſiæ Antiochenæ perſonalitèr famulari (*n*). Proùt & Paulinianus

(a) *Ciceron. lib. 2. de orat. ad q. fratrem.*

(b) *Barboſ. jur. Eccl. l. 1. c. 20. n. 31.*

(c) *S. Greg. Nazian. in Carm. de vita ſua.*

(d) *Pallad. in vit. S. Jo. Chryſ.*

(e) *Vita S. Paulin. poſt ejus oper. part. 1. fol. 653.*

(f) *Idem & S. Paulin. ep. 16. ad Delphin.*

(g) *S. Paulin. ep. 6. ad Sever. & ep. 23. ad Amand.*

(h) *S. Paulin. ep. 45. ad Alyp.*

(i) *Idem S. Paulin. epiſt. 6.*

(l) *In vit. S. Hieron. Card. Baron. ann. 372. num. 40.*

(m) *S. Hieron. ep. 57.*

(n) *S. Hieron. ep. 61. ad Pammachium.*

ejus frater fuit Presbyter ordinatus apud Monasterium Bethlehemitanum Cæsariensis Diœcesis à S. Epiphanio Cypri Episcopo (*a*), eâ præditus libertate, ut posset ubicumque sibi esset in arbitrio commeare.

(a) *S. Hieron. ep. 60.*

3. Utramque rem describit S. Hieronymus adversùs Joannem Hierosolymitanum scribens: *Si de Pauliniano tibi sermo est: vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri, ad visitationem nostram interdùm venire, non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicèt, à quo ordinatus est. Quod si hìc etiam esse voluerit, & in exilio nostro quietus in solitudine vivere, quid tibi debet, nisi honorem, quem omnibus debemus Episcopis* (*b*). Prosequitur inde sermonem, & ait, se Paulinum Antiochenum Ordinatorem suum ità esse allocutum: *Si sic presbyterium tribuis, ut monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autèm sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui; ego habeo, quod semper habui* (*c*). Itàque & S. Hieronymus, & Paulinianus ejus frater, & S. Gregorius Nazianzenus, & S. Joannes Chrysostomus, & S. Paulinus &c. Presbyteratu, aliisve Ordinibus insigniti, apud Ecclesias, in quibus sacros Ordines adepti sunt, nullatenùs residerunt, poterantve non residere: Et sicut hi præcipui, doctioresque Ecclesiæ Catholicæ magistri se gesserunt; nulli dubium est, quod etiam alii Clerici, vel se gerere poterant, vel se gerebant.

(b) *Idem S. Hieron. epist. 61.*

(c) *Idem loc. cit. vid. etiam ibid. Marian. Victorin not. n. 73 & 74.*

4. Sed inquies; quid ex hinc infertur ad residentiam Beneficiariorum merè simplicium? Quid infertur? Optimum, & notabilissimum argumentum. Nàm in sententiâ Contradictorum, remotioribus illis Ecclesiæ fæculis, idem fuit ordinibus, & beneficiis ecclesiasticis insigniri: Statim ac enim Clericus ordinem recipiebat, matriculæ Ecclesię inscribebatur, & partem de ecclesiasticis reditibus obtinebat, quod idem est ac beneficia sacra adipisci, seù id assequi, in cujus locum beneficia ecclesiastica successerunt. Igitùr in eorum sensu, & S. Hieronymus, & Paulinianus ejus frater; & S. Gregorius Nazianzenus, & S. Joannes Chrysostomus, & S. Paulinus, tametsi cum ordinibus sacris, proventus, sive beneficia ecclesiastica consecuti; nihilominùs non residebant apud illas Ecclesias, in quibus fuerant ordinati; quià in eis nullam administrationem personalem habebant, ab ipsis præsentialitèr exercendum, sed solùm ordinis gradum, & portionem redituum eidem ordini respondentem, quod in idem tùnc resonabat, ac nùnc significent beneficia merè simplicia. Ergò juxtà principia Contradictorum, ex hujusmodi sanctorum factis patet, quod Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ personalis debito exempti. Sed si hæc argumentatio non placet, ad alia transeamus.

5. Perpulchra probatio huiusmodi veritatis, ex D. Gregorii Papæ factis infertur; ex illoque præsertim, cum pro Felice Diacono, ad Maximianum Episcopum Syracusanum hasce aliquandò literas dedit: *Præsentium lator Felix Diaconus, cum nullatenùs in hæreticorum dogmata lapsus sit &c. imbecillitati ejus, atque necessitatibus consulentes, maximèque intuitu pietatis sustentationi ejus providentes, in tuâ Ecclesiâ Syracusanâ, eum prævidimus cardinandum: sive ut officium Diaconatus expleat, seù certè, ut solâ ejusdem officii, pro sustentandâ paupertate suâ, commoda consequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio. Quod hortamur, ut tua fraternitas implere festinet: Commendantes etiam personam ejus, quatenùs nulli eum patiaris molestiis, aut necessitatibus subjacere, ne vel nostræ commendationis inveniaris tramitem neglexisse, vel minùs exhibuisse, quam tuus exigit ordo pauperibus: quià & nos ei annuum, quid de nostrâ Ecclesiâ dari fecimus, ut ejusdem operis, quod se hortamur exhibere, participes esse possemus* (*d*). Discutit hanc epistolam D. Gregorii Ludovicus Thomassinus, & Felicem illum, de quo est sermo, asserit fuisse simul in Ecclesiis Romanâ, & Syracusanâ beneficiis ecclesiasticis insignitum; & quod D. Gregorius, *huic Diacono suæ jàm ex fundis Ecclesiæ pensionem assignaverat, cum in Ecclesiâ Syracusanâ parem illi gratiam conciliare satagebat* (*e*). Et infrà: *Adde quod*

(d) *S. Gregor. lib. 3. epist. 14.*

(e) *Thomass. vet. & nov Eccl discip. p. 2. l. 1. c. 41. n 8.*

quod, quæ vocantur beneficia, ea tunc non erant nisi distributiones, pensionesque certæ &c. (*a*).

6. Habemus ergò Felicem hunc Diaconum beneficiis in binâ Ecclesiâ insignitum, in quarum alterâ cum residebat, profectò non poterat in alterâ ministrare: nimium etenim distat Romana Ecclesia ab eâ, quæ Syracusis est. Vel igitur Syracusanum, vel Romanum beneficium debito residentiæ personalis carebat, vel fortè utrumque: & sive alterutrum, sive utrumque; satis apertè hinc probatur exemptio Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Accedit, quod D. Gregorius Maximianum Episcopum Syracusanum interpellando, ut Felici proventum, sive beneficium aliquod ecclesiasticum impertiatur, in ejusdem optione ponit illum præbendâ Diaconali munerare, & incardinare ipsi Ecclesiæ, sive illi eum intitulare, in alterutro ex hisce modis, nempè, *sive ut officium Diaconatus expleat*, quod idem est ac Canonicatum Diaconalem, adeòque residentialem consequi: *seu certè ut solâ ejusdem officii pro sustentando paupertate sua commoda consequatur*, quod idem est ac beneficium simplex sortiri, in participatione illâ consistens, quâ cuncti Clerici, tametsi ad officium aliquod exercendum nullatenùs addicti, proventus aliquos dè bonis ecclesiasticis ratione adepti ordinis, accipiebant. Et ità duplici modo historicum hoc Divi Gregorii factum probat, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito immunes.

7. Plurimas alias historias in promptu habemus idipsum comprobantes; Sed quià nimium profusa res esset, atque Lectori nimium onerosa, eas omnes hìc per extensum inserere; opportuniùs judicamus easdem strictìm, & veluti per epilogum conglobare; illas præcipuè, quæ pluralitatem beneficiorum, ab uno, & eodem Clerico possessorum, concernunt: quippè, ut alibi non semèl patefecimus, ex pluralitate ipsâ rectè exemptio Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ onere subinfertur, vel arguendo à majori ad minus, quod est optimum argumentandi genus (*b*), vel à pari ad par, seù à simili ad simile consequentiam deducendo, quod similitèr in jure optimum locum habet (*c*). Et quidem pluralitas ista non in uno tantum loco, sed per omnes Ecclesiæ Provincias: neque à viris laxis, & Ecclesiasticæ disciplinæ minus observantibus, sed ab optimis Clericis, Presbyteris, & Episcopis, pietate, ac respectivè sanctitate conspicuis, ad praxim perducta est.

8. Nàm in *Africâ S. Fulgentius* fuit insimùl Ruspensis Episcopus, & binæ Abbatiæ præses, quarum ex alterâ fuit ad Episcopatum provectus, alteram ipse intrà suæ Diœcesis fines erexit, & utriusque Monachi fuerunt *Beati Fulgentii Episcopi provisionibus communitèr gubernati* (*d*). In *Germaniâ* S. Udalricus Augustanus Episcopus Præsulatum Ecclesiæ suæ Adalberoni Abbati, suo secundum carnem Nepoti, resignare aggressus est (*e*): quâ rè propter Nepotis mortem ad effectum non perductâ, ipse S. Udalricus Abbatiam Nepotis conferri sibi obtinuit, & aliquandiù retentam, ad Rudungum pervenire consensit (*f*). In *Italiâ S. Petrus Damiani* Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, simùl in unum possedit cum Cathedrâ Episcopali, binas infulas Abbatiales, quarum ipse meminit, cum amore solitudinis Episcopatu ipso, atque Abbatiis exuere sè peroptans, Nicolao Papæ II. intèr cœtera scripsit: *Cedo juris Episcopatus. Utrumque etiam monasterium reddo* (*g*). Fulradus quoque Abbas duo beneficia Romæ obtinuit, cum plura alia, & quidem opulentissima in Galliâ possidere (*h*). In Regno, seu ex *Regno Neapolitano S. Ludovicus* Caroli II. Andegavensis secundogenitus, uno, & eodem tempore Archiepiscopatum Tolosanum, & Episcopatum Apamiensem tenuit, atque administravit (*i*). In *Angliâ* S. Dunstanus Episcopus Vigorniensis, ad Londinensem Sedem provectus, utramque Ecclesiam insimùl gubernavit. *Et utraque Ecclesia, Vigorniensis videlicèt, & Londoniensis, eo præside gloriabatur* (*l*).

(a) *Idem loc.cit.n.9.*

(b) *L. in suis in fin. de liber. & posth. Barbos. trac. var. loc. 67. num. 1. & c.*

(c) *L. non possunt, & l. seq. ff. de leg. Barbosa tract. var. loc. 101. n. 1. & 2.*

(d) *Vita S. Fulgent. cap. 19.*

(e) *Card. Baron. an. 971. num 9.*

(f) *Surius in Vita B. Udalrici die 31. Octobr.*

(g) *S. Petr. Damian. lib. 1. epist. 9. 10.*

(h) *Vide supr. to. 1. sæcul. 8. cap. 18. n. 17. & 18.*

(i) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p. 1. l. 2. c. 57. n. 11.*

(l) *Surius Vit. S. Dunstan. die 19. Maii.*

9. Itidem in *Galliâ S. Leodegarius* Episcopus Augustodunensis; aliquandò Archidiaconatum, & Abbatiam S. Maxentii possedit (*a*). In *Daniâ* vir piissimus *Absalom* Episcopus Roschildensis, Archiepiscopatum Lundensem unà simùl tenuit, alterum assumere jussus, alterum administrare permissus (*b*). In *Aragoniâ* sub Urbano II. Archiepiscopus Tarraconensis, Ansonensem simùl retinebat Ecclesiam (*c*). In *Castellæ* Regno sub Paschali II. Archiepiscopus Toletanus uno, & eodem tempore Segobiensibus infulis erat ornatus (*d*). In *Oriente* Euphronius Episcopus Colonienses, Metropolis Nicopolitanę honere perauctus, primam Ecclesiam una cum secundâ retinuit, & utramque ab eo simùl possideri D. Basilius Magnus, literis ad Coloniensis datis, efficacissimè propugnavit (*e*). *Constantinopoli* S. Theodorus Studita *duorum Imperialium, insigniumque Cænobiorum, Studii scilicèt, ac Secundiorum constitutus est Abbas* (*f*). Alibi S. Aicardus Pictaviensis, cujusdam Monasterii Abbas, Cœnobio Guimesiensi datus est Abbas à D. Audoeno Episcopo Rotomagensi (*g*). Unum qui erat eodem tempore in duabus Ecclesiis Canonicus, expresѐ habemus in Jure (*h*).

10. Alias historias suppeditat antiquitas Episcoporum, qui unà simùl tæniis pastoralibus in pluribus Ecclesiis circumdati rutilarunt, & ità S. Osualdus Archiepiscopatum Eboracensem cum Episcopatu Vorcestrensi retinuit (*i*). Humbertus Delphinus Viennensis Alexandrino Patriarchatui, & Archiepiscopatui Remensi eodem tempore præfuit (*l*). Conradus anteà Metropolitanus Moguntinus, Sabinensis Episcopatus, & Salisburgensis Archiepiscopatus Præsul emicuit (*m*). Hugonem Drogonis filius Pipini dè Eristallo nepotem, Ecclesia Parisiensis, Rotomagensis, & Bajocensis, Episcopum, necnon Abbatia Gemmeticensis, & Fontanellensis, Abbatem, eodem intervallo temporis habuere (*n*). Et quidèm illum virum pium, & optimum fuisse, in suis ætatis memoriæ referunt (*o*). Felix subscripsit Concilio Toletano sextodecimo, titulo Episcopi Bracarensis, & Portucallensis (*p*). Teutboldus fuit simùl Episcopus Lugdunensis, & Lingoniensis (*q*). Pluresque alii pietate clari Antistites referri possent, qui antiquis temporibus binis simùl Ecclesiis præfuerunt: sed brevitati studentes, calamum temperamus.

11. Aliquos referamus, qui Episcopali, & Abbatiali beneficiis unà insigniti antiquitùs emicarunt. Memoratur à Duchesnio: *Hatto Moguntinus Archiepiscopus, quem cor Regis nominabant, cum ipse, ut ajunt, duodecim Abbatiis pręfuerit*: quem exuberantem Abbatiarum numerum paucos alios legitur attigisse (*r*). De Gauzelino Roberti Franciæ Regis notho, apud sui ęvi Scriptores laudatissimo (*s*), refert Helgodus, quod Rex *attribuit illi honores non modicos; Abbatiam S. Benedicti, quę est caput totius Ordinis Monastici, & Episcopatum Bituricensem* (*t*). Angilramus Episcopus Metensis, rexit Abbatiam Senonensem (*u*). Rainfredus Archiepiscopus Rotomagensis Abbatiæ Fontanellensi pręfuit (*x*). Hincmarus Laudunensis Abbatiam tenuit in tertiâ Provinciâ ultrà Metropolim Remensem (*y*). Ebbo Episcopus Hildesheimensis duabus Abbatiis fuit à Lothario Cæsare decoratus (*z*). Alios silemus, nè oneri Lectori simus.

12. Demùm nonnullos hìc memorabimus (præter superiùs recensitos) in quibus fuit Abbatiarum pluralitas aggregata. Intèr eos est Lupus Ferrariensis vir doctrinâ, & probitate celeberrimus, qui binis præfuit Abbatiis (*aa*). Alcuinus Flaccus cognomento Levita, è Britanniâ sub Carolo Magno ad Aulam Cæsaream accersitus, quinque Abbatiarum fuit moderator, & pastor, nempè S. Martini apud Turonenses; Ferrariensis apud Senonenses. S. Judochi in Diœcesi Ambianensi; S. Lupi in Diœcesi Tricassinâ; & Cormericensis (*bb*). Hilduinus Archiepaellanus Ludovici, irâ Principis in se contractâ, Saxoniam relegatus adivit: *Donèc ab exilio revocatus duarum fuerit Abbatiarum prælationi restitutus* (*cc*). Carolomanni, Carolo Calvo geniti, casum recenset Aimoinus, cum *plurimorum Monasteriorum Abbas reputatus, quià insidias ergà patrem suum in-*

fide-

(a) *Duchesne to. 1. fol. 218.*
(b) *Baron. an. 1177. num 92.*
(c) *Urbanus II. epist. 7.*
(d) *Thomassin. loc. cit § eadem.*
(e) S. *Basil. epist. 290*
(f) *Cangius Constantinopolis Christian. lib. 4 f. 189 n. 40.*
(g) *Surius in Vita S Audoeni die 25. Septemb.*
(h) *Cap. cum nobis 19. de election.*
(i) *Surius tom 5. die 15. Octobr.*
(l) *Reynald. ann. 1231. num. 40.*
(m) *Card. Baron. ann. 1157 n. 75.*
(n) *Spicileg. tom. 3. ann. 723. f. 206.*
(o) *Vid. supr. tom. 1. saecul. 7. cap. 15. n. 7.*
(p) *Vid. hic supr. tom. 3. cap 6. n 45.*
(q) *Chronic Gemmeticens. Thomassin. p. 2. lib. 3. c. 2. n. 16.*
(r) *Duchesne tom. 3. fol. 483. & 485.*
(s) *Fulbert. Carnotens. epist. 39. & 44.*
(t) *Helgodus in Vit. Roberti Regis.*
(u) *Thomassin. vet. & nov Eccl. discipl. p. 2. l 3 c. 3. n. 12.*
(x) *Idem loc. cit.*
(y) *Hincmar. Remens. tom. 2. f. 190. & c.*
(z) *Hincmar. loc. cit. fol. 104.*
(aa) *Thomassin. loc. cit. n. 7. § praesto.*
(bb) *Le Coint. ad ann. 924. n. 62.*
(cc) *Flodoard. Hist. Remens. l. 3 c. 2.*

fideliter moliretur, Abbatiis privatus, Silvanecti est custodiæ mancipatus (a). S. Gregorius Papa VII. in epistolis ad Manassen Archiepiscopum Remensem, declarat sè optare, ut Abbas ab eo electus pro Abbatiâ S. Remigii Remensis, præficeretur quoque Abbatiæ Monasterii Metensis (b): & sic de aliis, quos brevitatis titulo reticemus.

13. Nèc dicatur, quod post illa tempora leges plurimæ procusæ fuerunt, coacervationes beneficiorum in uno, eodemque Clerico interdicentes. Nàm primò, hæ leges beneficia quidem Choralia, & Curata, sive aliàs residentialia concernunt, non verò beneficia merè simplicia. Secundariò, leges ipsę tamquàm ab Ecclesiâ sancitæ, Ecclesiæ ipsius auctoritatem excipiunt; itaùt Ecclesia valeat justis de causis oppositum exercere illius ordinis, quem in præfatis legibus præfinivit. Et ità materiam hanc individualitèr intellexit D. Basilius, cum conquerentibus Coloniensibus, quod Euphronius eorum Episcopus, insimùl Nicopolitanam Cathedram retineret, respondit, ut conquiescerent, & Ecclesiæ pluralitatem illam Episcopatuum legitimis ex rationibus, admittenti, deferrent; quippè ad eam pertinet super Canonum Sanctionibus, pro opportunitate temporum, dispensare: ait enim: *dispensatum est quam optimè de fratre nostro dilectissimo Euphronio per eos, quibus rerum Ecclesiasticarum concredita est dispensatio, prout tempora exigebant &c. Nolite hoc humano consilio factum arbitrari, non consiliis hominum, qui terrena sapiunt: sed eos, quibus sollicitudo Ecclesiarum Dei, & cura incumbit, Spiritu ipsis Sancto cooperante, hoc procurasse arbitremini &c.* (c).

14. Hoc modo S. Medardus Noviodunensem, ac Fornacensem Episcopatus unà tenuit, *Metropolitani scilicèt, & Comprovincialium suorum evictus auctoritate* (d). Sanctus quoquè Osuvaldus eodem tempore beneficia, Episcopale urbis Vorcestrensis, & Archiepiscopale Metropolis Eboracensis obtinuit, fretus auctoritate S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, atque Angliæ Primatis: Dè quo in ipsius S. Osuvaldi vitâ scribitur: *auctoritate S. Dunstani Episcopatum Vigorniensem, unà cum Eboracensi sollicitè gubernavit* (e). Quod si auctoritate Concilii Provincialis, vel Metropolitani cum suis Suffraganeis: aut Primatis, licitum olim fuit decernere, ut aliquis bina simùl beneficia Episcopalia, vel Archiepiscopalia, posset legitimè retinere; nescimus videre, cur idipsum non potuerit, atque adhùc non possit fieri auctoritate Summi Ecclesiæ Pontificis, cum præter id, quod velut dè jure dici posset, certè tamquàm de praxi habeamus, quod Hadrianus Papa II. indulsit Actardo Nannetensem simùl, & Turonensem Ecclesias possidere (f). Alexander Papa III. Absalonem Roschildensi, unà cum Lundensi Cathedræ præesse permisit (g). Paschalis Papa II. Archiepiscopum Toletanum Segoniensi Episcopatu perauxit, superadditâ quadam aliâ Abbatiâ (h). Urbanus Papa II. Ausonenses infulas Tarraconensi Metropolitano concessit (i). Et ut unum, valens pro multis, exemplum afferamus; Eduardus I. Angliæ Rex assensum præbens Decano Burgensis Capellæ in Belgio, jàm ad Episcopatum Conventrensem promoto, ut Decanatum ipsum adhùc posset insimùl retinere, adjecit: *Si dispensationem ab Apostolicâ Sede accipiat* (l).

15. Omittimus infinita alia exempla, tùm antiqua, tùm recentiora, duorum, & trium Episcopatuum, uni, & eidem Clerico collatorum, ac in eis cumulatorum cum Abbatiis, aliarumque specierum beneficiis. Nàm hoc frequens jàm esse cernimus, & præsertìm in Germaniâ, necnon in sex Cardinalibus antiquioribus, qui Episcopatus Cardinalitios circà Romam positos, cum aliis Episcopatibus alibi existentibus consequuntur, obtinguntque modò Italis, modò Gallis, modò Hispanis, modò aliarumque Nationum proceribus. Quibus ità sè habentibus, rèque hâc jàm cursum obvium habente, à nullo sani consilii non laudatum, & approbatum; hìc tandèm ad concludendum argumentum descendimus hoc modo: Si potuit olìm, si potest nùnc, & si semper poterit fieri largitio

(a) *Aimoin. lib. 5. cap. 24.*

(b) *Gregor. VII. lib. 1. epist. 52. & 53.*

(c) *S. Basilius epistol 292.*

(d) *Surius die 8 Junii cap. 18.*

(e) *Surius die 15. Octobris tom. 5.*

(f) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. p. 2. l. 3. c. 3. n. 6.*

(g) Card. *Baron. ann. 1177. n. 92.*

(h) *Thomassin. loc. cit. p. 2. l. 1. c. 5. n. 5.*

(i) *Idem loc. cit.*

(l) *Constit. Reg. Angliæ f. 769.*

gitio duorum, atque plurium beneficiorum Episcopalium uni, & eidem Clerico; certè is, talitèr, ac talibus beneficiis insignitus, in aliquo ex eis necessariò exemptus erit, & immunis, nè debeat residere; cum vir unus non possit esse divisus, nec valeat in uno loco præsentiæ suæ copiam facere, quando in alio loco agens, stans, vel residens, reperitur. Si autem ex Apostolicâ dispensatione, plura beneficia Episcopalia insimùl alicui permittente, onus residentiæ personalis subtrahitur ipsis Episcopatibus, adeòque beneficiis, de naturâ suâ residentialibus; multò magis subtrahi potest beneficiis merè simplicibus onus residentiæ prefatę: siquidem beneficia residentialia, in uno Clerico, dispensatione stipato, coacervata fiunt, saltem respectu illius Clerici, de residentialibus quodammodò merè simplicia: cum hac solâ differentiâ, quod pro beneficiis residentialibus, sive incompatibilibus, dispensatio residentiæ datur in casibus singularibus, dispensatio verò residentiæ pro beneficiis merè simplicibus datnr generalitèr per Ecclesiam, sive per Papam, approbantem jura, & consuetudinem universalem, à beneficiis ipsis merè simplicibus residentiæ personalis debitum abscindentem. Et ità spectatis historiis usque modo recensitis, arguendo à majori ad minus, & à simili ad simile; convincitur evidentissimè, quod Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ debito immunes.

16. Et hæc sint satis dicta de exemplis pluralitatis beneficiorum in uno, eodemque Clerico cumulatorum. Si quis adhùc alia desiderat, consulat presens Opus in toto ejus decursu, & præsertìm in locis, quos notatos inveniet in margine (a). Nos etenim ad normam illius providi patris familias, de quo dicitur in Evangelio, quod *profert de thesauro suo nova, & vetera* (b); post adductas in præsenti Capitulo historias plurimas antiquiores, probantes immunitatem, & exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ, nùnc recentiores aliquas afferemus, idipsum validè comprobantes: ut novâ, & veteri serie historiarum in unum concurrentibus, enitescat, præfatæ immunitatis, & exemptionis veritatem, non posse fortiùs coustipari: perperàmque per Adversarios ipsam impugnari, quam pretèr jura, & rationes theoricas, etiam facta, & rationes practicæ, ex historiis, tùm vetustioribus, tùm recentioribus deductæ extrà difficultatis aleam ponunt. *Historia* siquidèm, ut inquit D. Gregorius Nazianzenus, *conglobata quædam, & coacervata sapientia est, hominumque multorum mens in unum collecta* (c). Tantâ ergò sapientiâ, menteque tot hominum comprobatur nostra sententia, quot historias in hac nostrâ lucubratione duximus referendas.

17. Et quidèm, ex plurimis aliis, hìc locum damus historiæ instructionis, quam Carolus IX. Rex Galliarum Oratoribus suis, ad sacrum Concilium Generale directis, quod in Urbe Tridentinâ celebrabatur, commisit. Eis namque seriò injunxit, ut pro residentiâ beneficiis ecclesiasticis adnectendâ, sive restituendâ, insistentèr agerent apud Concilium, & ut eâ de rè decretum synodale sanciretur, assiduè perurgerent. Ait enim: *Cumque plura sint beneficia, in quibus contrà beneficiorum omnium institutionem invaluit depravata consuetudo, ut qui ea possident, nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere ecclesiastico; Episcopus eum consilio Capituli bis beneficiis curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus parochialibus Ecclesiis uniat; beneficium enim sine officio esse, neque debet, neque potest* (d). Hæc verba satis clarè loquuntur de beneficiis curam animarum habentibus, quibus concionandi, Sacramenta ministrandi &c. inerat obligatio, ex pravo abusu tùnc iutermissa: non enim loqui poterant de beneficiis merè simplicibus; quippè Beneficiarii eadem possidentes, nedùm non tenebantur, neque tenentur prædicare, & Sacramenta ministrare, sed imò non id possunt sine Episcopi, & respectivè sine Parochi localis quoque licentiâ. Et ità si Rex instructionem prò residentiæ onere procurando, ad sola beneficia curata, sive residentialia

(a) *Vid. supr. tom. 1. sæcul. 11. c. 31 n 29. & tom. 3. cap. 9. n. 8. 9 &* c. 20. n. 13.

(b) *Matthæi cap. 13. num. 52.*

(c) S. *Gregor.* Nazianz. *ad* Nicobolum.

(d) *Van. Espen Jur. Eccl Univ p. 2. tit. 18. num 31.*

tialia coarctavit; omittendo beneficia merè simplicia, ostendit, quod ea censuit esse à residentiæ debito exempta. Argumentum enim à casu omisso, sive cum cœteris non nominato, quando poterat, & rationabilitèr debebat explicari, si loquens voluisset illum comprehendere; optimum est (*a*).

18. Verumtamen, quia Contradictores hujusmodi facto historico vim inferentes, illud ad significanda beneficia merè simplicia detorquent; Nos ad hominem eosdem constringendo, sic bicipiti appetimus argumento. Vel Rex loquebatur de beneficiis Curatis, aut aliter residentialibus, vel loquebatur de beneficiis merè simplicibus. Si primum, nihil ad nos: nàm ultrò concedimus, quod beneficia Curata, Choralia, aut alitèr residentialia, onus residentiæ à Beneficiariis exposcunt. Si secundum; ergò eo ipso quod tantus Princeps, tam avidâ anxietate fategit, ut à Concilio imponeretur Beneficiariis merè simplicibus debitum servitii personalis, & residentiæ, nec id tamen potuit obtinere; signum est, quod hæc erat petitio injusta, à legibus, & praxi Ecclesiæ dissona, talisque demùm, quæ non meruit exaudiri: sicque ex ipsorum Contradictorum documentis evidentèr apparet, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ, & servitii personalis debito exemptos; Si enim ab illâ exempti non essent, Concilium non negasset assensum tàm justæ petitioni: tanti Regis desiderio: ac tam opportunæ occasionis proposito. Quarè tota series facti nedùm non favet, sed imo retorquetur adversus Contradictores.

19. Nèc quidquam prævalet depravatio hujusmodi historiæ, sive divinatio illa, quam super eâ comminiscuntur Contradictores, dicendo cum Van Espen, quod *Synodus Tridentina hisce æquissimis postulatis aliquatenùs satisfecit, dum unionem hujusmodi beneficiorum, tamquàm primum medium, quo Ecclesiis parochialibus tenuioribus provideri posset, assignavit sess. 21. cap. 25. & sess. 23. cap. 18. de reform. Item beneficia simplicia Seminariis applicari, & incorporari voluit, atque sess. 24. cap. 15. de reform. ad augendas tenues præbendas in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, declaravit, quod liceret Episcopis, cum consensu Capituli, aliquot simplicia beneficia, non tamèn regularia illis unire &c.* (*b*). Non inquam id ullatenus prævalet, quandoquidem Concilium Tridentinum, præfata edendo decreta, id providè agendum duxit, & egit, quod Ecclesiæ universalis utilitati tunc censuit expedire: non verò sua regulavit decreta ad suppositam illam petitionem Caroli IX. Regis Gallorum, postolantis, ut beneficia merè simplicia residentiæ personalis onere gravarentur. Solam itàque, ut putamus, commoditatem Ecclesiarum, locorumque piorum, quibus beneficia ipsa simplicia uniri posse disposuit.

20. Et sanè cum Concilium ipsum Tridentinum de facto beneficia merè simplicia à residentiæ, & servitii personalis onere exemerit, hocque onus non nisi beneficiis Curatis, Choralibus, aut alio titulo residentialibus, & servitoriis, injunxerit, prout latè suprà probatum est (*c*); patet, quod Concilium decreta edendo per Van Espen recensita, nihil prorsus de insistentiâ Regis Galliæ cogitavit, sed de solo consilio opitulandi necessitatibus Ecclesiarum. Cœterùm valdè à verisimili abest, quod Carolus IX. Rex unquàm in mente habuerit satagere, ut residentiæ, ac servitii personalis onere gravarentur beneficia merè simplicia; quippè cum Rex Galliarum infinita propemodum beneficia in suo Regno contineat, ad ejus nominationem liberam conferenda, Clericis sibi benè visis, undecumque venientibus, & ubicumque commorantibus, vix credibile est, quod voluerit sibi manus alligare, nè beneficia, quæ usque tunc potuerat, pro suo libito, Clericis, de se benemerentibus, etiam nullibi residentibus, impertiri, non posset inposterùm nisi Sacerdotibus distribuere, insignitis illis qualitatibus, quas residentiæ onus exposcit; & sic tàm sibi manus implicare; quàm Clericis beneficio augendis nunquàm anteà consuetum onus iniicere. Itàque ex toto hujusce historiæ successu satis opportunè convincitur, quod Beneficiarii merè

(a) *L. si vero §. de viro ff. soluto matrim. Cravet. consil. 90. n. 2.*

(b) *Van Espen. Jur. Eccl. par. 2. tit. 18. num. 32.*

(c) *Vid. hic supr. cap. 13. à n. 33.*

merè simplices, sunt à servitii personalis, & residentiæ debito immunes.

21. Paulò antè Caroli IX. tempora sedit in Romanâ Cathedrâ Marcellus Papa II. vir summæ probitatis, parisque austeritatis, ac tantæ, ut & consanguineorum à se affectum arcuerit, & omnem fastum ablegare, & stationarios milites abiicere, & cunctam penè pompam externam Pontificię majestatis à se cogitaverit elongare (*a*): Qui tamquàm Legatus Apostolicus Concilio Tridentino interfuerat: qui severiorem disciplinam in omnibus solebat amplecti: qui tandèm sub primis Pontificatus sui diebus animum in Beneficiarios intendit, ut eos ad residendum apud proprias Ecclesias impelleret (*b*). Nihilominùs ad hoc onus Beneficiarios merè simplices non adegit. Et quemadmodùm ipse, dum anteà Cardinalatus fungebatur honore, beneficia merè simplicia sine scrupulo ponderis residentiæ possedit; ità Pontifex factus, aliis beneficia similia retinere permisit, & respectivè de novo concessit, nullâ hujusce oneris adjectâ lege. Non longo temporis intervallo post Marcellum II. successit in Pontificatu Sanctus Pius V. doctrinâ, probitate, zelo ecclesiasticæ disciplinæ, ac severioris observantiæ spiritu celeberrimus: qui dum adhùc in minoribus, Cardinalatus purpurâ præfulgeret, plura ecclesiastica beneficia merè simplicia possedit. Pontifex factus, multas Abbatias, & beneficia similia Michaeli Bonello Cardinali, ejusdem Pronepoti concessit. Viginti & ultrà Cardinales creavit, innumerosque Prælatos, quibus, non minus ac aliis infinitis propemodum Clericis, Romanæ Aulæ sequacibus, simplicia contulit beneficia: nec unquàm sibi scrupulum fecit, vel quod ipse aliquandò talia sibi beneficia retinuisset, vel quod, ad Summum Pontificatus apicem sublimatus, consimilia beneficia, cœteris absque personalis servitii, & residentiæ legibus tradidisset.

(a) *B. Platina Vit. Pontific. Marcell. II.*

(b) *Idem Platina loc. cit.*

22. Subsequentèr floruit in Ecclesiâ S. Carolus Borromæus, Præsul inclytus, doctus, pius, zelator ecclesiasticæ disciplinæ, ac omnibus numeris gloriosissimus, qui inter cœteros reditus ecclesiasticos, ultrà Archiepiscopatum Mediolanensem, duodecim Abbatias possedit (*c*), ac diù retinuit: donèc sub fine vitæ plurimas earum abjecit, resignans tamen ipsas, non quià deberet, ac non posset apud eas residere, sed quià sibi, aliùndè diviti, & proventibus, tùm ecclesiasticis, tùm patrimonialibus, lautè ditato, erant superfluæ. Tamquàm ergò Cardinalis plura beneficia merè simplicia tenuit, absque eo, quod in eis resederit. Uti Metropolita Provinciæ Ecclesiasticæ Mediolanensis, in suis Synodis Provincialibus, beneficia ipsa sine residentiæ onere possideri posse decrevit, proùt ex sanctionibus suprà suo loco relatis (*d*). Uti demùm Archiepiscopus, & Pręsul Ecclesię Mediolanensis, sub eadem libertate à residentiæ debito, beneficia merè simplicia & contulit, & conferenda esse sancivit: Edictum etenim de residentiâ proponens, noluit illius debito esse adstrictos nisi Beneficiarios curatos, & chorales, aut alio titulo residentiales, excipiendo eos, qui de jure, vel consuetudine ab hujusmodi onere exempti essent; hæc inter cœtera edicens: *Jubemus omnibus quicumque ecclesiastica beneficia curata, vel non curata in titulum, aut commendam obtinent, quæ tamen personalem residentiam jure, vel consuetudine requirunt, si quâ non residendi studii causâ præmissâ facultate tueri, ac defendere se posse arbitrantur, quominùs ipsi in suis resideant beneficiis, ut eam ad idem tempus, suprà respectivè præscriptum nobis, aut Vicario nostro exhibeant; alioquin sciant nos de eis pœnas esse sumpturos, quæ contrà non residentes constitutæ sunt* (*e*).

(c) *Giussan. Vit. S. Carol. l. 2. c. 2.*

(d) *Vid. hic supr. c. 13. n. 14.*

(e) *S. Carol in Edict. de resid. 10. Januarii 1567. in Act. Eccles. Mediol. par. 1. f. 450.*

23. Idipsum alii permulti Pontifices, Cardinales, & Episcopi, sanctitate, doctrinâ, & zelo ecclesiasticæ disciplinæ percelebres, & generalitèr cuncti Papę, cuncti Cardinales, & cuncti Episcopi, usque ad præsens observarunt: necnon Prælati, & Abbates: Clerici, & Sacerdotes: Regulares, & Sæculares: omnes tandem viri ecclesiastici, quinimò & laici, nedùm privati, sed etiam Principes, & Monarchę, Imperatores nimirùm, Regesque Galliæ, Castellæ, Aragoniæ, Lusi-

Lusitaniæ, Hungariæ, Poloniæ, & quotquot in orbe sunt, ad quos hùcusque pertinuit beneficia ecclesiastica vel conferre, vel suscipere, vel respectivè ad ea præsentare; omnes inquam beneficia ipsa sine personalis residentiæ debito contulerunt respectivè, aut susceperunt, vel retinuerunt, sive ad ea nominarunt, nec unquàm per 18. sæcula, ex quo Christus suam fundavit Ecclesiam, ullus in dubium vocavit exemptionem ipsam. Nullus conscientiæ scrupulis actus est propter præfatæ residentiæ defectum. Nullus tandem illùc pervenit, ut sciret hanc novam Contradictorum Theologiam, obligantem Beneficiarios merè simplices ad personalis residentiæ officia in locis, in quibus propria beneficia possident, exhibenda.

24. Nemò ignorat quantâ integritate inter recentiores floruerint S. Franciscus de Sales, Episcopus Genevensis; S. Thomas de Villanovâ, Archiepiscopus Valentinus: S. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetiarum, aliique plures, piissimi, ac doctissimi Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Ecclesiâ postremis hisce sæculis emicarunt. Roberti Bellarmini, ac Cæsaris Baronii Cardinalium, doctissimorum æquè, ac piissimorum, memoria in benedictione est; quibus adnumerandi sunt, Franciscus de Ximeneæ, Petrus Berullius, Robertus de Nobilibus, & nudius tertius Marcellus de Aste, ac Joseph Maria Tommasius, Cardinales, doctrinâ, & probitate notissimi: Innocentius demùm Papa XI. vir piissimus, ac zelantissimus: atque innumeri alii Cardinales, & Papæ: Prælati quoque, atque Abbates: Sacerdotes, & Clerici, vitæ integritate laudabiles. Hi omnes & contulerunt, & respectivè tenuerunt beneficia merè simplicia, nullo in eis exhibito personali servitio: nec ideò tamen quisquam ausus est illos hinc impetere de prævaricatione naturalis, vel divinæ legis: & ex hac omissione ipsosmet pro peccatoribus reputare, ac in statu damnationis reponere. Sed potius de illis ità operantibus, accommodè ad causam nostram, operæ pretium est cum D. Prospero effari: *Isti tàm sancti, & tàm perfecti* viri, suis *factis evidentèr clamant, posse, & debere fieri, quod fecerunt. Qui utique homines, tàm secularum, quàm divinarum rerum, sine ambiguitate doctissimi, si scivissent*, beneficia merè simplicia debito servitii personalis obstringi, *nunquàm ea debuissent* sine tali onere, vel aliis conferre, vel sibi talitèr sine scrupulo retinere (*a*).

(a) S. Prosper. de Vit. Contempl. lib. 2. c. 9. relat. in cap. 33. caus. 12. quæst. 1.

25. Omittimus, pluries Romanam Purpuram à magnis, maximisque Principibus fuisse cum Cardinalatus honore susceptam, vixque ullam esse Regionem, sive Regnum, & Principatum Catholicum, ubi aliquis ex Regali, vel Ducali familiâ Vaticanum muricem non induerit. Ex Augustissimâ familiâ Austriacâ in Germaniâ imperante, fuit Andreas Cardinalis Maximiliani II. Imperatoris ex fratre Nepos: & ex eadem in Hispaniâ regnante, fuit Ferdinandus Cardinalis, Philippi tertii Hispaniarum Regis filius. Christianissima Burbonia soboles, in Galliâ regnans, dedit Ecclesiæ Cardinales Carolum, & Ludovicum. Regalis prosapiæ Regum Lusitaniæ germina fuerunt Jacobus à Calisto III. & Henricus à Paulo III. in Cardinalium numerum cooptati. Regiam Navarræ stirpem sui productricem habuit Ludovicus Cardinalis Alibrettanus sub Pio II. Ex generoso sanguine Regum Poloniæ Cardinales fuere Andreas Batorius sub Gregorio XIII. & Joannes Albertus sub Urbano Papâ VIII. Paritèr inclyta propago Regum Cypri genuit Hugonem Cardinalem de Lusignano: Regum Siciliæ stirps pepererit Joannem Cardinalem de Aragoniâ, Reges Angliæ inter suos agnatos habuerunt Henricum de Lancastro, Robertum de Arluno, & Reginaldum Polum Cardinales amplissimos. Demùm Amedeus, & Mauritius è Ducibus Sabaudiæ: Conradus ex Palatinis Rheni: Philippus ex Ducibus Bavariæ: Simon, Ludovicus, Carolus, & Nicolaus ex Ducibus Lotharingiæ: Albertus Brandemburgicus, plurimiqui alii proceres ex Mediceâ, Estensi, & Farnesiâ familiis in Italiâ dominantibus, nostra tempora præcessere, qui ostro Cardinalitio rutilarunt.

26. Hi omnes autèm, cum Cardinalatus honore, beneficia simùl Archiepiscopalia, Abbatialia, Episcopalia, Pręposituras, Decanatus, aliisque titulis decoratas præbendas habuerunt, absque eo, quod unquàm resederint, neque personalitèr ministraverint in Ecclesiis, in quibus erecta erant beneficia à se possessa, quę merè simplicia esse agnoverunt. Isti omnes verò, dum viverent, fueruntnè prævaricatores legis Dei, contemptores sacrorum canonum, legis naturalis violatores; in continuo demùm statu peccati mortalis, & morientes ad tartara sunt damnati, quià beneficiis illis merè simplicibus, earumque Ecclesiis personalitèr non servierunt? Tot Regiæ, tot Ducales stirpes, tot Principes, Imperatores, ac Reges, pro trabeâ Cardinalitiâ, quâ suos filios, aut fratres, aut agnatos, indui satagerunt, sese unà cum illis, ignis æterni voluminibus, sicuti stultus esset, involverunt? Absit: Et tamèn res ità se habere videretur, si opinio Contradictorum subsisteret. Nàm quotiès sine gravi culpâ personale opus, & residentia non posset à beneficiis merè simplicibus separari; præfati Principes, Cardinalatus honore fulgentes, fuissent jugitèr in peccato mortali, & in eo mortui essent, ac per consequens ad Tartara damnati, retinendo ut suprà beneficia merè simplicia, nec apud eadem residendo, sive illis personalitèr deserviendo. Reges quoque talem dignitatem suis agnatis procurantes, quos prævidebant, apud beneficia simplicia non residendo, culpam, & quidem, ut supponitur, gravissimam, incursuros, à peccato immunes fuisse non viderentur. Verùm stultus nimium esset, si quis talia seriò auderet effari: hocque sufficiat, ut inferatur quid sentiendum sit de opinione Contradictorum, in id incumbentium, ut Beneficiarios merè simplices onere residentiæ personalis involvant.

§ § §



ALIÆ



ALIÆ PROBATIONES IMMVNITATIS BENEFICIORVM MERÈ SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT XV.

In quo afferuntur variæ Rationes POLITICÆ ; *probantes, quod Beneficiarii merè simplices immunes sunt, & esse debent à debito Residentiæ, & Servitii personalis in loco beneficii exhibendo.*

SUMMARIUM.

1 *Adjectio oneris residentiæ Beneficiariis merè simplicibus omnibus est perniciosa, politicè ergò ab Ecclesiæ liminibus est arcenda.*

2 *Si distributio beneficiorum merè simplicium sit à superioribus ecclesiasticis pleno jure, attenuatur illorum potestas novo hoc onere residentiæ.*

3 *Si in præfatis beneficiis habent Principes juspatronatus, redundat in illorum detrimentum, quod beneficia ex liberis fiant residentialia.*

4 *Hæc novitas non jura Principum tuetur, sed evertit. Tàm ipsi, quàm Prælati egent adjutoribus, & modo illis præmia præbendi.*

5 *Durandus ostendit, Episcopos ægrè suas Ecclesias posse regere, si non habent quid sibi deservientibus elargiantur. Idem est de Principibus.*

6 *Si beneficia simplicia spectant ad patronatus laicorum, valdè illis perniciosum est eadem residentiæ debito superonerare, & cur.*

7 *Gravosum est Clericis possidentibus beneficia simplicia residentiæ onus, quod nec etiam Regnicolæ in sè susciperent.*

8 *Videmus, quod omnes conferunt, & respectivè suscipiunt beneficia simplicia, vel ad ea nominant, absquè quod in eis fiat residentia.*

9 *Isti autem omnes, vel conferendo, vel nominando, vel suscipiendo beneficia illa, damnarentur. Hoc autem non est dicendum.*

10 *Valet argumentum ab officio ad beneficium. Officia politica multa sunt, quæ dantur non residentibus. Ipsa Regna tenentur à non ibi residentibus, prout Imperator, & Rex Hispaniæ habent diversa Regna.*
11 *Cur Princeps præesse potest Regionibus, in quibus non residet; Clericus autem non potest beneficiorum simplex sine residentiâ possidere.*
12 *Interdùm officia Politica, Judicialia, Militaria, & Aulica possidet, qui ibi non residet. Non debent Clerici deterioris esse conditionis, quàm laici.*
13 *Lex compatibilitatis, seu immunitatis ab onere residentiæ sicut stare potest officiis sæcularibus, ità etiam stare potest in beneficiis simplicibus.*
14 *Cur ecclesiasticis beneficiis merè simplicibus hoc pondus addendum est servitii personalis, quod officio politico nullatenùs adderetur?*
15 *Parochi non permittunt Beneficiariis simplicibus baptizare, prædicare &c. Quid faciant ergò apud Ecclesias campestres? Varii homines rebus inutilibus incumbebant.*
16 *Consuetudo eximens Beneficiarios merè simplices, tàm valet, ac si hæc immunitas res esset jure naturæ, lege scriptâ, pacto, & statuto definita.*
17 *Consuetudo hęc non est nova, sed antiqua, & in cunctis orbis partibus observata: quam tollere nihil confert ad essentiam pietatis, sed ad turbandam Ecclesiam.*
18 *Politicè non expedit consuetudinem latè diffusam, etiam si aliqualitèr noxiam, abrogare: quantò magis tollere consuetudinem præfatæ immunitatis.*
19 *Consuetudo hęc tolli non potest nisi à Papâ ex publicâ necessitate, quę non adest. Comitia Regni Neapolis non convenerunt, ut pro illâ tollendâ agatur.*
20 *Novitas hæc est damnosa Regibus, Episcopis, Clericis, & Magnatibus, quia coarctat libertatem Ecclesiæ, de quâ ipsi participant.*
21 *Damnosa tandèm est etiam viris ordinis inferioris, & cur? Itàque onus residentiæ beneficiis merè simplicibus non inest.*
22 *Et quatenùs alicubi, novitas hæc esset introducenda, id agendum esset supplicando Papæ, ut immunitatem à debito residentię abrogaret.*

1. NEMO sapiens, intentum Contradictorum, satagentium arctare Beneficiarios merè simplices ad onus residentiæ, perpendet, quin agnoscat eorum conatum à cunctis rectę politiæ regulis aberrare. Quandoquidèm si id, quod verum est, & palpabile, velimus attendere, necessariò fatendum erit, novi hujus oneris adjectionem, sive excitationem esse cunctis, qui in beneficiis interesse habent, multiplicitèr perniciosam. Perniciosam dispensatoribus beneficiorum: perniciosam susceptoribus eorundem: perniciosam clericis: perniciosam laicis: perniciosam superioribus: perniciosam subditis: omnibus demùm perniciosam: quia prætèr perniciem, nihil est boni, quod ab eâ valeat expectari: adeòque laudabilis politiæ leges deposcunt, ut ipsa ab Ecclesiæ liminibus arceatur: quis enim amplectatur malum, foveat malum, det locum malo? A malo, quæ Respublica, qui cœtus hominum, aliquid boni potest excerpere? Malum esse abiiciendum, dogma est, quod probatione non eget: cum experientia rerum magistra, eo probationis loco deserviat.

2. Et quidèm tàm distributoribus, quàm susceptoribus beneficiorum, perniciosum est Beneficiarios merè simplices personalis residentiæ debito urgere. Quippè distributio beneficiorum, vel fit à superioribus ecclesiasticis per liberam collationem, vel à Principibus, aut à Privatis per viam nominationis, aut præsentationis. Si beneficiorum merè simplicium distributio fit à superioribus ecclesiasticis, qualis sunt Papa, Episcopi, & alii Ordinarii collatores, certè valdè illo-

illorum intereſt poſſe Clericos, ſibi bene viſos,ad ſimplicia beneficia provehere, quod facere non valerent, ſi beneficia ipſa oneri perſonalis reſidentiæ ſubeſſent: beneficiorum enim, quibus non eſt adjectum onus reſidentiæ, omnes Clerici, dummodò ſolâ primâ tonſurâ Clericali initiati, & modò quartumdecimum agant ætatis annum, ſunt capaces: ad illa verò, quæ debito reſidentiæ adſtringuntur, neque ſola tonſura, neque ſola ætas præfatæ ſufficiunt, ſed alii ordines, aliæ qualitates, & aliæ prærogativæ requiruntur, quæ libertatem Collatorum attenuant, nè illa poſſint ſibi benè viſis Clericis impertiri. Uno verbo, ſi quibus uſque modò ſe gratos exhibuerunt, vel remuneratores obſequii Eccleſiæ præſtiti, vel ſibi ſervitutis impenſæ, porrectione alicujus ſimplicis beneficii; non id ampliùs facere poterunt in futurum, niſi Clericus beneficium ſuſcepturus illis fuerit qualitatibus inſignitus, quæ neceſſariæ ſunt ad beneficia reſidentialia: hoc autem in illorum ingens præjudicium evidentèr noſcitur redundare.

3. Si quoquè diſpenſatores beneficiorum merè ſimplicium ſint Principes, Magnates, & Reges, juſpatronatus in eis, aut jus nominationis habentes; proculdubiò in magnum detrimentum vergit eorum Regiæ poteſtatis, novum hoc onus reſidentiæ, Beneficiariis merè ſimplicibus ſuperadjectum: nàm promovendos ad beneficia eccleſiaſtica, præſertim ad Epiſcopalia, vel Abbatialia, magnoſque reditus fructificantia, præſentare, ſive de illis reſpectivè aliâ ratione diſponere; poteſtas eſt conſpicua in Principe, honor magnus, prærogativa præclara, quàm Philippus Pulcher Rex Gallorum in diſſidiis illis notiſſimis, quæ habuit cum Bonifacio Papâ VIII. aſſerebat eſſe jus ſuæ Coronæ Regiæ connexum: & Rodulphus quoquè I. Imperator juſpatronatus, quod habebat ſuper quibuſdam beneficiis, ſeu poteſtatem de illis diſponendi, contendebat eſſe jus *ex antiquâ, & approbatâ conſuetudine* Cæſareæ ſuæ dignitati condebitum (*a*): tanti ponderis eſt, tantique meriti apud Principes reputatur poſſe de ſacris præbendis, & beneficiis eccleſiaſticis ex Eccleſiæ conceſſione diſponere. Quâ igitùr ratione Principes magnifaciunt poteſtatem, & libertatem præſentandi, ſive alitèr nominandi Clericos ſibi benè viſos ad beneficia ſui Regii patronatus, vel de iiſdem beneficiis liberè alio titulo diſponendi; eâdem etiam ratione pro quadam ſpecie regalis juris habebunt, ipſamet beneficia, ab eorum largitione dependentia, quæ à reſidentiæ debito hùcuſque immunia, & exempta fuere, ab ipſius reſidentiæ onere præſervare: nec poteſt ipſorum beneficiorum natura immutari, quin vulnerentur prærogativæ illorum Principatus: immutatur autèm proculdubiò natura beneficiorum merè ſimplicium Regii patronatus; ſi eiſdem uſque nùnc reſidentiæ onere denudatis, nova ſervitus reſidentiæ, atque ſervitii perſonalis ſuperaddatur.

(a) *Goldaſt. Conſt. Imper. tom. 3. fol. 446. poſt ann. 1286.*

4. Quarè quicumque pro hâc novitate introducendâ depugnant, non jura Principum tuentur, ſed violant: non majeſtatem cuſtodiunt, ſed deſtruunt; non regias prærogativas propugnant, ſed impugnant; attenuant demùm, & imminuunt libertatem, quâ uſque nùnc Principes ſunt potiti: nec dubium eſt quin contrà rectæ politiæ regulas operentur. Sed ſive beneficia conferantur pleno jure ab eccleſiaſtico Superiore, ſive à Principibus jure patronatus, ſive nominationis titulo diſpenſentur, utrorumque nimium intereſt, quod liberè valeant ea ſine reſidentiæ perſonalis debito diſpenſare. Nàm neque Papa, neque Prælati eccleſiaſtici; neque Reges, neque Principes temporales, omnia per ſe ipſos facere valent, nec debent; ſed egent adjutoribus, & miniſtris, quorum operâ & Provincias, & Diœceſes, & Regna, & Principatus regant, & conſilia ineant, & legationes obeant, & alia munia ſibi neceſſaria exequantur. Si hoc enim humana conditio, & terrenus vivendi modus inevitabilitèr poſcit, ut nullus ſibi ſufficiat, ſed unuſquiſque aliorum hominum indigeat adjutorio: quâ de rè Tullius, *omnis ratio, & inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat* (*b*); quid quæſo de Principibus dicemus, qui nec minimam agendorum partem per ſe

(b) *Juglaris Scuola della Verità. Verit. 8. §. 6.*

se ipsos valent facere, ac interdùm non ea debent obire?

5. Insinuat hanc veritatem Durandus Episcopus Mimatensis in voto, quod exhibuit Patribus Concilii Generalis Viennensis, ostendens, quod Episcopi non habentes quid possint sibi deservientibus impertiri, ęgrè suas Ecclesias, quibus præsunt, regere valent (*a*). Idipsumque proportionalitèr habet locum in Principibus indigentibus adjutorio ministrorum, quorum operâ valeant statum politicum sui Principatus opportunè moderari. Nam sive Pręlati, sive Principes opus habeant operâ Clericorum, pro regimine suæ ditionis; quid istis dabunt, ut eorum servitia, & labores, in obsequium sibi, & Ecclesię, aut reipublicę, impensos, aliquali retributione compensent? Nummos? non semper habeat. Officia militaria? Dedecent Clericos. Beneficia residentialia? Hęc non tàm lucrum, quàm grave onus pręseferunt; neque cunctis Clericis indistinctè concedi possunt, sed illis tantùm, quibus inest aptitudo, ętas, & prærogativę ad illa necessarię. Restat ergò, ut si habeant beneficia merè simplicia, liberum illis sit ea posse sine personalis residentię onere Clericis sibi deservientibus, vel alitèr de se benemerentibus, impertiri. At quoties residentię onere graventur etiam beneficia merè simplicia; en Pręsules Ecclesiæ, ac respectivè Principes Christianos nudatos emolumento illo, quod liberum habebant ad mercedem aliquam retribuendam Clericis de se benemerentibus, collatione alicujus beneficii simplicis, vel nominatione ad illud.

(a) *Vid. Bailon sum. Conc. tom. 2. in Concil. Viennens. f. 459. n. 6.*

6. Si demùm beneficia merè simplicia ad juspatronatus Laicorum inferioris ordinis pertineant; expedit, quod à residentię onere sint exempta, tùm quià cum ab initio fundata fuerint absque hujusmodi onere; justum est, ut in primevâ eorum libertate serventur. Tùm etiam quià donec beneficia sunt novo illo pondere destituta, possunt ad illa Patroni pręsentare Clericos quoscumque, minorum ordinum, inferioris ętatis, valentes ubique liberè commorari, sive pro literis discendis; sive pro ministeriis œconomicis suæ domus exercendis: sive pro famulatu alicui Pręsuli ecclesiastico utilitèr exhibendo; sive pro aliis actionibus obeundis, quę Clericus liber implere potest; sępiusque habebunt ipsimet Patroni filium, nepotem, consanguineum &c. ętate, literaturâ, & moribus sufficientem ad beneficium, residentię debito carens, quem ad illud poterunt pręsentare; nec verò fortè habebunt idoneum ad beneficium residentiale: proindèque patronis laicis non est utile, sed perniciosum, quod Beneficiarii merè simplices residentię onere pręgraventur. Sanè si legem ederet Pontifex, beneficia merè simplicia residentiæ vinculis implicantem; quid non clamarent Patroni beneficiorum? Quibus ululatibus non obstreperent Principes, & privati beneficiorum ipsorum per viam pręsentationis distributores? Fidem publicam lędi assererent, onus indebitum excitari, jugum insolitum beneficiis apponi: nec vociferare cessarent, donec lex abrogaretur (*b*).

(b) *Card. Pallavic. Istor. del Concil. lib. 8. c. 17 d. n. 3.*

7. Respectu quoque suscipientium, sive Clericorum, qui beneficia merè simplicia sunt inposterùm suscepturi, aùt illa jàm adepti sunt; nimium præjudiciale est eos ad servitium personale, atque ad residentiam apud Ecclesias, ubi erecta sunt beneficia, coarctari: tàmque grave illis est hoc in insolito superonerari pondere, quàm grave, & intolerabile est viro libero, catenâ qualicumque innecti, aliterque vinculis alligari. *Omnibus grave servitutis jugum esse debet, in libertate educatis*, inquit Cicero (*c*): proinde cum Beneficiarii merè simplices cernent se, alioquin liberos, ad vitam in locis campestribus transigendam adigi, vel longè à propriâ patriâ, vel omninò in montibus, aut planis, aerisve acuti, crassi, vel corrupti, ubi sitæ sunt Ecclesiæ, in quibus erecta sunt eorum beneficia merè simplicia; quis non audiet eos de hujusmodi superadditâ servitute dolere, & nimiùm perniciosum hoc onus sibi esse clamare? Profectò petimus à Contradictoribus, an Clerici, Presbyteri, Abbates, Prælati, Antistites, & Cardinales illius Regionis, cujus beneficiis asserunt, sive nugantur debere

(c) *Philipp. 3. Servitus §. omnibus.*

bere personalitèr deserviri; an inquam illi beneficia merè simplicia ibidem possidentes, velint residere apud Ecclesias in saltibus, & locis campestribus, vel in angustis villis, & oppidis constitutas, in quibus eorum erecta sunt beneficia? Certè vix unum reperient inter mille, qui assensu præbeat, Ut quid ergò contrà extraneos hanc residentiam inculcare, si eandem & ipsi indigenæ renuunt adimplere?.

8. Intèr rationes paritèr politicas nullatenùs incongruum judicamus hanc afferre, quod si Beneficiarii merè simplices ad onus servitii personalis, & residentiæ, prout contendunt Contradictores, adstringuntur; necessariò dicere oportebat, quod infinita hominum multitudo damnetur: hoc autem dicere, atque in populis divulgare, ac tamquàm verum, & certum asserere, proculdubiò contrà leges laudabilis politiæ est, quippè hoc posset nimiùm validam in gentibus commotionem, & in Ecclesiâ scandalum excitare. Nàm supposito, quod vigeat præfatum debitum, cùm ex praxi quotidianâ videamus, quod quantum spectat ad Collatores beneficiorum, vel Nominatores ad ea; omnes Papæ, omnes Episcopi, omnes Ordinarii, vel delegati, ad quos pertinet beneficia ipsa merè simplicia conferre; omnes demùm Principes, & privati Clerici, & Laici, quorum est Clericos ad beneficia ipsa nominare, vel præsentare; omnes, inquam, sine onere personalis residentiæ beneficia merè simplicia dispensant. Sic & quantum spectat ad susceptores beneficiorum, dietim cernimus Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, & Patriarchas, Abbates, Præpositos, Parochos, Canonicos, omniumque ordinum Clericos, beneficia merè simplicia suscipere, suscepta possidere, possessa non dimittere, & nunquàm in eis residere, vel personalitèr operari.

9. Isti omnes autèm damnabuntur, vel beneficia ipsa sic retinendo, vel retinentibus respectivè cooperando: Quod nemo non videt quantam in ipsis, & in cunctis quoque aliis possit parere commotionem: quantum sit ecclesiastico statui contumeliosum, Collatoribusque, ac Patronis beneficiorum, eorumque susceptoribus injuriosum. Nèc parvi esse momenti hanc rationem esse putemus, quandoquidem illâ utitur S. Antoninus ad probandum, quod sit licitum plura beneficia ecclesiastica possidere, *quià*, inquit, *nimia multitudo damnabitur, si dicatur esse mortale* (a). Sicut ergo laudabili politiæ obest asseverare, quod illicita sit pluralitas beneficiorum, quià insereretur in opinione hominum perniciosa persuasio, quod infinita personarum quantitas perpetuis inferni ignibus damnaretur; ità rectæ politiæ legibus adversatur contendere, quod Clerici possidentes beneficia merè simplicia, ad onus personalis residentiæ teneantur, quià ex eo quod nec ullus eorum, nec ullibi, residentiæ operam dant; oporteret, quod infinita ipsorum congeries perpetualitèr damnaretur: Argumentum etenim à pari procedit, & de similibus idem est judicium (b). Igitùr politicâ hac ratione satis probatur, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ personalis debito exemptos.

10. Aliam rationem politicam deducimus ex proportione beneficiorum ecclesiasticorum ad officia publica: sicut enim à beneficiis ad officia valet argumentum (c); sic & ab officiis ad beneficia identidem valet (d). Itàque omnis humana Respublica, sive sub Monarchico regimine subsistens, sive sub Aristocratico, sive sub Democratico, quæ sunt præcipuæ, ac perfectiores species humani regiminis, ab imperfectioribus distinctæ, quales sunt Oclocratia, Oligarchia, Pinecocratia, Poliarchia &c. (e): hoc habet jus, ut sua officia, tàm singularia, quàm geminata, cum stipendiis, & proventibus eorum, liberè valeat uni, vel pluribus judicibus, & officialibus, non modò residentibus, sed etiàm nullatenùs residentibus in loco muneris, impertiri (f), quod adeò certum est, ut id negare, sit veritatem agnitam impugnare, & experientiæ quotidianæ obniti. Longum esset per singula Regna vagari, & notare, quot, & quo-

(a) *S. Antonin. p. 3. tit. 15. c. 2. §. 9. f. 262.*

(b) *L. non possunt. & l. seq. ff. de legibus Barbos. tr. var. loc. 102 num. 2.*

(c) *Mandos. ad Reg. 32. Canc. q. 2. n. 2. Barbos. ubi suprà loc. 14. cum aliis.*

(d) *Oliban. de jure Fisci c. 13. n. 61.*

(e) *Pio Rossi Convit. Moralin his verbis.*

(f) *Vid. Barbos. Jur. Canon tom. 6. in fin. tit. ommissa tit. 3 de Cler. conjug. n. 1. 31. & 17. fol. 359.*

quotiès, ac quibus plures insimul præfecturæ, sive militares, sive judiciales, sive œconomicę, sive alitèr politicæ à Principibus conceduntur, absque eo, quod hoc in eis reprehendatur, ac de peccato damnetur. Sed quid loquimur de Prefecturis inferioribus? Ipsa Regna, & Imperia, Ducatus, & Dynastiæ in uno, & eodem Principe cumulantur, ideòque cernimus, quod *Romanorum Imperator*, prætèr Imperium, cui præest, simul est Rex Germanię, Hungarię, Boemiæ, Croatiæ, Dalmatię, & Sclavoniæ, Archidux Austriæ, Dux Transilvaniæ, Stiriæ, Carinthię, Carniolę, Vvirtembergæ, Mantuæ, ac Mediolani, Comes Tyroli, & aliarum ditionum supremus est Princeps. *Rex Gallorum*, Navarræ, atque Galliarum Rex est: Armonicæ quoque, sive Britanniæ minori, quæ olim proprium Regem habebat: necnon Delphinatui, cui proprius quandòque Princeps inerat, aliisque Dominiis, & Principatibus præest.

11. *Rex Hispaniarum*, est simul Rex Castellæ, & Aragoniæ: Legionis, & Gallicię: Murcię, ac Valentię: Majoricę, ac Indiarum: & plurium aliarum Regionum, quæ in diversis orbis partibus reperiuntur. *Rex Portugalliæ*, est simul Rex Lusitaniæ, & Algarbii, Brasiliæ, ac multarum ditionum, quæ in Asiâ, Afri câ, & Americâ, illius regimini parent. *Rex Poloniæ*, est insimul Magnus Dux Lituaniæ, Dux Volyniæ, Russiæ, Prussiæ, Podoliæ, aliarumque Dynastiarum, quas Corona Polonica moderatur. Idem dicendum est de aliis Regibus, Ducibus, & Principibus Christianis, qui pluribus Provinciis, & Principatibus præsunt, in quibus non resident, quorum vix interdùm numerum sciunt: quos nunquàm viderunt, & nec fortè unquàm poterunt personalitèr intueri. Cur autèm quæsò liberè, & licitè potest unus Princeps plura Regna, & vasta Imperia tenere, in eis præsentialitèr non consistens; non potest verò unus Clericus unum, vel plura beneficiola merè simplicia retinere, absque eo, quod apud illa præsentialitèr commoretur? Si dicatur, hæc esse beneficia ecclesiastica, illa verò officia politica; jàm prævenimus instantiam, ostendendo, quod ab officiis ad beneficia optimè valet argumentum. Si addatur, posse plura officia Regia, vel Ducalia, in uno Principe cumulari, quià ubi per se non residet, præest per alios; idipsum & nos dicimus, quod Beneficiarii merè simplices, ubi per se ipsos non ministrant, supplent per alios: ergò viget utrobique par ratio.

12. Et quoàd officia inferiora: quis ignorat, quantæ præfecturę sunt, Judiciales, Militares, Consulares, Maritimæ, Oeconomicę, Aulicæ, alteriusve speciei, quę à Principibus conferuntur viris sibi magis acceptis, & gratis, undecumque accersitis, ubicumque consistentibus, tamquàm congiaria, munera, virtutis prę mio affectæ signa, benemerentiæ remuneratæ indicia, retributionis emblemata: mensurata interdùm beneficentiâ magis à magnanimitate Collatoris, quàm à merito susceptoris; conferuntur, inquam, viris non eadem officia per se actualitèr exercentibus, neque morantibus in locis, undè illorum officiorum proventus accipiunt, atque ubi officia ipsa, quantum est de se, essent alioquin exercenda. Dicant qui rerum politicarum notitiam habent: quibus negotia Principum sunt perspecta: quorum indoles arcana Principatum perscrutatur; dicant quot, & quotiès officia sæcularia conferuntur non residentibus apud ea. Hisque ità se habentibus, petimus cur quęso in solâ Republicâ Ecclesiasticâ hic modus deesse debeat munerandi Clericos benemerentes? Cur carebit Ecclesia facultate, sua præmia tradendi, tàm illis Clericis, qui actualitèr in loco, ubi resident, vel animas regendo, vel choralitèr psallendo, Deo, ac ipsi Ecclesiæ deserviunt; quàm aliis quoque, qui alibi commorando, tametsi non animas regant, neque choralitèr psallant, alio tamen modo, beneficiorum merè simplicium proprio, ipsis Deo, & Ecclesiæ famulantur? Clamant jura, clamant Doctores, non debere Clericos esse inferioris conditionis, quàm sint laici: Et tamèn si laicis patet accessus ad officia politica, licèt in eis non resideant: Clericis verò aditus iste non patet ad beneficia merè simplicia sine onere residentiæ;

pro-

profectò deterioris conditionis erunt Clerici, quàm sint Laici.

13. Adhùc politicè sic ratiocinamus. Beneficia ecclesiastica alia sunt incompatibilia, nempè curata, & choralia, sive alitèr residentialia, & alia sunt compatibilia, nempè merè simplicia; quâ de rè latè Jura (*a*), & Doctores (*b*). Per hocque differunt inter se, quod incompatibilia de jure possideri non valent insimul ab eodem Clerico, quatenùs ambo præseferunt onus residentiæ personalis, nec potest ipse Clericus uno, & eodem tempore in locis dissitis residere. Compatibilia verò ideò sic dicuntur, quià compati simul possunt in uno, & eodem Clerico, quatenùs nullum residentiæ onus involvunt. Ista autèm ratio compatibilitatis, seu immunitatis, & exemptionis ab onere residentiæ, sicuti stare potest in regimine magnorum Regnorum, aliorumque officiorum, quæ in sæculari Rempublicâ dispensantur, (uti paulò antea demonstravimus, & quotidiana praxis evincit), ità etiam stare potest in regimine parvulorum beneficiorum, quæ sunt officia per Republicam Ecclesiasticam distributa. Et quemadmodùm contrà rectæ politiæ leges esset velle cunctos Principes, & Præfectos ad residendum, & personalitèr ministrandum, in singulis quibusque locis, ubi erorum Principatus, & munera sunt constituta, quià subverterentur mores, & praxis, ac ordo politicus compatibilitatis ibidem usque nùnc observatus; ità contrà rectæ politię leges est velle cunctos Beneficiarios merè simplices residentię laqueis implicare, quià subverterentur mores, & praxis, atque ordo ecclesiasticus compatibilitatis, usque nùnc in iisdem beneficiis universalitèr observatus.

(a) *Conc.Trid. sess.7. cap.4. cap. de multâ de præbend. c. quià nonnulli de Cler. non resid. Extrav. execrabilis de præbend.*

(b) *Garcia de benef. p.11. c.5. Lotter. de rè benef. l.3. c.13. Barbos. jur. Eccl. univ. l.3. c.13 n.173. & c.14. num.20 &c.*

14. Rursùs si lex communis ecclesiastica, possessores beneficiorum merè simplicium eximit ab onere residentiæ; cur isti Beneficiarii sunt ad residentiam personalem urgendi? In ipsis Ecclesiis beneficiorum adsunt interdùm, & sæpè signa, & adminicula ostendentia, quod Beneficiarius ad nullum officium personale tenetur, (uti si fundator beneficii nullum onus missarum, vel alterius operis ecclesiastici injunxit; si beneficium est erectum in Ecclesiâ solitariâ, & campestri, sine domo, quam inhabitet rector; vel sine campanâ, quâ possit populus convocari; aut sine alio onere, quàm aliquotiès in anno, aut semel in mense sacrum faciendi); si hęc, vel similia concurrant adminicula, vel indicia voluntatis Fundatoris, quæ satis clarè demonstrant ejus intentionem fuisse constituendi beneficium liberum, & immune à servitute ministerii personalis; cur quæsò nùnc est ejus immutanda natura, mens Fundatoris movenda, prisca libertas beneficio detrahenda: ipsumque demùm beneficium, ac ejus possessor est servituti residentię personalis improvidè subiiciendum. Possetnè hoc onus Præfecturis, & Officiis politicis injungi, ex naturâ suâ liberis, & à tali debito exemptis? Certè nequaquàm! Eccur ergò iniici potest, aut debet Beneficiariis merè simplicibus?

15. Et ut res ponatur in praxi, perpendamus quæsò, quid facere debeant Beneficiarii merè simplices toto anno apud Altaria, & Oratoria, Ecclesiolasque, ut plurimùm campestres, & solitarias, in quibus erecta esse solent hujusmodi beneficia? Si ex istorum fundatione nullam habent adjectam obligationem, quid ibi facere debent? Si ad celebrandum tenentur semel, vel bis, aut aliquotiès in anno, aut in mense &c. celebratione peractâ, quid ibi facere debent, ubi nec etiam, ut in pluribus, domus adest, in quâ refectionem sumant, vel ab imbribus se defendant. Si eos verbis D. Bernardi pulsemus, dicentes: *quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? &c. Baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, reconciliate pænitentes &c* (*c*). Ad quid hæc declamatio? Statim occurrent Parochi locales, talibus actibus obsistentes, quippè cum hæc facere sit officia parochialia exercere, nolunt Parochi ea fieri à Beneficiariis merè simplicibus, quibus jura parochialia non competunt. Quid ergò ibi facere debent toto anni tempore ipsimet Beneficiarii? Cœlum, die, ac nocte, non secus ac

(c) *S. Bernard. ad Odonem ep.197.*

Tycho Brahe, telofcopii intueri (*a*)? Vel uti Democritus faciebat, terram, ubi dulciores enafcantur cucumeres perfcrutari (*b*)? Quid? Mufcas aculeis configere, quemadmodùm confueverat Domitianus (*c*)? Vel eo modo, quo fe relaxabat Auguftus, talis, ofcillis, atque nucibus lufitare (*d*)? Quid? Aranearum telas, uti Heliogabalus ponderare (*e*); Vel arbores patulas, prout folebat Xerfes, coloratis tæniis perornare (*f*)? Quid ibi quæfo debent facere toto anni decurfu? Plauftellis depingendis operam dare, uti faciebat Dionyfius Junior (*g*): Vel conftruendis lucernulis incumbere, ut agebat Æropus Macedo (*h*): Ludere cytharâ, prout defipiebat Nero (*i*): Vel quemadmodùm Agefilaus terebat tempus; fuper arundinem equitare (*l*)? Et ut facros etiam homines hìc appofitè memoremus; Quid ibi debent facere Beneficiarii merè fimplices? Sub dio femper immobiles permanere, uti Sanctum Simeonem Stylitam (*m*); Vel armenta circumducere, uti Sanctum Spiridionem Trimituntenfem (*n*); Vel cum volucribus canentibus cantitare, uti Sanctam Rofaliam Catanenfem, legimus facere confuevifie (*o*)? Perpendat benignus Lector, & judicet.

16. Demùm politicè hęc fubjungimus. Quidquid fit, an de jure beneficia merè fimplicia refidentiam Beneficiarii depofcant necnè; certum eft, quod de confuetudine oppofitum fervatur (*p*): Confuetudo autèm æquipollet veritati (*q*): Confuetudo habet vim parem cum lege (*r*): Confuetudo dicitur alterum jus naturę (*s*): Confuetudo facit de non licito licitum (*t*): Confuetudo poteft, quidquid poteft expreffum pactum (*u*): Confuetudo demùm iifdem viribus pollet, quibus pollet ftatutum (*x*): Et generalitèr confuetudo prævalet fuper jus, quià ejufdem abrogandi vim habet (*y*): Eftque communis vox Canoniftarum, quod confuetudo femper prejudicat juri, prout latiùs docet Innocentius pluribus inductionibus ex ipfo jure defumptis (*z*): Ergò immunitas Beneficiariorum merè fimplicium confuetudini innixa, ejufdem ponderis eft, ac fi jure naturæ, lege fcriptâ, pacto, & ftatuto definita effet. Sicut autèm contrà rectę politię ordinem ageretur, fi quis vellet abolere omnes alias res, quæ folius confuetudinis vi fubfiftunt: quippè earum confuetudo habet vim quandam legis naturalis, & fcriptę, pactique expreffi, ac ftatuti; fic & contrà rectę politiæ ordinem eft velle abolere exemptionem Beneficiariorum merè fimplicium à debito refidentię, quippè generalis confuetudo fubverteretur, conftipata eâ efficaciâ, quam diximus, & talis, quę jàm radices egit inconvulfibiles.

17. Profectò confuetudo hęc non eft recens, non de novo emergens, non paucis ab hinc diebus excogitata, fed eft antiqua, immemorabilis, centenaria, & plufquàm centenaria; imò quingentenariam, & fexcentenariam tranfcendit ætatem. Nullaque pars eft orbis Chriftiani; non Oriens; non Occidens; non Aquilo; non Meridies, in quo locum univerfalitèr non obtingat. Eam admittit Italia, obfervat Germania, retinet Gallia, tuetur Hifpania, approbant Portugallia, colit Polonia, frequentant Hungaria, Boemia, Dalmatia, Croatia, & quotquot Regiones, ac Regna funt, quæ fidei Chriftianæ dant nomen. Adeòque illam nùnc velle deftruere, eft idem, ac velle difciplinam ubique diffufam improbare, & totam Ecclefiam fubvertere. Nèc fine naufeâ legi poteft, quanto conatu, & quàm præcipitosè in hac exemptione carpendâ fe gerant Contradictores, non fecus ac fi totam fummam Chriftianæ perfectionis, totamque quinteffentiam ecclefiafticæ difciplinæ in hoc articulo collocarent; arctandi Beneficiarios merè fimplices ad onus perfonale in beneficii loco exercendum; & cohærentèr eifdem fubtrahendi exemptionem, atque immunitatem, quâ ufque modò potiti funt ab onere refidentiæ. Articulo fanè defpicabili, parvipenfione digno, penè nullius momenti, ac tali, quod velle præfatos Beneficiarios merè fimplices perfonalis refidentiæ vinculis implicare, non eft aliud, quàm ex unâ parte nihil, vel vix quidquam conferre ad effentiam pietatis, & ad nervum ecclefiafticæ difciplinæ. Ex alterâ verò parte magnas turbulentias in Ecclefiâ exci-

(a) *Ex vita Tychonis Brahe Menoch. straten. erud. cent. 7. cap. 77.*
(b) *Laertius l.9.c.17 Plutarch. l.1.qu.Convival.*
(c) *Eutrop. l.9. c.3. Sveton. in Domitian. Sabellic.l.2.c.9.*
(d) *Sveton.Tranquil. in August.*
(e) *Lampridius in Heliogabalo.*
(f) *Herodot. lib. 7. Ælian.l.2. var lect.*
(g) *Alex. ab Alex. genial.l.3.c.21.*
(h) *Plutarchus in Demetrio.*
(i) *Sveton.Tranquil. in Nerone.*
(l) *Ælian.l 12.Plutarch in Lacon. Apophtegm.*
(m) *Surius in vit. S.Simeon.Stylit. die 5. Januar.*
(n) *Metaphrast. in vit S Spirid.Lipoman. tom. 5. Surius tom. 6.*
(o) *Setajol p 1.Oration.12.de S. Rofalia.*
(p) *Borel.fum.decif. to.1.tit.20 à n 247 Seraph.decif.639.n.5.*
(q) *L.1 ff de fervit. Bald. conf. 289. lib.4. Barbof tr.var. Axiom 36.num.2.*
(r) *L.de quibus ff.de legib.C.fin. de confuet. Gratian. difcep. for.c. 801.n.11.&12.Bellet. difquif. Cler. de fav. Cler.perf § 3. n.10.*
(s) *Surd.de alim tit.2 n.7. Tufc pract.Concl. to.2.lit. C.Concl. 806. num.16.*
(t) *Gutier.pract l.3. q.29.n.22. Barbof loco cit.n 3.*
(u) *Bald. conf. 349. lib.5.Gemin.conf.139. n.1.in fin.*
(x) *Barbof ubi fupr. tract var. Axiom.56. num.11.*
(y) *Leg.de quibus ff. de legibus Innoc. in c. ex parte nu.1. de confuet.*
(z) *Innoc.in titul. de confuetud.rubr.4. n.3.*

excitare, ac generalem convellere morem, quo Christianus Clerus vivit ubique.

18. Quarè stante irrelevantiâ materię, periculoque imminente, ac vi consuetudinis præfatę, ubilibet, atque apud omnes Nationes profundissimè radicatę; omninò desistendum est ab hoc onere residentiæ promovendo. Si etenim politicè non expedit, & contra studium servandæ publicæ pacis est, consuetudinem, latè diffusam, & profundiùs radicatam, etiam aliquâ ex parte noxiam abrogare: undè scripsit D. Augustinus: *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, tamen novitate perturbat: quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosâ, consequentèr noxia est* (a); Quid dicemus de consuetudine fovente immunitatem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ? Consuetudine antiquâ, inconcussâ, constante, à cunctis Nationibus approbatâ: ex suâ naturâ laudabili: nulli noxiâ: omnibus fructuosâ? Itàque totam præsentis controversiæ summam insimul conglobando, & eam ad rectæ politiæ verum ordinem dirigendo; patet, necessariò fatendum esse, omnibusque nervis, ac viribus defendendum, quod Beneficiarii merè simplices sunt, & esse debent à residentię personalis, in loco beneficii agendę, obligatione, ac debito immunes.

(a) *S. August. ep. 118 ad Januar.*

19. Nèc omittenda est pro ratione politicâ hęc ponderatio, quod cum consuetudo, pręsertim centenaria, & immemorabilis, habent vim privilegii ecclesiastici (*b*), valeatque idcircò argumentum à privilegio ad consuetudinem (*c*); non potest tolli Beneficiariis merè simplicibus pręfatæ immunitatis privilegium, nisi à Summo Pontifice, cujus est consuetudines abrogare, eo modo, quo privilegia quoque ipsa tollere valet; Sed hoc nonnisi de plenitudine potestatis, & solâ ratione publicę utilitatis facere solet (*d*). Istam autèm plenitudinem potestatis nullus Papa hùcusque interposuit, quod sciatur, ad tollendam consuetudinem, eximentem Beneficiarios merè simplices ab onere residentię. Hæc quoque publica necessitas, exposcens tolli pręfatam consuetudinem non adest: Imò, si verum dicere volumus, potiùs publica necessitas exposcit oppositum. Et quatenùs etiam aliqua Natio peroptaret, quod Beneficiarii mere simplices in suâ Regione personalitèr residerent, oporteret, quod Princeps, vel Rex, cum cunctis Ordinibus ejus Regni, ubi simul Ecclesiasticorum, Nobilium, & inferioris populi, delegati convenirent, rè maturè discussâ, deliberarent de abrogatione hujusce privilegii, sive consuetudinis, à Summo Pontifice postulandâ. Hęc autèm Comitia Regni nullibi celebrata sunt: Nullus Rex, nulla Natio, nullibi Ordines Ecclesiasticorum, Nobilium, atque Populi alicujus Regni apud Romanum Pontificem institere, ut pręfatæ immunitatis lex è suâ Regione tollatur: seù saltèm de hujusmodi petitione nulla hùcusque habita fuit notitia. Et signantèr in Regno Neapolis celebrata non sunt Comitia, neque Ordines Regni ullibi convenerunt, ut agerent de hoc onere introducendo, & exemptione pręfatâ totalitèr abrogandâ. Et quià quod alicujus Regni universalitèr negotium tangit, nec debet, neque potest arbitrio unius, vel alterius particularis Urbis, vel melius aliquorum Civium unius, vel alterius Urbis arbitrio regulari; pars Contradictorum est docere, quâ auctoritate ipsi & exemptionem præfatam tollere, & servituti personalis residentię Beneficiarios merè simplices subiicere connituntur?

(b) *Oldradus conf. 172. Ancharan. conf. 50.*
(c) *Oldradus conf. 146. in fin.*
(d) *Menoch. conf. 351 n. 21. Surd. consil. 103. num. 26.*

20. Porrò nedùm Rex, & Regni Ordines, illiusque Comitia non convenerunt, nec ulli mandatum dederunt, pro præfatæ immunitatis abrogatione promovendâ, sed & nec unquàm illam postulaturos esse credibile est. Nàm illis omnibus nimium hujusmodi novitas est damnosa. Damnosa est Regi, qui ubi nùnc ad beneficia merè simplicia sui Regii patronatus, quoslibet Clericos, ubilibet commorantes, illiusve famulantes, nominare valet; inposterùm hâc libertate minuetur. Damnosa quoquè est ecclesiasticis Superioris Ordinis, nempè Epi-

ſcopis, & Præſulibus, eâdem ex causâ libertatis, quam perdent, beneficia conferendi Clericis ſibi benè viſis, hùc, vel illùc permanentibus, quâ uſque adhùc potiti ſunt. Damnoſa paritèr eſt Clericis inferioris ordinis, quià ſi beneficia merè ſimplicia, ubilibet conſiſtentes retinere poſſunt, quis credat eos adeò dementes, ut sè localis reſidentię velint laqueis irretire? Damnoſa eſt inſuper Nobilibus, & Magnatibus, quià admiſsâ abolitione prænarratæ exemptionis, oportebit, quod eorum fratres, & filii, aut agnati, Clericalem vitam amplexi, exilium longè à Civitatibus, & nativâ domo ſuſcipiant, rurique commorentur, aut in locis campeſtribus, & ſolitariis, ubi ut plurimum ſitę ſunt Eccleſiæ, in quibus erecta ſunt beneficia merè ſimplicia, ſi ea voluerint adipiſci.

21. Tandèm damnoſa eſt viris inferioris ordinis arctatio Beneficiariorum merè ſimplicium ad reſidentiæ perſonalis onus: quippè nec ipſi, nec reſpectivè illorum filii, fratres, nepotes, agnati &c. pluſquàm unum beneficiolum obtinere poterunt, eoque obtento cogentur longè à nativâ domo conſiſtere: nèc eis licebit ad Romanam Curiam, ad Aulam Regiam, ad Urbes principaliores, pro fortunâ tentandâ, ſuiſve utilitatibus promovendis, inpoſterùm proficiſci: Aliaque ulteriùs & Principibus, & Privatis, & Clericis, & Laicis: Et Superioribus, & inferioribus obvenient præjudicia, quæ ſecundum leges laudabilis politiæ credendum non eſſe poſſe, nec debere ab illis deſiderari. Igitùr politicè loquendo, nedùm politicè non ſubſiſtit onus reſidentiæ perſonalis in Beneficiariis merè ſimplicibus; ſed imò potiùs expedire dignoſcitur, ut non ſubſiſtat: Et pro eo, quod ſit credibile dari manus ab Ordinibus Regni hujuſmodi oneris introductioni; magis prudens eſt, & rationabilius cogitare, quod ipſimet ordines alieno prorſus animo ſint ab hac novitate, illi obſint, ipſi reſiſtant; cum ſuperadjectio ſervitii perſonalis, & reſidentiæ Beneficiariis merè ſimplicibus evidentèr ſit res omnium hominum ſpeciebus notabilitèr pernicioſa.

22. Et quatenùs etiam in aliquo Regno, calcatis omnibus prudentiæ, ac rectæ politiæ rationibus; hæc novitas introducenda eſſet; repetimus, & centiès repetemus, quod hoc nonniſi favorabilitèr poteſt ab Apoſtolicâ Sede obtineri; proindèque ipsâ, rogando, & ſupplicando adiri debet: ipſam oportet ſemel, bis, ac tertiò, interpellationibus humillimis exorare: ipſius benignitas imploranda eſt: ab ipſa demùm petendum eſt ex gratiâ, quod ex juſtitiâ non poteſt ullatenùs obtineri. Quę ſupplicatio, quià uſque nùnc à nullo fuit apud Romanum Pontificem interpoſita, (nec quod unquàm interponatur, probabile eſt à Regno Neapolis, atque ab ejus Ordinibus, ad Comitia generalia convocatis, & ità ſupplicandum eſſe deliberantibus, rè maturè perpensâ, ac diligentiùs trutinatâ) propter ingentia pręjudicia, quæ cunctis generalitèr infert, quemadmodùm hùcuſque memoravimus; reſtat, ut politicè loquendo, hoc unum ſit finalitèr concludendum, quod Beneficiarii merè ſimplices ſunt, & eſſe debent à ſervitii perſonalis, & reſidentiæ debito immunes.



CA-

CAPUT XVI.

In quo prenotata immunitas, & exemptio Beneficiariorum merè simplicium ab onere Servitii personalis, & Residentiæ apud suas Ecclesias, probatur DECRETIS SACRÆ CONGREGATIONIS *DD. Cardinalium Romanæ Curiæ.*

SUMMARIUM.

1 *Problematicum videtur, an Decreta Sacrarum Congregationum, quę Romę celebrantur, habeant vim legis: Alii affirmans, alii negant.*

2 *Quibus rationibus utantur, qui negativam partem tenent. Nihilominùs potius adhærendum videtur affirmativæ cum Emanuele Rodriquez.*

3 *Allegatur Doctrina Nicolai Garciæ celebris Jurisconsulti, sentientis, declarationes Sacrarum Congregationum habere vim legis.*

4 *De quâ etiam rè quidquid sit, certum est eadem decreta magnam habere auctoritatem, nec ab illis esse recedendum sine ingenti fundamento.*

5 *Definitum est pluries per Sacram Congregationem, decretis ab illâ ędisis esse dandam executionem sine contradictione.*

6 *Referuntur tria decreta Sacræ Congregationis exclusiva oneris residentiæ à Beneficiariis merè simplicibus.*

7 *Non exigunt residensiam Capellanię, nisi ubi cautum est, ut Capellanus celebret per se ipsum: potest enim satisfacere per alium.*

8 *Innuuntur decreta favore Abbatum, Parochorum, & Canonicorum, quibus ex consuetudine abscissum est debitam residentiæ personalis.*

9 *Simplex beneficium obtineri potest ab agente annum ætatis quartodecimum: imò etiam à decenni, si Fundator beneficii sic præscripseris.*

10 *Beneficiati non sunt cogendi ad onera, quæ non fuerunt in erectione apposita, vel ad quę ex consuetudine non tenentur.*

11 *Duo difformia beneficia sub eodem tecto, uni conferre potest Episcopus, & uniformia quoque, si id admittat consuetudo.*

12 *Vetitum est beneficia simplicia convertere in curata: vel illa omnia Seminario unire: aut illis novum onus imponere.*

13 *Beneficia simplicia suns compatibilia cum Episcopatu titulari. Eadem à Fundatore destinata, ut sint simplicia, verti non debens in Canonicatus.*

14 *Affertur amplum Decretum Sacræ Congregationis vetans, ne Beneficiarii merè simplices ad residentiam cogantur, etiam stante penuriâ Sacerdotum.*

15 *Beneficiarii merè simplices non tenentur ad aliquod servitium personale, sed ad solum Officium Divinum: multàmque pro hâc immunitate prævalet consuetudo.*

16 *Recensentur plura decreta pro immunitate Beneficiariorum simplicium à residentiâ, nisi hæc in fundatione posita fuerit in præcepto.*

17 *Alia quoque decreta referuntur justificantia præfatam exemptionem à debito residentię, & servitii personalis.*

18 *Cum ergò tot habeamus decreta consonâ voce onus residentię excludentia; velle ipsam intrudere, est contrà omnem justitiam operari.*

AMBI-

1. MBIGUUM apud aliquos est judicium, ancepsque opinio, num Declarationes, & Decreta Sacrarum Congregationum, quas Romæ celebrant Eminentissimi Cardinales, juxta Constitutionem Sixti Papæ V. (a): aliorumque Pontificum; habeant vim legis (b). Et quodammodò problematice de hoc articulo ratiocinari quilibet posset: quippè & rationes, & auctores hinc indè adsunt, utramque partem viriliter propugnantes. Affirmativam tenent Emanuel Rodericus in suis quæstionibus Regularibus (c): Philibertus Marchinus in Tractatu de Sacramento Ordinis (d): Ludovicus Miranda in Manuali Prælatorum (e): Homobonus de Bonis in Tractatu de Examine Ecclesiastico (f): & alii plures, quos videre est apud Barbosam ex Jurisconsultis (g): & ex Theologicis apud Dianam (h): atque apud præfatum Rodericum: qui omnes rem ventilant ex professo, & rationes ponderant utrique parti arridentes. Porrò idem Homobonus fine ambiguitate pronuntiat: *Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium super Concilium Tridentinum, sunt, ut loquuntur Doctores, decisivæ, vim legis habent, & ut leges recipiendæ, utpotè latæ ex Pontificiâ commissione*. Et quod dicitur de Decretis Congregationis DD. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, locum habere quoque videtur in Declarationibus aliarum Congregationum, cum inter unam, & aliam non appareat discrimen, quod vim addat, vel detrahat illarum Decretis. Verùm pro negativâ opinione, stant Andreas Molfesius in suo Promptuario triplicis legis (i): Basilius Pontius in Tractatu de Matrimonio (l); Hurtadus de Mendozâ in Divum Thomam (m); Paulus Layman in Theologiâ Morali (n); Martinus Bonacina in Tractatu de legibus (o): & alii plures, quos singulariter recensere onerosum esset (p).

2. Hi Doctores in eâ opinione versantur, quod præfata Decreta sint Declarationes merè doctrinales, non secus ac Declarationes editæ ab egregiis Viris, super aliquo puncto in dubium vocato; deficereque in eis vim legis scriptæ, quià non sint solemniter publicata, cum promulgatio sit de intrinsecâ ratione legis: Necessarias demùm esse plures conditiones, quarum unâ cessante, præfata decreta pro authenticis non habentur, ideòque hisce de causis illa vim legis sentiunt non habere (q). Nihilominùs rè verâ illis inesse vim legis opinandum esse videtur, & ità sentiunt Doctores optimæ notæ (r), inter quos præfatus Emanuel Rodericus, excellens Theologus, materiâ funditùs examinatâ, concludit, quod quando Cardinales *proferant supradictas Declarationes, commissione Papali eâdem lege, quâ obligamur recipere declarationem Papalem, tamquàm veram, cum ad Legislatorem pertineat vera suarum legum intelligentia, prout dicitur in Jure (s), eadem nes obligamur recipere declarationes horum Patrum, tamquàm veras, & verè mentem ipsius Legislatoris attingentes. Ex quibus patet, quod tales declarationes authenticæ, dicendæ sunt declarationes definitivæ, quæ uti tales imponunt necessitatem, & in scriptis rediguntur, sicut declarationes ipsius Principis Legislatoris, secundum ea, quæ tradunt canones, & leges (t), quæ jus faciunt quoàd omnes (u)*.

3. Ex Canonistis quoque hâc de rè peregregiè tractat Fagnanus (x), qui sic loquitur: *Nicolaus Garcias in suo tractatu de Beneficiis, dicit: Quod attinet ad declarationes Sacræ Congregationis, certum est, eas non esse declarationes doctrinales, sicut latas à Doctoribus, & Jurisperitis, ut aliqui Theologi perperàm dicunt, sed esse declarationes diffinitivas, seu decisivas, vim legis habentes, & ut leges recipiendas, utpotè latas ex commissione Papæ, & à Personis habentibus interpretandi, & respondendi facultatem à Principe, ut apparet ex Bullâ Sixti V. &c. Et eadem Sac. Congregatio cuidam Abbatissæ Messanen, sic respondit. Eadem ratio habenda est de his, quæ scribuntur à Cardinalibus Sac. Congreg. Concilii Tridentini, nomine ipsius Congregationis, ac si à Papâ scripta essent. Et aliàs sic censuit: Decreta, & literæ Congregationis Concilii, semotis liti-*

(a) *Sixt. V. const. 74.*
(b) *Vid. suprà tom. 2. cap. 9. n. 8.*
(c) *Roder. qu. regul. to. 1. qu. 11. art. 1. & 2.*
(d) *Marchin. de Ordin. tr. 1. p. 1. c. 12. n. 16*
(e) *Mirand. tom. 2. qu. 16. art. 11.*
(f) *Homob. tr. 1. p. 2. c. 6. qu. 29.*
(g) *Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 4. n. 81.*
(h) *Dian. p. 3. tr. 10. ref. 29. & p. 5. tract. 2. ref. 96.*
(i) *Molfes. to. 1. tr. 9. c. 13. n. 43.*
(l) *Pontius de Matr. l. 5. c. 13. §. 2. n. 7.*
(m) *Mendoz. in 2. 2. vol. 1. disp. 84. sect. 2. §. 25.*
(n) *Layman, l. 1. tr. 4. c. 7. §. 7. n. 28.*
(o) *Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. pun. 8. n. 4.*
(p) *Vid. Rodericum, Dianam, & Barbosam locis cit.*
(q) *Vid. eosd. Barbos. Dian. & Roderic. ubi supr.*
(r) *Thom. del Bene de immunit. c. 14. dub. 5. sect. 2. à nu. 14. cum aliis ab eo cit. Fagnan. in c. quoniam de const. à n. 8. per totum lib. 1. Sylveira infrà citatus in hoc cap. n. 18.*
(s) *Cap. 1. de juram. calumniæ.*
(t) *Cap. inter alia de sentent. excom. lib. ult. Cod. de legib.*
(u) *Roderic. qu. regul. to. 1. qu. 1. art. 2. in fin.*
(x) *Fagnan. in c. quoniam à n. 8. de constit. lib. 1.*

litibus sunt executioni demandanda, nec super his sententia, nec decretum aliquod est faciendum. Et ità super declarationibus Sac. Congregationis, Papa statim dat Breve, & Auditor Cameræ monitorium in earum executionem, & Rota absque ullâ controversiâ, & disputatione amplectitur &c. Et quamvis declaratio sit facta ad instantiam alicujus, seu in casu particulari; tamen facit jus quoàd omnes, & in universum. Ità Fagnanus (*a*).

4. Sed quidquid sit etiam de doctrinâ Theologorum, & Canonistarum circà hujusmodi articulum; certè omnes in hoc conveniunt, quod decreta Sacrarum Congregationum *magnam habens auctoritatem*, ut inquit Sanchez (*b*). *Maximique ponderis sunt, & ab illis non est recedendum sine firmissimo fundamento*, uti prefitetur Diana (*c*). Ipsis demùm *ea auctoritas data est, quæ olim in Republicâ Romanâ Prudentibus, quorum responsa accipiebantur pro Jure* (*d*). Aliis honoris, & existimationis notis vim hujusmodi decretorum Sacrarum Congregationum prosequuntur Joannes de Sylveirâ excellens Theologus (*e*): Prosper Fagnanus celeberrimus Canonista (*f*): Ludovicus Engel (*g*): & alii, hac de rè agentes; ad quos Lectorem remittimus. Itàque nulli dubium est, quod quoties Sacra Congregatio semèl, atque iterùm in rè aliquâ pronuntiavit, (prouti paulò infrà videbimus fecisse in punctò exemptionis Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentię) sine magnâ temeritate à decisis per eam non est licitum diffidere.

5. Præsertìm cum circà hæc legatur universalitèr definitum: *Decreta, & literæ Sacræ Congregationis Concilii, semotis litibus, sunt executioni demandanda, nec super his sententia, aut decretum faciendum* (*h*). Itèm: *Decretis Congregationis, & literis Apostolicis desuper expeditis, parendum esse declaratur, antequàm contradicentes partes audiantur* (*i*). Rursus: *Decretis Congregationis, qui noluerit obtemperare, animadversione dignus judicatur, & cogendus est obedire ab Auditore Cameræ* (*l*). Et ità Romana Rota hujusmodi decretis plurimum defert, nec ullo modo eorum auctoritatem in dubium revocat (*m*). Et ità in foro est observandum, & juxtà ea judicandum (*n*): Adeòque per hæc satis probatam remanet vis, & auctoritas, quæ inest decretis Sacrarum Congregationum, ut pro ratione inconcussâ valeant deservire. Quarè sive faciant legem, sive non, hoc parum refert, dum constat illorum seriem esse sine contradictione ad effectum ab iis, ad quos pertinet, perducendam; nec in praxi esse ab eorumdem sanctionibus recedendum.

6. Itàque proposito pluries in Sacrâ Congregatione articulo, an Beneficiarii merè simplices ad servitium personale teneantur, & ad residendum personalitèr cogi possint in loco, ubi erecta sunt eorum beneficia; semper decisio prodiit negativa. Hincque circumfertur apud Doctores hujusmodi decretum: *Beneficia simplicia obtinentes cogere non potest Episcopus ad aliquod personale servitium suis beneficiis impendendum, cum ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine non teneantur nisi ad officium recitandum* (*o*). Circumfertur quoquè aliud, sub hoc tenore conceptum: *Abbates Abbatiæ carentis curâ, & Conventu, non sunt cogendi residere* (*p*). Tales namque Abbates sunt Beneficiarii merè simplices, ideòque à residentiæ, & servitii personalis debito immunes. Aliud quoquè Decretum habetur, ità perorans: *Beneficium obtinens, quod sit simplex, & sine curâ animarum, & extrà Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario* (*q*). Decretum hoc refertur quoquè ab Augustino Barbosâ in suis Collectaneis, ubi statim adjungit: *Nec fuit mens Pii V. in Bullâ de residentiâ editâ 8. Julii 1569. incipiens, Cupientes cogere habentes beneficia simplicia in eis residere* (*r*). Scimus declarationibus Sac. Congregationis non adhibendam esse fidem, nec in judicio, nec extrà, nisi quoties sint in authenticâ formâ, sigillo, & subscriptionibus debitis communita (*s*), sed illis decretis, de qui-

(a) *Garcia de benef. in præfac. tom 1. Barbos. jur. Eccl. univ. lib 1. c. 4. n. 81.*

(b) *Sanchez de matrim. to. 3 lib. 8. disp. 2. num. 10.*

(c) *Diana part. 2. trac. 10. resol. 29. in fin.*

(d) *Zip in analist. postrem jur. Eccl. enar in epist ad lector. Barbos loc cit.*

(e) *Joan de Sylveira Opusc. 2. resol. 25. n. 5. fol. 283.*

(f) *Fagnan. in cap. quoniam de constit. per tot. lib. 1.*

(g) *Ludov. Engel. Colleg. juris. part. 1. in proœm. n. 15. f. 19.*

(h) *Sac. Congr. apud Garciam de benef. in Præfat.*

(i) *Sac. Congr. Rit. in Terulen. 21. Jul. 1607. Barbos Sum Apost. decis. Collect. 243. n. 2.*

(l) *Sac. Congr. in Brundus. 25. Jan. 1603 Barbos. loc. cit. n. 1.*

(m) *Rot. coram Burat. dec. 479. & coram Cavaler. dec. 627. n 8. & alibi pluries. Barbos. jur. Eccl. univ l. 1. cap. 4. n. 81.*

(n) *Zip. loc. supra citato.*

(o) *Sac. Congr. apud Barbos. Sum. decis. Apost. Collect. 64. n 5.*

(p) *Sac. Congreg. Conc ap. Garc p. 2. c. 2. num. 179. Barbos. loc. cit. Collect. 4. n 1.*

(q) *Sac. Congr. apud Garc de benef p. 3. c. 2. num 9.*

(r) *Barbos. loc. cit. Collect 64. n. 6.*

(s) *Sac. Congreg. 2. Aug. 1631. ap. Murgo de benef. in princ.*

quibus loquimur, ſupponimus has qualitates non deeſſe.

7. Itèm aliud reperitur decretum ſic diſponens: *Capellania inſtituta à teſtatore cum verbis, ut beneficiatus ipſius Capellæ, omni die, ſeu ſaltèm quinquies in hebdomadâ celebrare teneatur, & ſi negligens fuerit, ipſe beneficiatus incurrat pœnam duorum ſolidorum, non cenſetur requirere perſonalem reſidentiam, nec exigit, ut perſonalitèr miſſam dicat* (a). De quibus etiam Capellaniis, quę ſunt beneficia merè ſimplicia, reperiuntur alia decreta, tenoris ut ſequitur: *Capellaniam babens non tenetur promoveri ad ſacerdotium, niſi in fundatione cautum ſit, ut Capellanus per ſe ipſum miſſas in Eccleſiâ celebret, ſed debet curare, ut per alium miſſæ in illâ celebrentur, neque erit ſatisfactum oneri, ſi miſſæ in aliâ Eccleſiâ celebrabuntur: nec perſonalem reſidentiam requirit, niſi alitèr in fundatione cautum eſſet* (b). Itèm: *Capellaniam obtinens non poteſt compelli ab Epiſcopo, ut ipſemet celebret, licèt in ejus fundatione diſponatur, quod Capellani celebrent, quod iſtis oneribus, rectè per ſubſtitutos ſatiſfit* (c). Rurſus: *Capellaniæ fundatione ſtante cum diſpoſitione teſtatoris, quotieſcunque vacaret, provideretur Capellanus, qui celebret, vel dicat tot miſſas qualibet hebdomadâ, non eſt neceſſarium præſentare Presbyterum, ſed ſufficit, quod miſſas dicat per ſubſtitutum* (d). Pariter: *Capella habens onus celebrandi miſſas, poteſt conferri ſimplici Clerico, niſi in fundatione cautum ſit, ut per ſe ipſum celebret* (e). Et iterùm: *Capellania babens onus duarum miſſarum qualibet hebdomadâ, non expreſſo, quod Capellanus per ſe ipſum celebret, non eſt ſacerdotalis* (f).

8. Sermo eſt hìc primo loco de Capellis, ſecundo verò de Capellaniis, inter quas licèt aliqua intercedat differentia, quod Capellæ ſunt illæ, quæ habent Eccleſiam propriam, & peculiarem; Capellaniæ verò non habent propriam Eccleſiam, ſed ſolummodò proprium Altare (g); tamen hic promiſcue ſumuntur, & pro beneficiis merè ſimplicibus conſiderantur: ideòque illis uti talibus non eſt neceſſarium præeſſe viros, in Presbyteratus ordine conſtitutos, (niſi aliud per fundatorem cautum ſit), ſed ſufficit eas Clericis conferri, qui cum per ſe ipſos celebrare non teneantur, onere quoquè perſonalis reſidentiæ non adſtringuntur. Hocque verum eſt non ſolùm in Capellaniis, & Capellis, ſed etiam in Abbatiis, & Canonicatibus, atque Parochiis alioquin reſidentialibus, quando ex privilegio, vel ex conſuetudine legitimè præſcriptâ, non tenentur Parochi ipſi, Abbates, vel Canonici in Eccleſiis ſuorum beneficiorum perſonalitèr miniſtrare: Et ità definitum reperitur, quod *Abbas Commendatarius Sanctorum Vincentii, & Anaſtaſii Amandulæ Firmanæ Diœceſis, Ordinis S. Benedicti, non tenetur reſidere in Abbatiâ: quamvis illa curam babeat animarum ſecularium, cum illa ſit exercenda per Vicarium Presbyterum ſecularem, ab Ordinario approbandum* (h). Ita paritèr decretum legitur quoàd Parochos: *Parochus Eccleſiæ, in quâ fuit conſtitutus Capellanus, cui ex inſtitutione Capellaniæ impoſita fuit tota animarum cura, ſeu perpetua Vicaria, quoàd Capellanus vixerit, non tenetur in eâ reſidere* (i). Demùm quoàd Canonicos: *Reſidere tenentur proviſi de Canonicatibus in Collegiatis Eccleſiis, præterquàm in duobus caſibus, primò quod Collegiata ſit ruralis, & propter ruinam in eâ ampliùs non reſideatur ex conſuetudine. Secundò quando reditus ſunt ità tenues, quod non ſufficiant ad ſuſtentationem victus, & adſit conſuetudo immemorabilis non reſidendi* (l). Vide quantum prævalet conſuetudo in eximendo Beneficiarios ab onere reſidentiæ.

9. His addi poſſunt alia decreta, ad rem, ſi non in recto, ſaltem in obliquo, facientia: quorum unum ſub hiſce terminis eſt conceptum: *Beneficium ſimplex obtinens non tenetur eſſe conſtitutus in decimoquarto anno completo, quia ſufficit inceptus* (m): Et quamquàm ut antè hanc ætatem obtineatur beneficium, Epiſcopus nullatenùs valeat diſpenſare (n), id præſcribere tamen poteſt, ſive diſponere, ejuſmet beneficii fundator, præſertim ſi erectio Concilium Tridentinum

(a) *Sac. Congr. Conc. apud Garcia in addit. p. 7. c. 1. n 87. Barboſ. loc. cit. Collect. 121. num. 15.*

(b) *Sac. Congr. Conc. ap. Garc. de benef. p. 7. c. 1. n. 87. & 93. Barboſ. loc. cit. Collect. 121. num. 13.*

(c) *Sac. Congr. Conc. apud Piaſec. prax. Epiſcopalis p. 2. c. 31. num. 33.*

(d) *Sac. Congr. Conc. ap. Gonzal. ad reg. 8. Canc. gloſ. 3. n. 73. 80 83*

(e) *Sac. Congr. ap. Alphonſ. de Leone de off. Capellani p. 1 qu 4 prax 6. n. 213. Barboſ. loc. cit. Collect. 120 n. 3*

(f) *Sac. Congr. apud Barboſ. Sum. Apoſt. deciſ. Collect. 121. n. 9.*

(g) *Barboſ. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 5. n. 25.*

(h) *Sac. Congr. Conc. ap Barboſ. Sum Apoſtol. deciſ. Collectan. 2. num 10.*

(i) *Sac. Congr. Conc. apud Barboſ. loc. cit. Collect. 649. n 9.*

(l) *Sac. Congr. Conc. ap. Garc. Barboſ. Collect. 559 n. 25.*

(m) *Sac. Congr. apud Barboſ. loc. cit. Collect. 64 n. 1.*

(n) *Idem Barboſ. loc. cit. n. 4.*

num præcessit (*a*): cum de jure antiquo ætas septem annorum sufficeret ad beneficia (*b*). Et ideò Sac. Congregatio decrevit, quod si fundator eligi posse voluit aliquem de suâ progenie *in rectorem beneficii, etiam si non esset nisi in minoribus, & purus Clericus; potest patronus præsentare filium suum, qui Clericus, in aliquo saltèm ex minoribus ordinibus constitutus, & alioquin idoneus reperiatur, etiam si suæ ætatis annum decimum non excesserit* (*c*). Quarè autem utrumque decretum sic ut suprà disponit, nisi quià Beneficiarii merè simplices sunt à residentiæ, & personalis ministerii debito immunes? Si enim Beneficiarius deberet personalitèr ministrare, missas ex sè celebrare, & alia beneficii onera per sè ipsum adimplere; in tàm exiguâ etate non admitteretur ad beneficium: sed admittitur, quià onera ipsa potest per substitutum obire.

(a) *Card. de Luca de Jurepatron. disc. 30 num 3.*
(b) *Idem Card. de Luca de Fideicomm. disc. 8. n. 16.*
(c) *Sac. Congr. apud Massobr. in prax. habend. concurs. requis. 7. dub. 12. n. 7.*

10. Alterum decretum legimus sub sequenti formulâ dictitatum: *Beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel ad quæ ex antiquissimâ consuetudine non tenentur* (*d*). Hæc declaratio Sacræ Congregationis generalitèr loquens, generalitèr quoquè de cunctis beneficia ecclesiastica possidentibus, est intelligenda, & consequentèr etiam beneficiatos merè simplices complectitur, tùm quia beneficiati merè simplices, tamquàm species, sub beneficiatorum genere continentur, tùm etiam quia à genere ad speciem in Jure optimè ducitur argumentum (*e*). Ad excutiendum ergò novum onus, sufficit verum ex his, vel quod illud in fundatione, sive institutione, aut statutis non reperiatur appositum, vel quod Beneficiarius ad illud ex antiquissimâ consuetudine non teneatur. At nedùm ex uno ex his capitibus, sed imò ex utroque, non est residentiæ onus adjectum Beneficiariis merè simplicibus; ergò hi ad personalem residentiam in loco beneficii exhibendam nullatenùs obligantur.

(d) *Sac. Congr. Conc. ap Barbos. Sum. Apostol. decis. Collect. 62. num 5.*
(e) *L. 1. ff. Si cert. petit Everard. in topicis legal loc. 6.*

11. Insupèr aliud aliquandò prodiisse decretum, in registris habetur, hisce præcisis verbis conceptum: *Beneficia duo simplicia difformia sub eodem tecto, ut quis obtinere possit, dispensare valet Episcopus, dummodò quodlibet per se non sit sufficiens ad sustentationem provisi* (*f*). E contrà verò de beneficiis uniformibus Sacra Congregatio definivit: *Beneficia duo uniformia sub eodem tecto absque provisione Sedis Apostolicæ obtinere non potest Clericus, nisi id dictet statutum, vel Ecclesiæ consuetudo* (*g*). Alibi quoquè decretum est: *Beneficium unum simplex habenti, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, potest Episcopus aliud simile conferre absque dispensatione Apostolicâ: sed non potest plura simplicia ultra duo usque ad sufficientem ejus sustentationem conferre, citra dispensationem Apostolicam* (*h*): quæ omnia si funditùs perpendantur, invenietur, vel totalitèr, vel penè omnimodè procedere ab exemptione, quàm beneficia merè simplicia secum ferunt ab onere residentiæ. Si enim hæc tali immunitate non fruerentur, Episcopus careret potestate conferendi eadem beneficia, tàm uniformia, quàm difformia, uni, & eidem Clerico.

(f) *Sac. Congr. Conc. ap. Garc. de benef. p. 11 c. 5 n. 377.*
(g) *Sac. Congr. apud Sellium in select. Canon. c. 21. n. 11. Barbos. loc. cit. Collect. 61. n. 21.*
(h) *Sac. Congr. apud Armeader. & Barbos. loc. cit. Collect. 64. n. 14 & Collect. 196. num. 14 & c.*

12. Sub oculis etiam habuimus aliud decretum Sacræ Congregationis, hæc continens, quæ sequuntur. *Beneficia simplicia in curata converti ab Ordinario non possunt* (*i*). Et alterum: *Beneficiorum omnium simplicium facta Seminario, unio non valet* (*l*). Itèm aliud: *Episcopus beneficiis simplicibus non potest novum onus imponere* (*m*). Cur autem beneficia simplicia in curata verti non possunt, vel Seminario uniri cuncta non valent, nisi quia non sunt de liberis in residentialia vertenda; nec tollendus est modus conferendi aliqua beneficia merè simplicia Clericis etiam alibi commorantibus, vel causâ studii, vel pro Episcopi, aut Principis, aut Ecclesiæ servitio, aut aliâ rationabili ex causâ? Demùm si Episcopus non potest beneficiis merè simplicibus novum onus imponere; ergò nec etiam onus residentiæ personalis illis potest adiicere, nullum enim fortè onus hoc gravius reperitur. Et si hoc non potest facere Episcopus, multò magis id facere non valent alii Episcopo inferiores. Alia tandèm decreta, per Sac. Congrega-

(i) *Sac. Congr. apud Garcia p. 11. c. 5 n. 3.*
(l) *Sac. Congr. Conc. ap. Alois. Ricc. prax. for. Eccl. dec. 492. & 720. alias resol. 183. n. 4 & 610 n. 10.*
(m) *Sac Congr. Conc. ap. Aldan. in Comp. Canon. res. l. 3. tit 9. nu. 49. Barbos. Collect. 296. n. 17.*

gregationes edita sunt, de beneficiis merè simplicibus agentia, quæ brevitatis gratia intermittimus; videat ea Lector apud Auctores, qui variis hujusmodi decretis colligendis operam dederunt, præsertim apud Augustinum Barbosam in suâ Summâ Apostolicarum decisionum (*a*), & apud Hieronymum Nicolium in suis Flosculis (*b*).

(a) *Barbos. Sum. Apostol. decis. Collect. 62. 64. & 121.*
(b) *Nicolius Flosc. Verb. Beneficium.*

13. Unum non est prætereundum, sub hac phrasi conceptum, quod licèt primò intuitu aliorsum tendere videatur, optimè tamen consecutivâ suâ significatione respectum habet ad causam nostram: ait ergò: *Beneficia obtenta, curam animarum, seu residentiam non requirentia, non vacant per promotionem ad Episcopatum titularem, nec resultat incapacitas ad similia obtinenda* (*c*). Per quod decretum patet, à Sacrâ Congregatione Concilii admitti beneficia merè simplicia, hæcque esse à residentiæ debito exempta, alioquin ut suprà retineri non possent. Aliud itidèm est decretum ejusdem Sacræ Congregationis sanciens, quod si Testator mandet, ex bonis à se destinatis erigi in aliquo Ecclesiæ loco Capellaniam cum designato onere missarum, ac reservationem juris patronatus, non potest ab Episcopo erigi ad altare majus, & statim sic erecta Capellania commutari in titulum Canonicatus, ejusque dos, sive fructus illius in massam Canonicorum conferri. Et si fiat; commutatio illa sic facta est nulla, etiam si consensus Patroni accesserit, atque Capellani à Testatore nominati, & etiam sub pretextu, quod Capella non possit construi in loco per ipsum Testatorem deputato (*d*). Cujus ex decreti serie satis patet, quod beneficia, quæ à fundatoribus destinata sunt, ut sint merè simplicia, & non possunt in residentialia converti, adeòque ipsa beneficia simplicia & sunt, & esse debent à residentiæ debito immunia.

(c) *Sac. Congr. in Bruar. 22. Dec. 1640. Barbos. loc. cit. Collect. 61. n. 31.*

(d) *Sac. Congr. Conc. in Aretin. 17. Febr. 1619. Barbos. loc. cit. Collect. 121. n. 16.*

14. Demùm affert Prosper Fagnanus præclarissimum decretum ab eâdemmet Sacrâ Congregatione Concilii editum, ab ipso sub hisce terminis expressum: *Episcopo Vintimilliensi, aliàs patenti, ut ob Sacerdotum Parochorum penuriam, ac populi frequentiam, posset revocare presbyteros absentes, habentes in Diœcesi undè viverent, atque in primis obtinentes Capellanias, ac beneficia simplicia, eosque cogere in Diœcesi permanere: Sacra Congregatio Concilii censuit non concedendum* (*e*). Nil clariùs legi potest pro exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere personalis residentiæ. Si enim nedùm ex sè redire ad Diœcesim propriam non tenentur, ut ibi operentur, & ministrent, sed imò nec etiam possunt licitè ad redeundum compelli, tametsi adsit penuria operantium in viâ domini, cui penuriæ alio modo est occurrendum, quàm coactione Beneficiariorum merè simplicium ad residentiam; patet evidentèr hanc nullatenùs cadere sub præcepto ex definitione Sacræ Congregationis: cujus decreta, vim legis habere, & in utroque foro obligare, latè probat ipse Fagnanus (*f*), ab omnibus legendus, qui de hujusmodi potestate velit ambigere.

(e) *Fagnan. in cap. cum omnes 6. de Constit. n. 36. lib. 1.*

(f) *Fagnan in cap. quoniam de Constit. à num. 3 per tot. l. 1.*

15. Relata quoquè inveniuntur apud Jacobum Pignatellium, Auctorem Neapolitanum, sive Regicolana satis notum, quædam alia decreta Sac. Congregationis Concilii, ad negotium nostrum facientia, quæ sub istis terminis concepta sunt. *In Mediolanensi: Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia ad aliquod personale servitium, eorum beneficiis impendendum, cum ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine isti non teneantur nisi ad divinum officium recitandum.* Itèm in eadem: *Collegiatæ non insignes non requirant residentiam, quando in eis suprà hominum memoriam solitum sit non residere. Et propterea non potest Ordinarius separare tertiam partem, & convertere in distributiones quotidianas* (*g*). Successivè addit. *In Parmensi: Non potest cogi obtinens Capellaniam, ut ipsemet celebret, licèt in jus fundatione disponatur, quod rectores celebrent. Nàm istis oneribus per substitutum satisfit.* Rursus: *In Cremonensi: Beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statuto non reperiuntur, & ad quæ ex antiquâ consuetudine*

(g) Pignatel. tom. 9. Consult. 134. n. 13. & 14.

non

non tenentur. Et iterùm: *In Legionensi: Beneficiatus Ecclesiæ ruralis, cui neque ex fundatione, neque ex legitimis Constitutionibus, aut ex præscriptâ consuetudine, onus celebrandi missas injunctum esse apparuerit, per Ordinarium cogi non debet, nisi ad solitum* (*a*).

16. Nonnulla alia decreta de hâc ipsâmet rè videre est apud Fagnanum, quorum unum ità concinit. *Sacra Congregatio censuit, dummodò in fundatione cautum non sit, ut Capellanus per se ipsum celebret, non teneri ipsum sacros ordines suscipere, sed per alium missarum oneri satisfacere posse*. Et in quâdam Compostellanâ: *Sac. Congr. censuit, missas celebrandas esse in Capellâ, sive per ipsum Capellanum, sive per alium, nisi secùs in fundatione cautum sit*. Itèm in aliâ: cum Fundator statuisset, ut Capellaniæ Rector quinquies in hebdomadâ celebrare teneretur, & si negligens esset, pœnam duorum solidorum incurreret; Sac. Congreg. *respondit, obtinentem hanc Capellaniam non teneri residere, nec personalitèr missam dicere* (*b*). Alia decreta idem Auctor in eodem loco recenset, ad quem Lectorem nostrum remittimus. Unum est ergò, quod nisi beneficium de sui naturâ sit residentiale, vel in ejus fundatione posita sint verba servitium personale expresè postulantia; rector ipsius ad residendum in loco ejusdem beneficii nullatenùs obligatur.

(a) *Pignatel.loc.cit. num.18.19.28.*

(b) *Fagnan.in cap. Ut Abbates de ætat. & qualit.n.65.70.l.1:*

17. Aliud decretum recenset Barbosa sub his verbis extensum. *Episcopum non posse antè ordinationem exigere ab Ordinandis promissionem de inserviendo certæ Ecclesiæ, etiam post obtentum beneficium simplex, residentiam non requirens* (*c*). Alia paritèr decreta recenset Nicolaus Garcia, sub his terminis loquentia, Sacra Congregatio &c. decrevit &c. *obtinens beneficium, quod sit simplex, & sine curâ animarum, & extrà Ecclesiam Collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario &c. Non fuit mens Pii V. in Bullâ de residentiâ editâ 8. Julii 1569. incipiens. Cupientes, cogere habentes beneficia simplicia, in eis residere &c. In unâ Calaguritanâ: Episcopus non potest cogere aliquem in beneficio simplici residere &c. Obtinens beneficium, licèt id sit titilus alicujus Sancti, dummodò sit simplex, non tenetur in eo residere, nec ad residendum eum cogere potest Episcopus &c. Congregatio censuit nihil innovandum in beneficiis simplicibus, quæ etiam Clericatus nuncupantur, in Ecclesiis parochialibus, vel alibi constitutis, quorum fructibus possessores gaudent, nullum servitium nec per sè, nec per substitutos præstando, ut possint cogi vel per sè ipsos, vel per substitutos inservire, si tanto tempore possessores non sunt coacti ad aliquid istorum, nec apparet, quod ad certum sint obligati onus, satis si dicunt horas Canonicas* (*d*).

(c) *Barbos. in Conc. Trid. sess.23.c.16.n.13.*

(d) *Garcia de benef. par.1.c.2.*

18. Jàm ergò non unum, sed multa, & quidem in terminis terminantibus loquentia, decreta, & declarationes Sacræ Congregationis habemus, quæ consonâ voce definiunt, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito exemptos; & cum uniuscujusque ex ipsis decretis ingens sit auctoritas, constansque sit multorum opinio Doctorum, quod in se habeant vim publicæ legis, adeò ut de illis affirmet Joannes de Sylveirâ: *quo verò ad dicta decreta, ac declarationes editas à Sacrâ Congregatione, jussu Sanctissimi Papæ, vel ipso consulto, res est extrà dubium, quod obtineant vim legis, & esse sanctiones decisivas, & auctoritativas. Et ratio est manifesta, quia factæ sunt auctoritate Papæ; ergò habent eandem auctoritatem, quam haberent, ac si immediatè emanassent ab eo: in moralibus enim idem est facere per alium, ac facere per se. Salas de leg.tract.14.disp.21. sec.12. Peirinus tom.1.de subdit.qu.1.de obedient.c.25.Lezana tom.3.in Sum.Ver. Sacra Congregatio* (*e*). Cum, inquam, res ità se habeat; certè præfata immunitas, & exemptio sine notâ maximæ temeritatis impugnari non valet, & nunc velle Beneficiarios simplices residentiæ laqueis irretire, est contrà legem agere, auctoritati obniti, & rationi irrationabilitèr obviare.

(e) *Selveira Opusc. 2.res.25.n.2.*

CAPUT XVII.

In quo, *ex* DECISIONIBUS SACRÆ ROMANÆ ROTÆ, *probatur eadem immunitas Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere reſidentiæ in loco beneficii exhibendæ.*

SUMMARIUM.

1 *Rotam Romanam laudibus proſequuntur varii Scriptores: Eſtque tribunal inclytum, cujus deciſionibus bonor babendus eſt.*

3 *Deciſiones Rotæ faciunt opinionem communem. Sententia data contrà eas, eſt ipſo jure nulla. Deciſiones ipſas vim legis babere aliqui tenent.*

3 *Ex Fagnano Rotæ deciſiones non habent vim juris: ſed faciunt jus in Curiâ ad inſtar ſtyli. Extrà eam verò sè babent ut reſponſa prudentum.*

4 *Alii quoque cenſent eas non habere vim legis. Satis tamen eſt, quod ſint magni ponderis, & auctoritate obtineant per cuncta Prætoria.*

5 *Faciunt ſtylum in Curiâ, qui babet vim legis. Congruum eſt, ut tota Eccleſia uniformitèr ſe babeat ad Eccleſiam Romanam.*

6 *Pluries Rota deciſit beneficia ſimplicia carere debito reſidentiæ, nec eſſe juſtificandam bujuſmodi immunitatem.*

7 *Juxtà plures Rotæ deciſiones beneficia de jure præſumuntur ſimplicia, & uti talia reſidentiæ debitum non requirant.*

8 *Onus probandi, quod beneficia non ſint ſimplicia, & libera ab onere reſidentiæ, incumbit id neganti, cum de jure utrumque præſumatur.*

9 *Rota ſemper conſtans fuit in aſſerendâ præfatâ præſumptione, atque immunitate beneficiorum simplicium à debito residentiæ.*

10 *Qui non tenetur residere, ſervire poteſt per alium. Conſuetudo sicut poteſt obligare Beneficiarios ad residentiam, sic eos eximere valet.*

11 *Beneficia simplicia de jure non requirunt ſacerdotium, & miſſæ illis adjectæ celebrari poſſunt per alium.*

12 *Conſuetudo immunes reddens Beneficiarios simplices à residentiâ, ceſſat in locis, in quibus eſt conſuetudo eoſdem ad residentiæ onus adſtringens.*

13 *Igitur conſuetudo, ubi favet immunitati præfatæ, illam fundat: ubi verò ei resiſtit, eandem deſtruit, & expungit.*

14 *Sola conſuetudo ſpecialis, vel ſtatutum peculiare, derogare valent conſuetudini generali, cui innititur immunitas, de quâ loquimur.*

15 *De jure beneficia præſumuntur eſſe simplicia, & uti talia perſonalem residentiam non requirunt.*

16 *Non ſemèl itàque, ſed penè centies Rota decrevit pro immunitate Beneficiariorum simplicium à debito residentiæ.*

NULLI

1. ULLI est ignotum quanta sit auctoritas Decisionum Sacræ Romanæ Rotæ, quæ utpotè Tribunal, inquit Barbosa, in quo *oculatissimâ semper cognitione, & pleno examine Causæ deciduntur, per duodecim Patres, Iuris nostri lucernas, qui continuis laboribus, studiis, & vigiliis insudantes, justitiæ cultoribus, ex variis, confusisque nostrorum scribentium opinionibus, mel & favum, & aquam limpidissimam distillant* (a); absque ambiguitate meretur, ut illius omnis honor ubilibet deferatur; tùm ex ipsorum decidentium auctoritate; tùm etiam ex rationibus, quas hi exponunt suarum decisionum, in quibus videre est per modum illius figuræ, quæ dicitur Ætiologia (b), quid, quomodò, & quâ de causâ factum sit, sive cur in eo sensu fuerint Auditores. Ad differentiam enim aliorum Judicum, qui nullam reddant rationem suarum sententiarum; Rota in decisionibus, quas edit, eam reddit, & cunctos certioratos facit de motivis, quibus inducta est ad talitèr, atque talitèr decidendum (c). Harum decisionum laudes videre est apud Lotterium (d), Theodosium de Rubeis (e), Martinum Andream (f), & Tanagliam de Sacræ Rotæ Romanæ Auditorio (g). Ad cujus præconium sat erit innuisse, quod Rota ipsa est omnium Tribunalium Orbis Auriga, & Magistra (h).

2. Et præterquàmquod intrà limites ditionis temporalis Pontificię, sive in Statu Ecclesiastico, Auctoritas Rotæ necessitatem inducit in decisione causarum (i); Non desunt, qui censent eandem Rotam Romanam, ejusque decisiones, universalitèr vim legis habere (l). Quâ de rè idem quoque Barbosa dicit; *Rotæ Romanæ decisio facit communem opinionem, cum ejus decisiones sint magistrales, & superent cæteros Doctores, licèt numero plures, ut ex Imol. & Barbat. tradunt Ludovicus Gomez, in proœm. ad Regulas Cancel. qu. 2. vers. quarto. Vant. de nullit. tit. de nullit. ex defect. jurisd. de leg. num. 20. Surd. consil. 403. n. 83. Et quod Rotæ Romanæ decisio ità sit sequenda, & amplectenda, ut ab eâ in absolvendo, & condemnando nullo modo discedi possit, ex Hieron. Gabr. cons. 42. num. 13. l. 2. &c. Ideòque sententia lata contrà decisionem Rotæ est ipso jure nulla, tamquàm lata contrà legem. Ripa in leg. cum prolatis 32. sub num. 106. &c. de rè judic. Nàm & decisiones Rotæ habere vim legis ajunt Afflict. decis. 96. n. 11. &c. & decis. 169. num. 9. Corras. tract. commun. l. 2. tom. 9. caus. 10. num. 66. ubi plures refert* (m). In quâ opinione tantus deberi videtur honor decisionibus Rotæ, quantus ipsi textui legum debitus esse dignoscitur.

3. Contrarium tamèn verius esse alii censent, & ità de illis tenendum esse docet Fagnanus ex confessione quatuor ipsius Rotæ Auditorum, dicens: *Quamvis Rotæ Romanæ decisiones sint probabiles tantum, seu Magistrales secundum Gemin. in cap. duobus col. 5. num. 9. & ibi etiam Franc. num. 10. de rescr. in 6. & fatentur quatuor insignes Rotæ Auditores, nempè Felyn. in cap. pastoralis col. fin. num. 10. vers. & idem est de decisionibus Rotæ. De fid. instrument. Prepositus in cap. neque 9. dist. dicens: Decisiones nostrę non sunt jura, & ideò possunt reprobari. Bellamer. dec. 42. Si in causâ. De lite contestatâ. Cassad. decis. 17. num. 7. de præbend. Magnum tamèn habent pondus auctoritatis, ut per Christophorum Castil. consil. 7. Visis prius. col. fin. num. 20. & 21. Et prævalent communi opinioni, secundum Imolam in cap. 1. de lite contestat. Quidquid ibi contrà scripserit Barbat. col. 15. Quinimò Joannes Franciscus Pavinus similitèr Rotæ Auditor in prçludiis Extravagant. Joannis 13. col. 3. vers. decisiones Rotæ, affirmat eas facere jus in Curiâ ad instar styli, saltèm si secundùm eas fueris sæpius judicatum; cum ad Rotam spectet interpretari verba, & mentem Papæ in rescriptis, & in hac quasi possessione existat, sciente, & patiente, imò volente, & mandante Summo Pontifice &c. Extrà Curiam verò dicit eas fidem facere sicut Responsa prudentum &c. Quamobrem Rotæ interpretatio in suis decisionibus videtur authoritativa &c.* (n).

(a) *Barbos. Vot. decisiv. l. 1. vot. 83. n. 15.*

(b) *S. Pagnin. Isagog. ad sac. Liter. c. 27. Mortier. V. Ætiologia*

(c) *Cardin. de Luca Rel. Rom. Cur. disc. 32. num. 64.*

(d) *Lotter. de re bene. in Apparatu.*

(e) *Theodos. de Rubeis in singularibus Rotæ tom. 1. in princ.*

(f) *Martin. Andr. decis. 23. n. 3. decis. 46. n. 2. decis. 70. n. 1.*

(g) *Tanaglia de S. Rot. Audit. l. 1. c. 4. n. 1.*

(h) *Rubeus ad decis. 282. n. 54. par. 9. tom. 1. recent. Albit de Inconst. in Judic. qu. 37. num. 451.*

(i) *Idem Cardin. Albitius loc. cit. nu. 450. cum aliis ab eo alleg.*

(l) *Afflict. decis. 96. n. 11. Coras. tract. com. lib. 2. tom. 9. cas. 10. num. 66.*

(m) *Barbos. vot. decis. l. 3. vot. 121. n. 10.*

(n) *Fagnan. in cap. cum venissent. n. 31. de Judic. l. 2. & n. 31.*

4. Alii

4. Alii nihilominùs in eo voto sunt, quod Rotę decisiones vim legis non habeant, uti procedentes à Judicibus non habentibus auctoritatem ad leges constituendas, sine quâ nulla lex subsistere potest (a). Ut ex multis probant Suarez, Vasquez, & alii (b). Sed quidquid sit, an Rotæ decisiones habeant vim legis nec nè; hoc parum refert, nec in hujusmodi disputatione per nos est immorandum. Sufficit igitùr nobis ad præsens intentum, quod ipsius Rotæ decisiones magni ponderis sunt, magnamque pręseferunt auctoritatem in judiciis sequendam (c), quàm à nullo sanæ mentis eis censemus esse negandam: hacque de rè ità peregregiè Cardinalis de Luca: *Hujusmodi decisionum, in Curiâ magna est auctoritas: non quidem ut faciant auctoritatem necessariam apud inferiores Magistratus, tamquàm decisiones Papales, ut (loquendo solum exemplificativè) opinantur Regnicolę, quod faciant decisiones illius Sacri Consilii, utpotè nomine Regio editæ: Adeò ut quandòque fiant decreta generalia per viam legis &c. Hęc enim auctoritas Rotæ non tribuitur, neque ipsa eam sibi assumit, dum solis declarationibus Sac. Congregationum Cardinalitiarum ista prærogativa conceditur, quod eadem Rota, multò verò magis alia inferiora Tribunalia reverentèr illas suscipiunt. Benè verum, quod istius, utpotè magni Tribunalis, resolutiones per inferiores Judices, ac Magistratus, quinimò etiam per ipsames superiores Sacras Congregationes, habentur in veneratione, magnamque faciunt auctoritatem, ut ubique magnorum Collegiatorum Tribunalium resolutiones facere debent, tamquàm doctrinę Magistrales plurium judiciorum in idem tendentium præviâ causæ cognitione: Undè proptereà etiam aliarum Regionum Professores, gravesque Scriptores agnoscunt hujus Tribunalis, ejusque decisionum magnam, ac venerabilem esse auctoritatem* (d).

5. Indè quoque ingens conciliatur auctoritas Decisionibus Rotæ Romanæ, quod, teste Ludovico Engel, ejusdem Decisiones *faciunt jus inter ipsas partes litigantes*, tametsi non faciant *jus universale*, *nec alii Judices præcisè secundùm eas teneantur judicare, nisi quatenùs meliora juris fundamenta aliundè adduci non possunt &c.* Tamènsi super eadem juris *quæstione uniformes, & sæpius repetitæ sint &c. faciunt consuetudinem, & stylum in Curiâ Romanâ* (e). Qui stylus est maximè venerandus (f), cùm vim legis habeat, secundum communem Doctorum sententiam (g), ità quo nefas est in judiciis deviare; *satis enim indignum est*, inquit Julius Papa I. *quemquam hanc regulam refutare, quàm B. Petri Sedem, & sequi videat, & docere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesiæ, in hâc sibimet observatione concordet, quę indè auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum* (h). De facto autèm Rota Romana pluribus, & repetitis, atque uniformibus Decisionibus declaravit, Beneficiarios merè simplices esse à servitii personalis, & residentiæ debito immunes. Quod, ut ad evidentiam constet; en ejus verba in pluribus Decisionibus per illam editis super articulo, de quo loquimur.

6. Porrò multas ex istis Decisionibus Rotalibus, insimul conglobatis memorat Nicolaus Garcia, in suo Tractatu de beneficiis, asseverans, quod *ex generali consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt &c. Mandos. in Regul. 1. Cancel. qu. 14. num. 8. &c. Menoch. de arbitr. l. 2. cas. 202. num. 75. &c. Flamin. Paris. qu. 10. num. 366. &c. Rota decis. 483. num. 2. part. 1. divers. Cæsar de Grassiis decis. 115. num. 3. Gonzalez ad Regul. Mens. Glos. 5. num. 80. & Glos. 15. num. 26. Et in unâ Conchen: Beneficii de Valent. 30. Martii 1582. coràm Ill. Card. Lancellotto fuit resolutum, istam qualitatem, quod non requirant personalem residentiam, non esse verificandam. Et in unâ Virdunen: Canonicatus 23. Febr. 1587 coràm D. Gipsio fuit dictum, non esse opus probare, quod Capellania obtenta narrata in gratia non requirat residentiam, cum beneficia simplicia de generali consuetudine residentiam personalem non postulent. Alex. consil. 1. num. 2. l. 7. Felyn. in cap. dilectus il 2. num. 1. de rescript. Et in unâ Segobien: Canonicatus 24. Novem-*

(a) *Jo: Sylveira opusc. 2. resol. 25. q. 2. n. 12.*
(b) *Suarez l. 7. de legibus c. 5. circ. finem. Vasqu. in 1. 2. disp. 177 c. ult. n. 75. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 2. n. 10. ad fin Castropal. tr. 3. disp. 3. pun. 2. §. 3. n. 7.*
(c) *Del Bene de Immun. c. 14. dub. 5. sect. 2 num. 24.*
(d) *Cardin. de Luca Rel. Cur. Rom. disc. 32. num. 66.*
(e) *Engel. Colleg Juris p. 1. in proœm n. 17.*
(f) *Jo. de Sylveira opusc. 2. res. 25. qu. 2. num. 13.*
(g) *Lotter. de re benef in appar. num 63. Card. de Luca de Judic. disc. 34. nu. 12. & disc. 37. nu. 10. & disc. 39. n. 31.*
(h) *Capitol. nolite 3. dist. 11.*

vembris 1588. coràm Ill. Card. Plato fuit dictum non obſtare, quod non fuerit juſtificatum beneficia obtenta perſonalem reſidentiam non requirere, ut fuit expreſſum, quià hæc qualitas non eſt verificanda, ut fuit reſolutum in dictâ Conchen. (*a*).

7. Paritèr in unâ Maceraten: Parochialis die 14. Martii 1575. coràm Lancellotto Rota inconcuſsè dixit, beneficia ſimplicia non requirere reſidentiam (*b*). Et in Nucerinâ Beneficiorum die 30. Octobris 1592. coràm Pamphilio, de beneficiis merè ſimplicibus, inquit: *quod hujuſmodi beneficia non requirant reſidentiam, ſatis probatur ex eo, quod teſtes dicunt eſſe ſimplicia, prout etiam de jure præſumuntur. Ægid. deciſ. 676. Stapbil. tit. de ſtat. & qualit. benef. in princip. Quæ de generali conſuetudine reſidentiam non requirunt, ut poſt Card. & alios tradit Imola in cap. fin. num. 9. de Cleric. non reſid. Felyn. in cap. dilectus il 2. num. 1. de reſcript. Alex. conſ. 1. num. 2. l. 7. & fuit reſolutum 3. Martii 1582. in cauſâ Conchen. &c. Beneficii de Vallen. coràm D. Lancellotto, & alias ſæpiùs &c.* (*c*). Totidem penè verbis utitur Rota in unâ Legionen: Præſtimoniorum die 27. Novembris 1592. coràm eodem Pamphilio, aſſerens beneficia de jure præſumi, quod ſint ſimplicia, quodque uti talia ſervitium perſonale, & reſidentię debitum non expoſcunt. Quod ſæpiſſimè reſolutum fuiſſe affirmat (*d*).

(a) *Garcia de benef. p. 3. cap. 2.*

(b) *Rot. p. 1. diverſ. dec. 483.*

(c) *Garcia de benef. p. 5. c. 5. n. 64.*

(d) *Garcia p. 6. c. 4. num. 41.*

8. Similitèr Rota in Abulen: Beneficii die 30. Octobris 1595. coràm Blanchetto, ità reſolvit: *Quod beneficium, de quo agitur, non requirat reſidentiam, ſatis ex eo probatum videtur, quod teſtes dicunt eſſe beneficium ſimplex, quià omnia beneficia præſumuntur ſimplia &c. ut fuit reſolutum in unâ Calaguritanâ Congruarum coràm bon. mem. Oradino, & per conſequens de conſuetudine perſonalem reſidentiam non requirit. Doctores in cap. final. de Cler. non reſident.* (*e*). Satis eſt ergò, quod beneficia ſint ſimplicia. Nàm hac qualitate poſitâ, ſtatim ex conſequenti reſultat, quod ſecum ferant exemptionem à debito reſidentiæ. Talitèr ut in controverſiis, & litibus, quæ interdùm ſuper beneficiis emergunt, non ſit neceſſe juſtificare, quod beneficium reſidentię debitum non exquirat, quippè habet præſumptionem pro sè: quâ de rè loquitur deciſio ipſius Rotæ in eadem Abulen: Beneficii die 26. Junii 1596. coràm Littâ (*f*). Sicque onus probandi, quod beneficium ſecum ferat debitum reſidentiæ perſonalis, refunditur in illum, qui exemptionem à præfatæ reſidentiæ debito impugnat.

(e) *Garcia de benef. p. 11. c. 3. n. 199.*

(f) *Garcia de benef. p. 6. c. 2. dub. 4. n. 47.*

9. In aliâ quoque Deciſione, Nullius, Beneficii die 28. Maii 1604. à Rotâ reſolutum fuit, quod de generali conſuetudine in beneficiis ſimplicibus reſidentia perſonalis non exigitur: quodque de jure unumquodque beneficium præſumitur eſſe ſimplex. Ad quem effectum allegat reſolutionem editam in Calaguritanâ Congruarum die 16. Novembris 1571. coràm Oradino (*g*). Et in aliâ Alexandrinâ Beneficii die 18. Aprilis 1625. coràm Merlino, ipſa Rota repetit, quod præſumptio juris ſtat pro beneficio, quod ſit ſimplex, citatque plures Deciſiones Rotales: Indè concludit, *quod ex generali, & approbatâ conſuetudine, dicendum eſt non requirere reſidentiam*: idque probat auctoritate Innocentii, Felyni, Alexandri, Rebuffi, Garciæ &c. necnon Rotę in Calaguritanâ beneficii de Arnedo die 22. Januarii 1622. coràm ipſo Merlino (*h*). Semper ergò firma, & conſtans in hoc articulo, penè centies diſcuſſo, fuit Rota, quod beneficia merè ſimplicia ſint à reſidentię debito exempta.

(g) *Rot. to. 4. diverſ. dec. 12. collect. à Farinac.*

(h) *Rot. cor. Merlin dec. 169.*

10. Adeſt alia ſolemnis Deciſio in unâ Hiſpalen: Juris nominandi ſub die 10. Octobris 1581. coràm Seraphino, in quâ dicitur nullibi caveri, *quod ubi quis non tenetur per sè reſidere, ſubſtitutum, qui pro eo deſerviat, conſtituere non poſſit &c. Nec obſtat, quod de jure communi requiratur reſidentia in omnibus Beneficiis, quià conſuetudo eſt in contrarium* (*i*). Sanè conſuetudo valeat oneri reſidentiæ perſonalis Beneficiarios merè ſimplices, qui alioquin eſſent ab hoc debito exempti, ac liberi ſubjugare, talitèr ut, ubi talis conſuetudo viget, beneficia ſimplicia non valeant à non reſidentibus poſſideri, uti declaravit pluries

(i) *Rot. coram Seraph. dec. 639.*

eadem

eadem Rota, & præsertim in Calaguritanâ beneficii de Navarrette die 20. Junii 1588. coràm Pamphilio, & in Cæsaraugustanâ fructuum die 4. Junii 1600. coràm Cordubâ (*a*). Si autèm consuetudo imponere potest onus residentiæ beneficiis, & Beneficiariis illud alioquin non habentibus; eccur quæso non illud ipsum amputare potest habentibus: Præsertim consuetudo, quæ jàm est generalis per totum Orbem, quàm omnes Ecclesiæ amplexæ sunt, & quam nulla Christianitatis Regio, nullumque genus hominum non frequentat?

(a) Garcia de benef. par. 3, c. 12.

11. Notabilis quoque est Rotæ Decisio in unâ Sarzanen: die 10. Junii 1615. coràm Damasceno. Agebatur in eâ de quodam beneficio simplici erecto novitèr ex bonis testatoris, qui præceperat idem beneficium conferri cuidam, postquàm suam missam novam cantasset, onere adjecto bis in hebdomadâ celebrandi. Dubitatum ergò fuit: *an prædictum beneficium esset Sacerdotale, & pro negativâ fuit resolutum, quià beneficia simplicia de jure non requirunt Sacerdotium, etiam si habeant annexam celebrationem missarum, quià potest suppleri per alium, nisi alitèr expressè fuerit cautum in fundatione. Lapus alleg. 35. num. 3. & 4. quem sequuta fuit Rota in Romanâ Capellaniæ 23. Januarii 1589. coràm bon. mem. Card. Pamphilio, & in Lucanâ Capellaniæ 17. Decembr. 1593. coràm Gipsio, & in Tirasonen. Capellaniæ 9. Julii 1603. coràm mè* (*b*). Pronuntiatum ergò fuit hoc beneficium, sive capellania pro non Sacerdotali. Quarè? quià beneficia simplicia de jure non requirunt Sacerdotium: & quià celebratio missarum illis adjecta potest suppleri per alium. Sed hęc ratio sicut concludit pro exclusione Sacerdotis, ità etiam concludit prò exclusione oneris residentiæ: ergò residentię onus procul abest à beneficiis merè simplicibus.

(b) Rota p. 4. divers. decis. 729. tom. 2. ap. Farinac.

12. Notabilior adhùc est alia Tribunalis Rotæ decisio in unâ Calaguritanâ residentiæ 17. Februarii 1612. coràm Manzanedo, in quâ cum ageretur de arctando quemdam Beneficiarium ad residentiam personalem, tali se oneri subtrahentem, eo quod ejus beneficium esset simplex; *fuit resolutum pro confirmatione sententiæ Ordinarii Calaguritani: certi enim juris est, quod omnia beneficia ecclesiastica data in titulum, quantumcumque simplicia, inspecto jure communi, requirunt personalem residentiam: cap. sanctorum 70. dist. cap. quia nonnulli, cap. relatum, cap. conquerente, cap. intèr quatuor, cap. final. & ibi Innoc. num. 1. &c.* & alii, *de Cleric. non resid. Et quamvis beneficia simplicia ex generali consuetudine non requirant dictam residentiam, juxtà Innoc. ubi supr. &c.* & alios; *Ista tamèn generalis consuetudo cessat, & revertimur ad jus commune, stante aliâ speciali consuetudine, vel statuto talem residentiam requirente, juxtà Innocent. & alios suprà relatos in dict. cap. final. prædicta fuerunt firmata per Rotam in unâ Calaguritanâ de Navarrette 20. Junii 1598. coràm Pamphilio. Sed sic est, quod in nostro casu &c. adest prædicta specialis consuetudo de residentiâ personali, quin & statutum ejusdem Ecclesiæ &c. qao expressè disponitur, quod beneficiati teneantur personalitèr in dictâ Ecclesiâ residere &c.* (*c*).

(c) Rot. p. 3. d. vers. dec. 379. n. 1. tom. 2. ap. Farinac.

13. Adactus ergò fuit Beneficiarius iste ad residendum, non quià beneficia simplicia immunitate non potiantur ab obligatione personalis residentiæ, sed quià consuetudo, & statutum Ecclesiæ, in quâ beneficium illud erat erectum, residentiam personalem specificè requirebaut. Vides igitur, quod consuetudo in hàc materiâ tanti est roboris, & virtutis, ut ubi favet exemptioni Beneficiariorum merè simplicium ab onere personalis residentię, hi eo in loco ad residentiam nullatenùs obligentur. E contrà verò, ubi consuetudo eisdem Beneficiariis resistit; ibi ipsimet ad residentiam personalem inevitabilitèr obligantur. Et ità cum de generali consuetudine beneficia merè simplicia residentiæ onus excutiant; oportet, quod Contradictores probent, in eorum Regno, seu quolibet alio in loco, de quo ipsi intendunt essari; extare consuetudinem particularem exigentem à Beneficiariis merè simplicibus residentiam personalem, & destruentem præfatam consuetudinem generalem. Si hoc probant, causam vi-

vieerunt. Si ab ejus probatione deficiunt, à causâ quoque deiiciuntur praecipites.

14. Consuetudinem, inquam, generalem non residendi, opus est exinaniri à consuetudine particulari contraria, sive à statuto peculiari Ecclesiae, quod Beneficiarios etiam simplices coarctet ad residentiam: ubi enim talis consuetudo, vel tale statutum est, ibi quoque praevalet obligatio residentiae. Ubi verò neque statutum, neque consuetudo particularis viget, ut suprà; ibi corruit onus residentię personalis. Et ità Rota in unâ Casalen: Canonicatus 29. Novembr. 1613. coràm Manzanedo, inquit: *cum dicta Capellania sit simplex beneficium, ex generali consuetudine potiùs praesumitur libera à residentiâ. Innoc. in cap. fin. & ibi Card. num. 16. Imol. num. 9. Alex. de Nevo num. 10. de Cler. non resid. Felyn in cap. dilectus il2. num. 1. de rescript. Alex. cons. 1. num. 2. lib. 7. Rebuff. in prax. ff. de dispens. de non resid. num. 8. Et licèt talis consuetudo cesset, & revertamur ad jus commune, stante statuto talem residentiam requirente &c. tamèn in casu nostro non docetur de aliquo statuto, quod inducat residentiam in dictâ capellaniâ* (a). Similia continentur in Calaguritanâ Beneficii 22. Januarii 1621. coràm Merlino (b). Sola ergò consuetudo particularis, vel eâ deficiente, statutum peculiare cujuslibet Ecclesię abolere valet consuetudinem generalem, eximentem Beneficiarios merè simplices ab onere personalis residentiae: quae consuetudo particularis, quod statutum peculiare, cum non adsit apud Ecclesias, & in regione, à quâ Contradictores conantur abigere praefatam exemptionem; restat ut Beneficiariis merè simplicibus sartatecta servanda sit immunitas ab obligatione residentiae in loco beneficii obeundae.

(a) *Rota p. 2. divers. decis. 489. nu 1. & 2. tom 2. ap. Farinac.*
(b) *Rota p. 4. rec. to. 2. dec. 337. n. 6. & 7.*

15. Posset addi Rota in Firmanâ Altaris 9. Decembris 1596. coràm Littâ, decidens de Capellâ, seu Altari: *Quod non requirat personalem residentiam, satis justificatur ex eo, quod est simplex beneficium &c. cum ex generali consuetudine simplicia residentiam non requirant, ut saepiùs fuit resolutum* (c). Itèm Rota in Tirasonen: Capellae 28. Novembris 1605. coràm Pamphilio, dicens: *Quod Capellania &c. non requirat residentiam, probatur ex concessione Michaelis &c. Ultrà quod talis praesumitur, ex quo de jure beneficia omnia praesumuntur simplicia. Aegid. decis. 676. Staphil. in tit. de stat. & qualit. benef. in princ. quae ex generali consuetudine residentiam non requirunt, ut post Card. & alios trad. Imol. in cap. fin. num. 9. de Cleric. non resid. Felyn. in cap. dilectus lib. 2. num. 1. de rescript. Alex. cons. 1. num. 2. lib. 7. & fuit resolutum in causâ Conchen: Beneficii de Velz. coràm Lancellotto, & aliàs saepiùs* (d). Rursùs Rota in Bergomen: Capellaniae 9. Decembr. 1624. coràm Manzanedo, firmavit, ut sequitur: *Quod autèm dicta Capellania sit simplex, & non requirat residentiam, ultrà generalem praesumptionem, secundum quam omnia beneficia censentur simplicia. Abb. in cap. recolentes circ. fin. de stat. Monach. Bellam: decis. 676. Rebuff. in prax. tit. sac. beneficium quotuplex num. 11. Rot. dec. 17. n. 1. p. 1. divers. benè probatur etiam ex testibus* (e).

(c) *Rota p. 1. divers. dec. 10. n. 3. ap. Farinac. tom. 1.*
(d) *Rota p. 1. divers. dec. 101. n. 8. ap. Farinac. tom. 1.*
(e) *Rot. p. 4. rec. to. 3 dec. 583. n. 9.*

16. Addi posset paritèr Rota in Firmanâ Jurispatronatus 23. Martii 1609. coràm Cavalerio, decidens: *Quod Capella &c. personalem residentiam non requirat, ultrà quod praesumitur de jure, & fuit dictum in unâ Placentinâ Canonicatus 1. Martii 1599. coràm Orano, & aliàs saepè in Rotâ resolutum; probatur etiam ex edicto &c.* (f). Hę, atque aliae Rotae Decisiones afferri possent, posterioribus temporibus editae; sed jàm innuisse antiquiores sit satis. Vide autèm Lector, quàm fortitèr, & inconcusse, non semel, sed penè centiès hoc Tribunal; nec uno, sed multis modis decidit pro immunitate Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiae. Quodque sine magnâ ponderatione in his transire non oportet, est hoc, quod Rota pro tàm certâ, & ineluctabili habet hanc ipsam immunitatem, ut eam supponat, velut incontrovertibilem, & inconcussam: censeatque hanc rem esse talitèr extrà omnem difficultatis aleam, ut dubium non

(f) *Rota ap. Cavaler. dec. 55. n. 5.*

admittat, neque indigeat probatione, sed potiùs præsumatur tamquàm de jure, de generali nempè consuetudine in jus versâ, quod est ab omnibus observandum. Perpendant ergò Contradictores, quàm vasto itinere distet nova eorum opinio, sive conatus à limine veritatis; ad hæcque audita tandèm acquiescant.

CAPUT XVIII.

In quo proponitur, quod sentiant THEOLOGICI SCHOLASTICI *de Exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 *Utilis est in Ecclesiâ Dei Theologia Scholastica. Prosuntque Ecclesiæ viri literati ad refellendos adversarios, & ad instruendos inscios.*

2 *Ornamentum est Ecclesiæ, quod Beneficiarii merè simplices à residentiâ sint exempti.* Petri Aragonii *verba de residentiâ beneficiorum.*

3 *Distinguit Aragonius beneficia curata à non curatis, & inter non curata distinguit choralia, sive residentialia à merè simplicibus.*

4 *Beneficia merè simplicia possunt ab uno simul haberi. Hæcque beneficiorum pluralitas necessariò supponit exemptionem illorum à debito residentiæ.*

5 *Refertur doctrina* Dominici Soti. *Jus humanum per contrariam consuetudinem abrogatur. Habere plura beneficia non est contrà jus naturale, neque divinum.*

6 *Pluralitas beneficiorum, quoties licita est, involvit necessariò eorum exemptionem ab onere residentiæ. Nec lædit Ecclesiam hæc exemptio.*

7 *Affertur doctrina* Gregorii Valentiæ *de pluralitate beneficiorum incompossibilium, e quâ deducitur admissio beneficiorum compossibilium, ut sunt merè simplicia.*

8 *In jure divino Papa dispensat ministerialitèr, declarando adesse causas, propter quas cessat ejus obligatio.*

9 *Ad plura beneficia incompatibilia necessaria est dispensatio cum legitimâ causâ. Ad plura beneficia verò compatibilia non est necessaria.*

10 *Ubi jus humanum non esset sublatum per consuetudinem, etiam ad plura beneficia simplicia consequenda, necessaria esset dispensatio.*

11 *Si absque dispensatione potest quis plura beneficia merè simplicia consequi, certè non tenetur in eis personalitèr residere.*

12 *Doctrina* Antonii Cordubensis *recensetur, asserentis non esse contrà jus naturale, vel divinum plura beneficia uni conferre.*

13 *Nec jura divinum, aut naturale, neque Ecclesia læduntur per exemptionem beneficiorum merè simplicium ab onere residentiæ.*

14 *Innuitur doctrina* Gabrielis Vasquez *dicentis non esse contrà jus naturale, neque contrà voluntatem testatorum habere plura beneficia simplicia.*

15 *Interdùm est culpa plura consequi beneficia, iniquâ viâ, vel cum scandalo populi ad luxum fovendum: ut hoc infert onus residentiæ.*

16 *Eadem turpitudo cessat ob dignitatem personæ, cui plura beneficia necessaria sint. Consuetudo quoad merè simplicia tollit necessitatem dispensationis.*

17 Si-

17 *Sicut non est contrà jus naturale, neque positivum habere cum causâ plura beneficia simplicia; sic non est contrà alterutrum exemptio eorum à residentiâ.*

18 *In eundem sensum cum aliis ait* Alexander Pesantius *docens, beneficia merè simplicia esse à residentię debito immunia.*

1. VALDE utilis, & proficua est in Ecclesiâ Dei Theologia Scholastica, & cohærentèr methodus, quo Theologi Scholastici utuntur prò veritatibus defendendis, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad ecclesiasticam disciplinam (*a*). Tàm per ipsam scientiam etenim, quàm per ejusdem Professores, firmissimis principiis, ac fortissimis ratiociniis, retunduntur tela, quibus & hostes fidei, & impugnatores Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ detractores impetus facere, atque confusiones in populo Christiano sæpèsæpiùs producere conituntur. Quarè, declamabat D. Bernardus: *non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint literati sui, sive ad refellendos eos, qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos* (*b*). Et cum triplex sit utilitas Theologiæ: videlicèt ad robur fidei, & Ecclesiæ firmitatem: Ad propagationem ejusdem fidei, & Ecclesiæ incrementum: Deniquè ad ipsius fidei, & Ecclesiæ ornamentum (*c*); Triplex quoque est utilitas Doctrinæ Theologorum, quam in scriptis redactam, posteritati universæ, ac præsertim Orbi Literatorum, ad cunctorum commodum reliquerunt. Horum nos hic præsidium invocamus: quo tametsi non egeamus ad causam fidei sustinendam; utimur tamen opportunè, ad rem firmandam, quæ ad Ecclesiæ pertinet ornamentum.

(a) *Vid. Christofor. Gillium Commentat. Theolog. lib. 1. tr. 1. c. 2. & seq.*

(b) *S. Bernard. serm. 36. in Cant.*

(c) *Idem Gillius loc. cit. c. 2. n. 1.*

2. Ornamentum etenim est Ecclesiæ militantis, quod, ad instar triumphantis, officiorum, & ministrorum diversitate decoretur (*d*): Et sicut habet Beneficiarios residentiæ debito adstrictos, ità etiam Beneficiarios habeat eodem onere destitutos: adeòque quod Beneficiarii merè simplices eâ inposterùm libertate, ac exemptione potiantur, quâ usque ad præsens tempus gavisi sunt. Atque ideò non sine ineffabili providentiâ Deus Ecclesiam suam, ne hoc ammitteret ornamentum, *per piè doctos, & verè spirituales viros, copiosissimis apparatibus etiam invictissimæ rationis armavit*, ut scribebat Beatissimus Augustinus in epistolâ ad Dioscorum (*e*). Audivimus ergò quid Theologi Scholastici de præfatâ libertate loquantur: & primo loco aures præbeamus doctissimo viro *Petro Aragonio* Ordinis D. Augustini, celeberrimæ Academiæ Salmanticensis publico Professori, qui in suis commentariis ad Summam D. Thomæ, occasione acceptâ de beneficiis ecclesiasticis eloquendi; talitèr effatur: *Advertendum est, quod ex beneficiis ecclesiasticis quædam sunt, quæ habent annexam curam animarum, ut Episcopatus, beneficia curata, aliæque dignitates similes. Et hæc omnia ex jure divino requirunt personalem residentiam, ut latè docet D. Thomas infrà quæst.* 185. *art.* 5. (*f*). De quibus tamen beneficiis hìc non est sermo, quippè de illis extrà difficultatem est, quod eorum Beneficiarii ad residentiæ personalis debitum sunt adstricti.

(d) *Cap. ad hoc singula dist. 89.*

(e) *S. August. ep. 56. ad Dioscor. circ. finem.*

(f) *Aragon. in 2. 2. D. Thom. qu. 63. art. 2. §. secundo est advertendum f. 217.*

3. Prosequitur Auctor, & dicit. *Alia beneficia sunt, quæ licèt non habeant annexam curam animarum; requirunt tamen personalem residentiam, saltèm ex jure canonico, cujusmodi sunt Canonicatus, & alię Dignitates Ecclesiarum Cathedralium, & Collegialium, & etiam illa beneficia, quę vulgò appellantur* Beneficios Servideros. *Et quoniàm quantùm ad obligationem personalis residentiæ in hujusmodi beneficiis non potest assignari regula generalis; standum erit statutis, & consuetudinibus receptis uniuscujusque Ecclesiæ. Alia demùm beneficia sunt, quæ nec habent curam animarum annexam, nec aliquam requirunt residentiam: qualia sunt simplicia Sacerdotia, quæ vulgò* Prastamerias *dicuntur. Sub quo*

etiam nomine comprehenduntur Capellaniæ sub certo titulo solemnitèr ab Episcopo collatæ, ut benè notat Sylvester in verb. beneficium 4.§. fin. cum Gloss. in Clementin. 2. de decimis, & aliis (a). Distinguit ergò Aragonius beneficia curata à non curatis, & rursus non curata dicit, alia onus residentię preseferre, qualia sunt choralia, eisque similia; Alia neque curæ, neque chori, vel alterius personalis oneris debitum habere, & hæc sunt beneficia merè simplicia, de quibus loquimur. Nedùmque non revocat in dubium hic Auctor; sed imò supponit tamquàm omninò certum, quod beneficia merè simplicia secumferant exemptionem Beneficiarii ab onere residentiæ,

(a) *Idem Aragonius loc. cit.*

4. Deindè quibusdam interpositis subjungit: *Tertia conclusio. In beneficiis simplicibus, nec habentibus curam, nec residentiam exigentibus, qualia sunt* Præstameriæ, *nulla est necessaria dispensatio, ut eadem persona plura obtineat. Hanc conclusionem ponit Soto lib. 3. de just. qu. 6. art. 3. concl. 4. quam tenent communitèr omnes DD. Et probatur manifestè, quià istorum pluralitas nullo jure est prohibita. Ex quo infertur, quod qui plura haberet per sè loquendo, nullum peccatum committeret. Dico per sè loquendo, nàm per accidens contingere poterit, ut hoc fit illicitum, tùnc scilicèt quando tot coacervarentur beneficia simplicia, ut congruentem Beneficiati sustentationem, juxtà qualitatem personæ, longè excederent* (b). Pluralitas beneficiorum, ut alibi non semel advertimus, secumfert indivisibilem exemptionem beneficiorum ab onere residentiæ: qui etenim plura ex illis possidet, cum non valeat eodem tempore sè in plures homines, & in plura corpora multiplicare, ut simul in diversis locis eisdem beneficiis famuletur; necessariò consequitur, quod omnia beneficia illa, si sint merè simplicia, obligatione careant residentiæ,

(b) *Aragon. ubi suprà §. 3. Conclusio f. 219.*

5. Audiamus secundo loco eximium Theologum *Dominicum Soto*, sacri Ordinis Prædicatorum, qui Concilio Tridentino interfuit, ac toti actioni, in quâ ibi de residentiâ Beneficiariorum tractatum est; verbis, & doctrinâ præsens adhæsit. Ait enim: *In beneficiis simplicibus, scilicèt neque habentibus curam, neque residentiam exigentibus, qualia sunt* Præstameræ, *nulla est necessaria dispensatio, ut plura eadem persona obtineat. Scio Glossas Sacrorum canonum in contrarium ire: Sed tamen non solùm jam receptus usus, verum & ratio nostram conclusionem edocet. Est enim adnotandum fundamentum, quod ex S. Thomâ suprà desumpsimus: videlicèt in his spectandum esse trinum jus, scilicèt divinum, naturale, & humanum: quorum hoc ultimum per desuetudinem legis, aut contrariam consuetudinem abrogatur. Quod autèm quis dico habeat simplicia beneficia, non est usque adeò contrà naturale jus, & divinum, ut consuetudo illud nequeat abrogare. Hoc patet, quoniam licèt habendus etiam oculus in istis sit ad justitiam distributivam, potissimum tamen ad commutativam, per quam Ecclesiis de ministris providendum est: ubi autèm residentia non est requisita, ibi Ecclesia non læditur ob præbendarum pluralitatem. Verum est Adrianum mitigare verbum dicendo, hanc non esse propriè abrogationem, sed derogationem, propterea quod talis provisio non potest fieri absque ullâ prorsus causâ, sed aliquâ interveniente. At verò jàm nùnc profectò licèt nulla interveniat ratio, conferuntur ab inferioribus Prælatis sine ullâ dispensatione* (c),

(c) *Soto de just. & jur. l. 3. q. 6 ar. 3. concl. 4 fol. 94.*

6. Agit Sotus in hoc loco directè de pluralitate beneficiorum, an licita sit, nec nè: sed indirectè agit quoque de immunitate Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentię: quippè intantum non est licitum alicui plures Parochias, Episcopatus, Canonicatus, Dignitates, & alia Beneficia curata, vel choralia retinere, inquantum eorum singula exigunt onus residentiæ personalis, quo cessante, cessat prohibitio pluralitatis. Quarè correspectivè subsequitur, quod quià beneficia merè simplicia non secumferunt onus residentiæ; ideò plura simul possunt sine dispensatione retineri: & quià plura possunt sine dispensatione insimul retineri; ideò Beneficiarii merè simplices sunt à residentię debito exempti,

pti. Corruit quoque ex doctrinâ Soti suppositum illud jus naturale, & divinum, ac Ecclesię lęsio, quę multum exaggerantur ex adverso, profluere ex non impensâ beneficiis merè simplicibus residentiâ: nullum etenim jus divinum est, nullum ius naturale, quod hanc residentiam exposcat: nulla lęsio infertur Ecclesię subtractione hujus residentię. Imò ipsa lęditur adjectione hujusmet oneris, ubi non est per illud enim spoliatur Ecclesia libertate, quâ prędita erat, & liberâ fit captiva.

7. Accedat tertio loco nominatissimus Theologus *Gregorius de Valentiâ* Societatis Jesu Academię primû Dilingensis, deindè Ingolstadiensis publicus Professor (*a*), qui eandem materiam pluralitatis beneficiorum pertractans, ità proloquitur. *Prima assertio; Pluralitas beneficiorum quorumcumque jure canonico est probibita: & quidèm pluralitas beneficiorum requirentium residentiam, & incompossibilium jure etiam divina probibita est, eo ipso quod jure divino est præcepta residentia* (*b*). Nota quod, secundum hunc magnum Theologum, onus residentię Beneficiariis est ingestum, vel jure divino, prout infrà explicando, si beneficia sint incompatibilia, ideòque exigant residentiam: vel jure canonico: Sed beneficia merè simplicia non sunt incompatibilia, ideòque jure divino non exigunt residentiam; neque illam exigunt jure canonico, quià generalis consuetudo, cuncta hęc jura, si quę erant, abrogavit: ergò Clerici, & plura ex eis possunt insimul retinere, & ad serviendum illis personalitèr non adstringuntur. Porrò non aliam pluralitatem recognoscit hic Auctor esse prohibitam jure divino, quam beneficiorum residentialium, & cum exceptio firmet regulam in contrarium; sequitur, quod beneficiorum merè simplicium, quę residentiam non exigunt, pluralitas non est prohibita. Eâque admisâ pluralitate, corruit profectò residentię onus: non enim potest Beneficiarius in pluribus locis eodem tempore residere,

(a) *Anton. Baldesar Compend. ristret. delle Vite &c. in Greg. di Valenza fol.* 98.

(b) *Valent. tom.* 3. *disp* 5. *quæst.* 7. *pun.* 2 §. 4. *vers. prima assertio fol.* 1133.

8. Sequitur indè Valentia subiungens. *Sed dices, si residentia est de jure Divino, quomodo potest Papa dispensare circà pluritatem beneficiorum impossibilium quoàd residentiam.* ℞. *In jure Divino, quod non est simul naturale in omni casu, & omni circumstantiâ (quale non est boc ut disputat. de statibus) non dispensat Papa, ut agens principale, tollendo videlicèt obligationem, sicut facit in mero jure bumano. Eo enim modo ille solus, qui tulit Legem, potest dispensare, vel is, cui ille dederit ad id potestatem. Potest tamen Papa in tali jure Divino dispensare ministerialitèr, boc est ex officio, & cum auctoritate declarando, jam esse causas, propter quas equum sit, ità Deo ipso relaxetur talis pristina obligatio. Quod cum facit Pontifex; Deus, ut agens principale, tollit obligationem* (*c*). *Sed quæret aliquis ulteriùs, an etiàm sine dispensatione Pontificis possint extrà prædictos casus alicui conferri licitè plura beneficia. Ad boc sit ordine tertia assertio. Plura beneficia, requirentia residentiam, nullo modo possunt conferri, vel obtineri sinè Summi Pontificis dispensatione, & causâ legitimâ: adeòut, si causa legitima dispensationis desit; qui obtinet, non sit tutus in conscientiâ. Probatur: nàm bujusmodi pluralitas est probibita; & quidèm si babeat curam animarum, iure Divino, & nulla consuetudo obstat tali probibitioni. Ergò requiritur dispensatio, cum præceptum non sit abrogatum.*

(c) *Valent. loco citat. ver. sed dices fol.* 1135.

9. Subdit posteà immediatè ipsemet Auctor. *Quot autem requiratur causa legitima, ut quis tutâ conscientiâ obtineat; probatur: nam ut communitèr, & rectè dicitur: Papa non babet potestatem conferendi beneficia cum detrimento Ecclesiæ, sed in utilitatem ejus. Nequè enim est planè dominus beneficiorum, quippè cum non possit illa convertere licitè in proprios usus, ut docent D. Thomas, & Cajetanus bic in responsione ad 3. sed est dispensator eorum, utpotè quæ sunt bona communia Ecclesię; juxtà illud Apostoli 1. Corinth. 4. Sic nos existimet bomo, ut ministros Dei &c. Et ità jubentur ubi suprà in Conc. Trid. causæ dispensationum bujusmodi diligentissimè examinari. Quarta Assertio: Plura benefi-*

cia

cia simplicia catenùs potest quis licitè habere, quatenùs id fuerit usu rationabili, & probatâ consuetudine receptum, dummodò tamèn ea beneficiorum pluralitas ob aliquam concurrentem circumstantiam non sit prava: ut esset, si indigno obveniret, aut alii digni tùnc negligerentur, cum boni communis detrimento &c. juxtà supradicta. Nunc enim solùm asserimus per consuetudinem rationabilem, & approbatam, posse licitè haberi plura beneficia simplicia, spectando præcisè hoc solùm, quod plura sunt. Ità asserit D. Thom. Quodlib. 9. art. 15. & Sotus lib. 3. de Iust. qu. 6. art. 3. & Navarrus in Manual. cap. 25. n. 128. Probatur: nàm cum solo jure humano hujusmodi beneficiorum pluralitas videatur prohibita; ubi probata consuetudo obtinuisset, ut plura ejusmodi beneficia, uni sine aliquâ dispensatione Superioris conferantur; meritò censeri posset illud jus humanum per consuetudinem contrariam esse abrogatum, ut etiam Navarrus adnotavit in Manual. cap. 25. n. 128. post D. Thom. Quodlibet. 9. art. 15. Et ità probabilissimè sensit Sotus lib. 3. de iustitiâ qu. 6.. art. 3. in hujusmodi communitèr non esse opus aliquâ dispensatione.

10. Pergit Valentia, & addit: *ubi autem illud jus humanum vigeret, dispensatio est necessaria, quæ quidèm adhùc potest habere locum post peculiarem prohibitionem Conc. Trid. sess. 7. c. 4. & sess. 24. c. 17. ut suprà notavimus ex sententiâ Navarri c. 25. n. 127. Et quidèm ubi ejusmodi pluralitas beneficiorum simplicium careret per sè omni vitio contrà jus naturale, ac proindè esset tantummodò contrà jus humanum; dispensatio Summi Pontificis in hujusmodi beneficiis simplicibus securum redderet à peccato, contrà jus humanum, eum, cui plura darentur, quamvis non subesset legitima causa dispensandi. Nàm ut ex communi doctrinâ disputavimus tomo 2. qu. 5. de legibus p. 9. Superior dispensans sine causâ legitimâ in jure humano, quod ipsè condidit, quamvis peccet, tamèn verè reddit alterum securum in conscientiâ à peccato contrà id jus humanum, eo quod sè habet tùnc ut agens principale, cujus potestate potest tolli vinculum juris humani, etiàm causâ legitimâ deficiente. Nàm pretèr causam legitimam obligationis, ut lex obligaret istum, requiritur, ut voluntas Superioris obligandi illum perseveret, sicut etiàm eadem fuit necessaria, ut initio obligaretur. Hoc tamen intelligi debet tantummodò quoàd peccatum (ut dixi) contrà jus humanum, & quoàd pænas ei juri fortè annexas. Nàm aliundè peccaret quis tunc, dispensatione injustâ utens (nisi fortè ignorantia eum excusaret (contrà legem naturę quatenùs turpis est pars, quæ sine causâ justâ est difformis toti, hoc est aliis de eadem communitate, qui jure illo, ac lege communi tenentur, à quâ ipse sine ratione eximitur, juxtà ea, quę de hoc disseruimus tomo 2. qu. 5. de Legibus p. 9.* (a)

(a) *Greg. de Valentia ubi supra.*

11. Vide quàm profundè, ac luculentèr Valentia probat beneficiorum diversitatem, & quod ex eis alia residentiam requirunt, alia verò non: sive alia sunt compatibilia, alia verò incompatibilia, proptèr debitum residentiæ. Quo debito posito, adhùc intrat potestas Summi Pontificis dispensandi super eo, quotiès justa causa concurrat interponendi dispensationem. In reliquis quâ parte loquitur de beneficiis merè simplicibus, argumentum de plano procedit: Nàm si licitum est uni Clerico absquè dispensatione plura obtinere beneficia merè simplicia; sine dubio etiam in illis residere non tenetur. Non enim potest pluribus in locis eodem tempore commorari. Ex quâ parte verò loquitur de beneficiis residentialibus; argumentum à maiori ad minùs in fortioribus terminis locum habet: nàm si vigore dispensationis Clericus, habens plura beneficia ex sui naturâ residentialia, non tenetur in eorum singulis residere; Multò fortiùs residere non tenetur, qui plura obtinet beneficia ex suo genere à residentię onere exempta.

12. Adest quarto loco *Antonius Cordubensis* egregius Theologus Ordinis Minorum, qui paritèr de beneficiis instituto sermone, ità proloquitur: *Tertia propositio quoàd beneficia non curata, quæ nequè residentiam ullam requirunt, est, quod talia, utpotè prę̨stamerę, & hujusmodi, possunt ex causâ rationabili*

plura

plura haberi, etiàm sine ullâ dispensatione. Tùm quia sic habet usus, qui quatenùs oppositum est de jure humano, derogare sufficit illud. Tùm quia hoc non est contrà jus naturale, vel divinum: quia licèt in his sit oculus habendus ad justitiam distributivam; potissimùm tamèn ad commutativam, per quam Ecclesiis de ministris providendum est. Vbi autem nec residentia requiritur, nèc cura animarum est, ibi Ecclesia non læditur, nèc aliæ deformitates ob talium præbendarum pluralitatem notabilitèr consequuntur. Quamvis Adrianus hoc temperet, dicens non esse plenam juris abrogationem, sed derogationem, quatenùs sinè ullâ causâ talis provisio fieri non potest. Sed ut dixi jam sine ullâ causâ conferuntur à Prælatis Papæ inferioribus absquè aliâ dispensatione, ut de hoc latiùs Gloss. in dict. Extravag. Joan. 22. Execrabilis de præbendis &c. (a)

(a) *Corduba quæstionar. Theol. lib. 1. qu. 20. propos. 35. f. 138.*

13. Recurrit hìc argumentum paulò superiùs indicatum, procedens à licitâ pluralitate beneficiorum merè simplicium, ad eorum exemptionem ab onere residentiæ. Docet enim Corduba, quod pluralitas hujusmodi beneficiorum nullum habet obstaculum, nisi à jure humano, cui jàm per usum contrarium est totalitèr derogatum. Additque, non esse contrà jus naturale, neque divinum, plura ex hisce beneficiis possidere, nec Ecclesiam lædi propter præfatam pluralitatem, quià beneficia illa non exigunt residentiam. Eâdem ergò ratione nihil urget Beneficiarios merè simplices ad debitum residentiæ, quià si quid est in contrarium, totum est de jure humano, cui jàm per contrarium usum est generalitèr derogatum. Et sicùt non leditur Ecclesia, nec violatur jus naturale, vel divinum per pluralitatem benèficiorum merè simplicium, sic & nullum istorum sequitur per exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Si autem nec jus divinum, neque naturale violatur, neque Ecclesia læditur per exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Si demùm jus humanum, residentiam ipsam exigens, est jàm ubilibet per contrariam consuetudinem abrogatum; quænam quæso de causâ: quonam jure subjugari possunt Beneficiarii simplices præfato oneri, ac in eis captiva reddi Ecclesia, quæ utque modo libera fuit?

14. Occurrit quinto loco *Gabriel Vasquez* Theologus profundissimus Societatis Jesu, qui propositâ quæstione: *Vtrum liceat habere sine causâ, & dispensatione, plura beneficia, adeò simplicia, ut residentiam, & servitium non postulent, ut sunt præstameriæ* (b); Respondet: *De iis beneficiis in particulari solùm disputavit ex citatis Auctoribus Sotus, & Corduba, qui asserunt, quod licèt plures habere præstimoniales portiones sine dispensatione, & sine causâ aliâ excusante. Primò sine dispensatione, quoniàm ità, inquiunt, usus habet, qui derogare potuit jus humanum, quo universalitèr prohibetur pluralitas Beneficiorum quorumcumque. Et quamvis consuetudo derogare non possit, sine causâ excusante, jus naturale, quo prohibetur pluralitas beneficiorum; tamen quià pluralitas præstimoniorum non est contrà jus naturale; ideò sola consuetudo excusat à turpitudine, quæ est in pluralitate, quià illa solùm est à jure positivo. Quod ergò non sit contrà jus naturale pluralitas præstimoniorum, isti Auctores ex eo probant, quià ideò naturali jure prohibetur pluralitas, quià ex illâ sequitur, quod Beneficiarii non resideant in altero beneficio. Insupèr sequitur diminutio cultus divini, & defraudatio voluntatum Testatorum. Sed in præstimoniis nullum istorum inconveniens sequitur, cum illa nec residentiam, nec servitium requirant aliud, quam horarum recitationem, quæ ubique persolvi potest.* Ergò plura ex his merè simplicibus beneficiis licitè possunt insimùl possideri. Datâ autem hac simultaneâ pluralitate ipsorum beneficiorum, sequitur ex consequenti exemptio, & immunitas Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.

(b) *Vasqu. Opusc. de benef. c. 4. §. 2. dub. 8. num. 204. f. 458.*

15. Prosequitur deindè Vasquez. *Addunt tamèn isti Auctores, quod ut plurimum ista beneficia in unum coacervare, non caret culpâ veniali gravi, & aliquandò mortali, proptercà quod iniquâ viâ, aut saltèm cum scandalo populi illa possi-*

possidentur, & aliquandò ad majorem luxum, & superfluentiam. Navarrus in Summâ Latinâ cap.25. num.125. & 129. universalitèr videtur docere, quod si alterum beneficium sufficiat congruæ sustentationi, non potest quis aliud habere, nisi ex rationabili causâ, & dispensatione. Idem sentire videtur Sylvest. Verbo Beneficium 4.q.2. quando alterum congruæ sustentationi est sufficiens. Sed Sylvester, ni fallor, loquitur de beneficiis servitoriis. In hâc quæstione mihi videtur alitèr dicendum, quod jure naturali hæc Præstimoniorum *pluralitas, solùm eam turpitudinem habet, quod si uni plura conferantur, justitiæ distributivæ proportio non servetur, dùm uni conferuntur, quę in pluribus erant distribuenda. Cætera enim, ut benè Sotus, & Corduba probavit, non habent locum in iis beneficiis, siquidèm nullum servitium postulant, nec residentiam. Hæc autem turpitudo contrà justitiam distributivam tollitur: primò, si uno duo conferantur, quorum alterum non sufficiat sustentationi, illud enim, quod tenue est, non est dandum alicui per se, sed simùl cum alio; saltem in hoc non erit acceptio personarum (u).*

16. Pergit idem Auctor subdens. *Secundò tollitur hæc turpitudo, ratione personæ, cui conferuntur, si personę dignitas expostulet plura beneficia, ut congruè alatur, & quià maximè utilis speratur esse Reipublicæ Christianæ, ut Doctor, aut alius magnæ auctoritatis. Hoc autem non debet esse occasio conferendi plura beneficia ad luxum, & superfluitatem vitæ. Si ergò aliqua ex iis, vel alia similis causa intercedat, licitè potest quis accipere plura beneficia hujusmodi, & illa petere, nec erit injustitia aliqua in hoc. Quod si similis causa non adsit, existimo nec consuetudine, nec dispensatione Papæ, posse aliquem plura sic beneficia adquirere. Et hoc dictum puta de pluralitate beneficiorum, quorum alterum tantùm residentiam requirit, alia verò non, tunc enim idem est, ac si omnia essent sine curâ, & obligatione residendi. Quantùm verò ad dispensationem in pluribus beneficiis, existimo, quod etiam causâ interveniente prędictâ, requiritur dispensatio post Concilium: quod universalitèr docet esse tenendum Navar. ubi suprà, quià Concilium sess.24. decreto de reformatione cap.17. universalitèr, quorumcumque beneficiorum cujuscumque qualitatis, pluralitatem prohibet; ergò licèt causa interveniat excusans, quoàd obligationem juris naturalis, tamen requiritur juris positivi etiam dispensatio, & ità sola causa non est sufficiens, nisi decretum Concilii, consuetudine esset abrogatum quoàd hoc, quià vim haberet in hoc consuetudo. Unum verum est, quod docet Navar. cap. illo 25. num.127. quod sine dispensatione licitum esset habere duo beneficia, quorum alterum congruæ sustentationi non sufficeret, modò alterum residentiam saltèm non requirat, ut decernitur ex eo capite, ibi enim conceditur, quod duo beneficia, quorum utrumque non requirat residentiam, & alterum non sufficiat, possunt uni conferri (b).*

(a) *Gabriel. Vasquez loc. citat.*

(b) *Idem Gabriel. Vasquez ubi supr.*

17. Ex quo toto discursu patet, quod Vasquez expressè supponit velut certum, & inconcussum, beneficia merè simplicia nullum involvere debitum residentię. Et imò illa per hoc distingui ab aliis, quod Curata, & Choralia, seu habentia debitum personalis ministerii, exigunt residentiam: simplicia verò isto onere carent. Traducendo posteà, ut alibi factum est, argumentum à licitè permissâ pluralitate beneficiorum merè simplicium, ad eorum exemptionem à debito residentię; patet ex doctrinâ Vasquez, quod sicuti non est contrà jus naturale habere plura beneficia merè simplicia: sublatumque est jus positivum, eandem pluralitatem interdicens, ac tota tollitur turpitudo, deformem reddens ipsam pluralitatem, quoties justa causa eorum retentionis concurrit; ità etiam non est contrà jus naturale exemptio Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ: sublatumque est jus positivum illam deposcens: Quià tandem justæ causæ concurrunt, ipsam exemptionem promoventes, ideò rè totâ ritè, & rectè perpensâ; nil aliud est veracitèr concludendum, nisi quod Beneficiarii merè simplices sunt à personalis residentiæ debito exempti,

18. Fusè

18. Fusè loquentibus hâc de rè Theologis, unum addimus *Alexandrum Pesantium*, breviusculè de rebus Theologicis perorantem, & appositè ad materiam nostram dicentem. *Simplex beneficium aliquandò opponitur curato, & hoc modo continet omne beneficium non curatum. Sed sumitur etiam strictè, & tùnc significat beneficium non curatum, quod nec est prælatura, nec dignitas, nec ullus canonicatus. Et hujusmodi beneficium simplex aliquandò dicitur esse sine servitio, quando scilicèt Beneficiarius nihil aliud tenetur facere, quàm recitare horas: hujusmodi sunt beneficia, quæ vocantur præstimeria. Aliquandò dicitur esse cum servitio, ut quando Beneficiarius pretèr horas debet aliud facere, verbi gratia facere sacrum, cantare &c.* (a). Sentit ergò Pesantius, quod beneficia simplicia, strictè sumpta, quæ nos hùcusque semper vocavimus beneficia merè simplicia, sunt à residentiæ personalis debito exempta. Quod verum est, nedùm si carent quocumque alio onere, præterquàm officii divini, verùm etiam si onus alicujus alterius servitii habeant, uti missas celebrandi &c. quotiès fundator expressè non intenderit personam Beneficiarii obligare: cum extrà hunc casum hujusmodi onera satis possint per substitutum impleri. Alios Theologos adjungere facile esset, sed nostrum non est hìc omnes, qui de præsenti negotio sunt locuti, congerere. Sufficiant jàm allegati: nàm quibus isti non sufficiunt; nec etiam illorum uberior numerus esset satis. Nos intentum nostrum habemus, quotiès ostendimus, quod etiam Theologi Scholastici exemptionem, & immunitatem Beneficiariorum simplicium tuentur ab onere servitii personalis, & residentiæ: hoc etenim est scopus, & propositum præsentis Capituli, quo jàm ad subsequens pertransimus.

(a) *Pesantius Comment. in D. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 2. disp. 2. fol. 680.*



CAPUT XIX.

In quo affertur doctrina THEOLOGORUM MORALIUM *probans, quod Beneficiarii merè simplices sunt à Servitii personalis, & Residentię debito immunes.*

SUMMARIUM.

1 *Affluit copia Moralistarum eximentium Beneficiarios merè simplices à debito residentiæ. Primus allegatur* Joannes Azorius *Lusitanus.*

2 *Omne beneficium de jure communi an exigat residentiam. Canones non excludunt servitium Ecclesiæ per alios præstitum, quàm per Beneficiarium.*

3 *Præstimonia, & beneficia simplicia ex consuetudine residentia non exigunt, & satis est, si eisdem per alium deserviatur.*

4 *Cum Beneficiarii merè simplices, divino, & naturali jure apud suas Ecclesias morari non teneantur, potuit consuetudo introduci, exclusiva eorum residentiæ.*

5 *Canones dicentes, aliqua beneficia non exigere debitum residentiæ, intelliguntur de illis, quæ consuetudine, vel privilegio, aut statuto, non eam requirunt.*

6 *Aliqua beneficia simplicia sunt quibus Beneficiarii, nec per seipsos, neque per alios debent deservire.*

7 *Quod Ecclesia debito servitio non destituatur, hoc est juris naturalis: quod verò ei serviatur à Beneficiario per sè, vel per alium, hoc est juris canonici.*

8 *Sequitur* Valerius Reginaldus *Burgundus, asserens priùs, quod omnia beneficia curam habentia, & Choralia, residentiæ debito coarctantur.*

9 *Quoàd beneficiu simplicia ex canonibus non concluditur, debere Beneficiarios per sè ipsos Ecclesiæ deservire, stante contrariâ consuetudine.*

10 *Refertur doctrina* Pauli Layman *Theutonici, explicantis quid sit residere, & quomodò differat ab interesse. Ad neutrum tenentur Beneficiarii simplices.*

11 *Beneficia Choralia exigunt residentiam ex Concilio Tridentino. Residentia alia est præcisa ad præstandum servitium, alia causativa ad fructus lucrandos.*

12 *Quænam sint beneficia compatibilia, & incompatibilia. Plura compatibilia simul haberi possunt: quod excludit ab eis onus residentiæ personalis.*

13 *Plura beneficia merè simplicia uni Clerico sine dispensatione conferri possunt: à quo valet argumentum ad eorum exemptionem ab onere residentiæ.*

14 *Consuetudine an tolli possit obligatio residendi in beneficiis curatis, ut in aliis, quæ de sui naturâ sunt incompatibilia?*

15 *Super residentiâ in curatis ex causâ Papa dispensat. Consuetudine autem induci potest quidquid privilegio, vel dispensatione valet obtineri.*

16 *Si consuetudo valet beneficia alioquin exempta, ad residentiam arctare: cur hanc immunitatem non poterit beneficiis merè simplicibus impertiri?*

17 *Ex*

17 *Ex* Thomâ Sanchez *Hispano*. *Clericus sortitur domicilium in loco, ubi habet beneficium residentiale*. *Beneficia simplicia non exigunt residentiam*.
18 *In Concilio Compostellano proposita fuit arctatio Beneficiariorum merè simplicium ad residentiam, sed rè seriò examinatâ destitum est à conatu*.
19 Andream Molfesium *ingenti elogio affecit Collaterale Consilium Neapolitanum*. *Sentit autem beneficia simplicia non exigere onus residentiæ*.
20 *Episcopus cogere non potest Beneficiarios simplices ad residentiam*. *Contrariâ tamèn consuetudine potest introduci oppositum*.
21 *Beneficia merè simplicia non sunt incompatibilia, quià non requirunt debitum residentiæ personalis*.
22 *Refertur doctrina* Martini Bonacinæ *celebris Moralistæ, plures rationes adducentis pro antefatâ exemptione, quarè nec posse cogi, nec peccare, si non resideant memoratos Beneficiarios merè simplices*.
23 Vincentius Filliuccius *asserit potuisse exemptionem prænotatam consuetudine introduci, cum solo juri canonico inniteretur contrarium onus residentiæ*.
24 *Jàm ergò Moralistæ omnium penè Nationum favent exemptioni beneficiorum simplicium ab onere personalis residentiæ*.
25 *In rebus humanis non vi, sed justitia est agendum*. *Bonumque est referre multa motiva immunitatis præfatæ tàm à ratione, quàm ab auctoritate petita*.

1.  Dεo exuberans est numerus Theologorum Moralium, qui de immunitate Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ debito sunt locuti, ut eorum copia potiùs, quàm inopia difficultatem ingerat procedendi in hoc Capitulo ad normam, quam in præteritis observavimus. Intèr numerosam ergò ubertatem Moralistarum, hìc multis prætermissis, aliquos tantummodò seligemus, ac successivè notabimus, viros doctos, pios, & æquanimes, qui nec nimium laxas, neque nimium rigorosas sententias amant, sed mediâ quadam viâ procedunt, auream mediocritatem tenentes, & *reddentes quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo* (*a*): ut ex eorum doctrinâ uniformi, constantèr assertâ, & rationibus, atque aliorum Doctorum testificationibus roboratâ, pateat, quid de quæstione, quam habemus præ manibus, sit dicendum. Et in primis *Joannes Azorius* Lusitanus Societatis Jesu, egregius Theologus (quem laudant Antonius Baldassarius (*b*), & alii) quæstione motâ ex proposito de residentiâ eorum, qui obtinent ecclesiastica beneficia: & firmatâ velut rè certissimâ, & inconcussâ, quod Episcopi, Abbates, Parochi, aliique curam animarum habentes, necnon alii dignitatem, administrationem, vel officium tenentes, & sic ad psallendum in choro, vel ad serviendum Ecclesiæ mancipati, onere assiduæ præsentiæ, sive residentiæ personalis debito sunt adstricti; descendit ad inferiora beneficia sic dicens.

2. „ Sed dubitatur an singula alia beneficia simplicia assiduam Beneficiarii „ præsentiam jure postulent? Communis est intèr Juris Canonici peritos senten„ tia, omne beneficium, quamvis simplex, eam jure communi requirere. Sic „ Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, Panormitanus, & alii. cap. ult. & „ cap. quià nonnulli, de Cler. non resid. Itèm Glossa in cap. quià nonnulli, cap. „ conquerente, cap. relatum eod. tit. quos omnes Auctores citat, & sequitur „ Joann. Selva de benef. par. 4. quæst. 1. & Rebuff. in loco præallegato (*c*). Nèc „ dissentiunt ab illis Angelus Rosella, Sylvester, Tabien. in iisdem quoque locis „ suprà productis. Navar. in Manuali cap. 25. num. 121. Idque colligunt ex iis „ locis, quos subiiciam, ex cap. ult. cap. conquerente, cap. quià nonnulli de „ Cler. non resid. & cap. ult. dè rescript. in sexto, ubi dicitur, beneficium pro-

(a) *Matth. cap. 22. num. 21. Lucæ cap. 20. num. 25.*

(b) *Anton. Baldassar. Compend. ristret. delle Vite &c. su Gio: Azorio f. 76.*

(c) *Jo. Azor. Instit. Mor par. 2. lib. 7. cap. 3 fol. 494.*

„ ptèr officium dari, & ex cap. super inordinatâ, de præbend. ubi habetur, „ pueros non esse idoneos ad beneficia, cum illis inservire non possint, videlicèt per seipsos, nàm per alium possent. Et quamvis quibusdam videatur id „ apertè non colligi ex iis, quos attulimus juris canonici locis, nec ex aliis, „ quos Glossa commendat: eo quod solùm in iis canonibus habeatur, ministros in Ecclesiis constitui, ut in illis inserviant, & suum munus, & officium „ exequantur, quod potest intelligi ità, ut vel per seipsos, vel per alios, in „ sui locum suffectos, id faciant; Ego tamèn magis cum jure communi puto „ congruere, omne beneficium quodcumque illud sit, assiduam in Ecclesiâ „ Beneficiarii præsentiam canonico jure deposcere. Idem colligi videtur ex „ cap. sanctorum dist.70. cap. Clericos, dist.71. cap.Eleutherius, dist.91.cap.1. „ 21. quæst.1. Item in cap. quià nonnulli, de Cler. non resid. ex Concilio Lateranensi illud affertur. Cum igitur Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium „ committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & „ curam ejus valeat per seipsum exercere. Sic ibi.

3. Descendit posteà ad aliam quæstionem dicens. „ Quærat aliquis, an „ Præstimoniales portiones habeant onus annexum, ut qui eas habet, residere „ *jure* cogatur? Quidam sentiunt, eos habere, quando quis ea habet *jure*, & „ nomine, ac titulo beneficii. Id probant non aliâ ratione, nisi quià sunt beneficia ecclesiastica, & omne beneficium, etiam simplex, jure communi „ tale onus secum affert. Menochius in tract. de arbit. Judic. lib.2. Centur.3. „ cap.102. num.55. dicit, idem juris esse de his beneficiis, quod de cæteris beneficiis ecclesiasticis simplicibus. Meo judicio, eo ipso, quod sunt beneficia „ ecclesiastica, habent jure communi hujusmodi onus annexum; sed consuetudine in Hispaniâ, ubi sunt multa hujusmodi beneficia, receptum est, ut tales Beneficiarii abesse queant à suis Ecclesiis, & nihilominùs fructus acquirant: nec per alias inservire in Ecclesiis cogantur. Sic etiam usu, & con„ suetudine videtur receptum fuisse, ut Clerici alia simplicia beneficia, à Cano„ nicatibus, & portionibus distincta, habentes, à suis Ecclesiis licitè abesse „ possint, dummodò tamen alias substituant, qui in ipsis inserviant. Non sine difficultate est, ut alibi per nos in hoc opere ponderatur, an verè de jure beneficia merè simplicia exigant residentiam, & num dentur jura, de illis præcisè loquentia. Sed in suppositione quod dentur, docet Azorius eadem noc obstare, quandoquidem generalis consuetudo in contrarium ipsamet jura penitùs abrogavit. Indè ad aliam quæstionem descendit dicens.

4. „ Quæres itidem; An potuerit hæc consuetudo introduci, & jus canonicum abrogari? Respondeo cum Glos. communi, ut ait Mandos. in regu„ lâ 1. Concell. quæst.13. num.8. omnium consensu recepta in cap. cum omnes „ de constit. & cap. dudùm 2. de Elect. hanc consuetudinem licitè introduci „ potuisse, quià jus scriptum sive civile, sive canonicum, potest consuetudine, „ vel ex toto, vel ex parte aboleri. At Clerici simplicia beneficia obtinentes, „ jure tantùm canonico, non naturali, vel divino in suis Ecclesiis commorari, „ & adesse coguntur, tametsi negari non possit, jure naturali eos debere ità suis „ Ecclesiis consulere, ut debito non careant ministerio, nec suis debitis ministris, & necessariis fraudentur, aut destituantur. Glossam sequuntur Hostien. „ Joan. Andr. Anton. in cap. ex parte de concess. præben. Panormit. in cap. tuæ, „ de Cler. non resid. Profectò ingens est vis consuetudinis, quâ fieri *licitum*, „ *quod ratione constat esse prohibitum* „ suggerebat D. Gregorius (*a*). Eam esse, *jus quoddam moribus institutum* „ docebat D. Isidorus (*b*). Illam tandem tantâ existimatione colendam esse clamabat D. Augustinus, ut „ *sicut prævaricatores legum divinarum; ità contemptores consuetudinem ecclesiasticarum coercendi sint* (*c*). Quis ergò in dubium valeat revocare, pro veritate loquendo, quod generalis consuetudo potuerit ritè, & rectè onus residentiæ Bene-

(a) *S. Gregor. lib.2. indict.2.epist.121.*

(b) *S. Isidor. Etymolog lib.2.*

(c) *S. August. epist. ad Casulanum.*

Beneficiariis merè simplicibus omninò subtrahere, & jura humana, si quæ unquàm fuerunt contrarium decernentia, totalitèr abrogare?

5. Sequitur Azorius. „ At dicens: si generatim singuli Beneficiarii jure „ communi præsentes esse debent, cur Canones aliquandò dicunt, beneficia „ alia esse, quæ Beneficiarii præsentiam assiduam requirant, alia non item? „ Quod si verum est, consequitur, ut eam non omnia beneficia jure communi „ deposcant? Respondeo, cum canones, & decreta dicunt, nonnulla benefi- „ cia præsentiam Beneficiarii non poscere: id locum habere in multis beneficiis, „ non quod Clerici ea habentes jure communi in suis Ecclesiis adesse non de- „ beant, sed quod Beneficiarii præsentiam talia beneficia non postulent statu- „ to, privilegio, vel consuetudine, vel jure speciali: ac proindè hæc sunt be- „ neficia, quæ Canones aliqui dicunt Beneficiarii præsentiam non requirere, „ usu videlicèt, ac consuetudine, speciali jure, vel statuto, vel privilegio, cę- „ tera verò juris communis regulam retinent, ac servant, ità ut nullâ consue- „ tudine Clerici ea habentes possint ab Ecclesiis abesse. „ Optimam est hæc responsio: sed nihilominùs vis argumenti satis patefacit, quod quamvis aliqua jura trahi possint ad oneranda cujuscumque speciei beneficia, etiam simplicia, debito residentiæ personalis; tamen ipsa jura non clarè loquuntur de beneficiis merè simplicibus. Et in hypothesi etiam quod clarè de his paritèr loquerentur; opponi eis possunt alia jura Beneficiarii præsentiam assiduam non requirentia. Factâque collatione intèr utrimque sic opposita jura, resultat, quod rigorosè dici non potest, de jure communi beneficia merè simplicia onus involvere personalis residentiæ, sed potius esse à tali debito immunia.

6. Deindè quærit Azorius: „ An consuetudine introduci quæat, ut simpli- „ ces Beneficiarii, qui nec sunt Canonici, nec Portionarii, absint à suis Ecclesiis, „ ità ut nec per sè ipsos, nec per alios, in suum locum suppositos, inserviant? „ Archidiaconus in cap. Sacerdotibus, dist.31. & Jo: Lignanus in cap. cum „ omnes, de constit. negant, talem consuetudinem, vim, & locum habere: „ quià esset oneri Ecclesiis? Respondeo, intèr simplices Beneficiarios pleros- „ que esse, qui consuetudine à suis Ecclesiis licitè absint: ità tamen, ut alios sibi „ sufficiant ad inserviendum Ecclesiis: alios verò esse, qui licitè absunt, nec „ ullos in sui locum substituunt: cujus generis Beneficiarii sunt, qui in Hispa- „ niâ, præstimonia, sive *præstimoniales* portiones obtinent, hi etenim ità licitè „ à suis Ecclesiis, etiam in perpetuum absunt, ut nec etiam per alios in sui lo- „ cum subrogatos inserviant. Undè quidam in eâ sunt opinione, ut putent „ hujusmodi præstimonia, sive præstimoniales portiones, beneficia non esse: „ nàm beneficium propter officium confertur: sed qui hæc habent beneficia, „ liberi sunt, & immunes ab omni onere, & ab omni alio munere, & officio, „ præterquàm ab obligatione recitandi preces horarias, ità ut nullo jure co- „ gantur in Ecclesiis, sive per sè, sive per alios inservire; ut propterea arbi- „ trentur, præstimonia esse instituta tanquàm portiones quasdam ex beneficiis „ ecclesiasticis detractas ad juvenes litterarum studiosjuvandos. „ Vera, & totalis ratio, cur Beneficiarii merè simplices neque per sè, neque per alium deservire debeant in loco beneficii, non est, quia illa non sint beneficia, sed quià beneficia merè simplicia, ut sic, nullum exigunt servitium personale, pretèr officii divini recitationem, quæ ubique fieri potest. Quod si aliqua ex his beneficiis onus ulterius habent alicujus operis, exercendi in loco beneficii, ut est missas ibi celebrare, festum aliquod solemnizzare, eleemosynas dispensare, & similia; tunc Beneficiarii non per sè, sed per accidens, tenentur, si ipsi absint, aliquem alium substituere, qui talia opera exerceat: extrà quem casum substitutio hæc, quantum ratio beneficiorum merè simplicium de sè poscit, necessaria non est.

7. Subdit proindè Azorius: „ Ego autem suprà suo loco dixi, probabile esse

„ esse, hæc præstimonia talem originem habuisse. Sed quidquid sit de eorum initio, & institutione; modò dubitari non potest, esse verè, & propriè beneficia ecclesiastica: quoniàm Ecclesia potuit efficere, ut ejusmodi præstimonia, præstimoniales vè portiones essent beneficia, quamvis ab origine suâ non fuerint talia: aut si talia erant, certè erant ad Canonicos, & alios Beneficiarios superiores, subsidio aliquo sublevandos, & usu, & consuetudine introduci potuit, ut Clerici hujusmodi beneficia obtinentes, & licitè à suis Ecclesiis absint, & nullos sibi subrogent, qui in Ecclesiis inserviant. Nàm etiam more, & usu inposterùm introduci poterit, ut reliqui etiam Beneficiarii simplices, præsertim Canonicis inferiores, à suis Ecclesiis absint, nec ullos sibi sufficiant, dummodò tamen Ecclesiæ aliis debitis ministris non careant, & Beneficiariorum absentia non præbeat liberam otiosè vagandi facultatem: quod enim dicti Beneficiarii per sè, vel per alios debeant Ecclesiis inservire, partim est, ut dixi, juris naturalis, partìm Canonici dumtaxat. Juris naturalis est, Ecclesiam debito sibi ministro, & necessariò non destitui, hoc est, cum indiget, eo non fraudari: sed canonici juris est, ut Beneficiarius quisque per se, vel per alium inserviat, etiam cum aliundè Ecclesiæ commodè inservitur. Sic Joannes Selva de beneficiis par.4.quæst.2.num.2.&c. „ (*a*). Adeò clarè Azorius firmat immunitatem Beneficiariorum merè simplicium ab onere personalis residentiæ, ut sit superfluum hìc quidquam ulteriùs de ipsius mente proponere.

(a) *Joan. Azor. Inst. Mor. p.2.l.7.c.3 f.494*

8. *Valerius Reginaldus* egregius, & ipse Theologus Societatis Jesu, natione Burgundus, in suâ praxi fori pœnitentialis, agit de obligatione residentiæ, qua Beneficiarii adstringuntur, & pro certo ponit, quod omne beneficium, cui animarum cura commissa est (sive in foro interiori tantùm, ut est parochia; sive in exteriori tantùm, ut est Archidiaconatus, cum jurisdictione absque pastorali curâ; sive in utroque foro simùl, ut est Episcopatus, ea quodlibet aliud beneficium, cui jurisdictio, & pastoralis cura insimul est adnexa) tenetur ad residentiam, per *cap. ad hæc*, *& cap. extirpandæ §. qui verò de præbend.*, *& cap. quià nonnulli de Cler. non resid. & cap. licet de elect. in 6. & Concil. Trid. sess. 6. & 23. cap.1. de reform.* Idipsum statuit de beneficiis habentibus ecclesiasticam dignitatem, institutam ad conservandam, vel augendam ecclesiasticam disciplinam, ut est Præpositura, Decanatus, Præcentoria &c. ex dicto *cap. ad hæc, & cap. ex parte vestrâ, cap. intèr quatuor. cap. ex parte tuâ de Cler. non resid. Concil. Trid. sess.24. cap.12. de refor.* (*b*). Indèque gradatìm descendendo ad Canonicatus, horum quoquè possessores ad personalem residentiam arctari docet, nixus citato *capitulo 12. sess.24. Conc. Trid. & cap. de cæterò: cap. tuæ: cap. cum dilectus: cap. cum ad hoc, de Cler. non resid.* quod & habere locum ait in Assisiis, aut Mansionariis, vel habentibus præbendam, sive portionem, aut aliud beneficium, canonicali inferius, ad servitium Ecclesiæ personale obligans, ex dicto *capitulo cum ad hoc de Cler. non resid.* Proùt etiam locum habere asserit, in Vicariatu perpetuo Ecclesiæ parochialis: qui in substantiâ non est aliud, quàm beneficium parochiale, ac uti tale, onus exigit personalis residentiæ per *cap. finale de offic. Vicarii* (*c*).

(b) *Reginald. lib.30. tract.3.c.5. n.49.*

(c) *Reginald. lib.30. tract.3. loc. cit.*

9. Tandèm ad beneficia merè simplicia perveniens, hæc, quæ subsequuntur, proponit. *De cæteris autem beneficiis non est ità certum: nam etsi Doctores (quos satis magno numero Azorius &c. refert, & sequitur) communitèr asserant omne beneficium jure communi residentiam requirere, quià ex cap. quià nonnulli cap. relatum, cap. conquerente de Cleric. non resid. cap. final. de rescript. in 6. beneficium datur propter officium, quod quidèm requirit præsentiam personæ in loco, quo ipsum debet exerceri; Nihilominùs indè nihil amplius videtur colligi de necessitate, quam quod Beneficiarii in Ecclesiis constituantur, ut serviant officium in eis exercendo, non autem statui apertè, quod debeant personalitèr servire per se ipsos, sicut de parochis, ac aliis priùs memoratis particularitèr statuitur.*

tuitur. Quidquid autem sit de jure communi; constat apud omnes dari quædam beneficia simplicia ultrà antememorata (ut Capellanias) quæ per consuetudinem receptam, nec tamquàm illicitam reprobari solitam, libera sint à residentiâ personali (excepto quod interdùm aliqua eorum, ex statuto speciali, vel fundatione illam requirant) non verò ab obligatione officium, quod eis annexum est præstandi, saltem per alium (a). Similia dicit inferius, quod beneficia simplicia non sunt incompatibilia intèr sè, qnoniam licèt omne beneficium requirat residentiam, tamen juri derogatum est per consuetudinem, cujus vi receptum est, ut in illis beneficiis serviatur per substitutos (b).

(a) *Reginald. lib. 30. c. 5. n. 50. tract 3.*

(b) *Reginald. lib. 30. tract. 3. c. 20. n. 294.*

10. Simili modo *Paulus Layman* excellens Theologus Societatis Jesu, Natione Teutonicus, in suâ Theologiâ Morali, de residentiâ tractans eorum, qui possident Ecclesiastica beneficia, ità proloquitur: „ Residentia dicitur assidui- „ tas commorationis in loco beneficij, causa servitii ecclesiastici personalitèr „ præstandi. Ex quo collige cum Sylvestro Verb. residentia princip. si Cleri- „ cus in loco sui beneficii commoretur quidèm, sed officium nunquàm præstet, „ verbi gratia Canonicus nunquàm adchorum, ad Capitulum veniat, non esse „ censendum residere, quià frustranea est ejus residentia, quippè fine, & effectu „ suo destituta. Nihilominùs rectè ait Navarrus lib. 3. cons. 13. de Cleric. non „ resid. &c. aliud esse residere: aliud interresse &c. Spectato communi jure „ omnia beneficia ad residentiam obligant, sicùt colligitur ex cap. conqueren- „ te, ubi Abbas n. 3. & toto fermè titulo, de Clericis non residentibus &c. „ Consuetudo tamèn obtinuit, ut in simplicibus quibusdam beneficiis non residea- „ tur. Imò præstimonia licèt ex constitutione Pii V, vel Ecclesiæ alicujus con- „ suetudine, anuexam habeant obligationem officii Canonici privatim reci- „ tandi; quià tamèn nullum aliud postulant, ideò qui ea obtinent, nequè per se, „ neque per Vicarium Ecclesię deservire tenentur. Azor. to. 2. lib. 7. c. 3. qu. 2. „ Garcia p. 3. c. 2. n. 1.

11. „ De obtinentibus verò in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis Di- „ gnitates, Canouicatus, Præbendas, decretum est in Trident. sess. 24. c. 12. „ ut non liceat eis &c. ultrà tres menses ab Ecclesiis suis abesse &c. omnes ve- „ rò divina per sè, & non per substitutos compellantur obire officia &c.. Quę „ tamèn constitutio in multis Ecclesiis presertìm nostræ Germaniæ recepta non „ est. Nàm alicubi tantùm medio anno: alicubi tribus tantùm mensibus resi- „ dere coguntur. Imò tùnc Ecclesiæ, in quibus Canonici, qui uno certo verb. „ grat. S. Michaelis die resident, & divinis intersunt, totius anni reditus „ lucrantur &c. Porrò notandum est &c. duplicem esse necessitatem residen- „ di. Vna est ad præstandum servitium; expedit enìm magis Ecclesię, ut be- „ neficiati officia, ad quæ ratione redituum suorum obligantur, per se ipsos, & „ personalitèr, non per Vicarios exequantur; Altera est solùm ad fructus lu- „ crandos. Nàm in multis Ecclesiis Canonici, sivè Capitulares residere sim- „ pliciter non tenentur, sed sub conditione, si fructus percipere velint: Interim „ verò licèt non resideant, suffragium electionis, tàm passivum, quàm acti- „ vum obtinent. Quod neque à ratione, neque à jure alienum esse testatur In- „ nocentius in capit. ultim. de Cleric. non resid. „ (c). Hæc bina species residentiæ sub alijs terminis distinguitur à Doctoribus, quod alia sit *residentia vera*, & præcisa, nempè illa, quæ incumbit beneficiario propter onus, quod habet alicui Ecclesiæ personalitèr deserviendi. Alia sit *residentia causativa*, nempè illa, ad quam quis tenetur, non ratione oneris, quod habeat serviendi illi Ecclesiæ, sed solùm ad effectum adipiscendi tales reditus solis præsentibus destinatos. Prima die se causat incompatibilitatem beneficiorum. Secunda verò non (d).

(c) *Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 1. 2. fol. 35.*

12. Successivè progreditur Paulus Layman ad pluralitatem beneficiorum, & post quædam premissa, inter cætera sic effatur: „ Assertio quinta: licitè „ aliquis obtinere potest plura beneficia sæcularia compatibilia, si ità necesse

(d) *Card. de Luca Annot. ad Concil. Trid. disc. 4. à n. 13.*

fit

„ sit ad necessariam vitæ sustentationem, quæ est communis sententia, & colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 17. de reform. Compatibilia autèm beneficia in diversis quidèm Ecclesiis censentur ea, quę vel nullam, vel non incompossibilem residentiam exigunt &c. In eàdem autèm Ecclesiâ compatibilia beneficia dicuntur, quæ difformia sunt: verb. grat. Dignitas, & simplex Canonicatus, quę proindè simùl retineri possunt, nisi alicuius Ecclesiæ specialis constitutio, vel consuetudo repugnat &c. Probabile item est, quod docet Navarrus consil. 16. de Præbendis &c. communi jure concessum esse, ut duo altaria, quibus unus Capellanus satisfacere potest, eidem conferantur, quià difformia beneficia censeri debent, cum distincta onera, seu officia habeant: verbi gratia, ut in uno altari bis in hebdomadâ; in altero, aliis tribus, vel quatuor diebus sacrificetur: Saltèm ubi consuetudo est ità conferendi, dubitari non potest, quin sit licita &c. Imò Navarrus cons. 22. de præbend. docet, vigore consuetudinis immemorialis, duas Capellanias, sub eodem tecto existentes, conferri posse ejusdem Ecclesiæ Thesaurario, vel aliud officium, dignitatem, aut personatum obtinenti &c. „ (*a*). Pluralitas ista beneficiorum, uti multotiès advertimus, omninò subsistere non potest, sine præsuppositâ certiudine, quod unum saltèm ex illis pluribus beneficiis careat onere residentiæ, vel omnia. Istud autem unum, vel omnia, sunt beneficia merè simplicia, de quibus loquimur, quę non causant incompatibilitatem, ideòque plura ex illis possunt simùl retineri, absque ullo onere residentię personalis.

(a) *Paulus Layman. 4. tr. 2. c. 8. n. 7.*

13. Pergit postmodùm Layman, & quærit, quis possit in pluralitate beneficiorum dispensare: Quibusdamque aliis interpositis, quæ ad nos, vel nihil, vel parum pertinent; respondet: „ Dico secundo; si sint beneficia compatibilia, tùnc duo, vel etiàm plura (secundum quosdam) eidem conferri possunt sine ullâ dispensatione, quià jus, vel saltèm consuetudo id permittit &c. „ (*b*). Recolat Lector id, quod superiùs non semel locuti sumus, nimirùm quod optimè ducitur argumentum à licitâ permissione plurium beneficiorum merè simplicium ad eorum exemptionem ab onere residentiæ; quippè tota, vel saltèm principalis ratio præfatæ permissionis à prædictâ immunitate dependet. Vnde non sit mirum Lectori, si à præfatâ pluralitate repetitis vicibus deducimus argumentum, quià per hanc viam optimè ad terminum nostri itineris pervenitur. Præterquàmquod, ut ritè dignosci possit, quænam sit Doctorum in aliquâ rè sententia; oportet illam, ex eâ doctrinâ postulare, quam fusius, & magis ex proposito pertractarunt. Magis autèm ex proposito, & uberiùs Theologi Morales pertractarunt de pluritate beneficiorum, quia hęc dudùm fuit in controversiam posita: Parciùs verò egerunt de exemptione Beneficiariorum merè simplicium à debito residentię, quià nullus hùcusque ità desipuit, ut illam impugnavit. Imò Doctores hanc exemptionem pro rè certâ, & inconcussâ habuerunt, ideòque non multum operis, & laboris ad eam probandam impenderunt.

(b) *Idem Layman loc. citat. n. 9.*

14. Sequitur Layman, & proloquitur: „ Quæstio secunda: utrum consuetudine obtineri possit, ut plura beneficia, jure communi incompatibilia, fiant compatibilia, eidemque conferantur. Resp. & dico 1. Nullâ consuetudine introduci posse videtur, ut plures dignitates, vel personatus, aut officia ejusdem Ecclesiæ uni, eidemque conferantur. Ità habetur in cap. 1. de consuetudine in 6. ubi talis consuetudo etiàm immemorialis, reprobatur, quià per eam, ut Glossa ibidèm ait, inducitur in Ecclesiam paucitas ministrorum, & diminutio cultus Divini, quod planè repugnat beneficiorum fundationi, seu institutioni. Quarè eadem quoquè ratio esse videtur de simplicibus Canonicatibus, sive Præbendis, quarum cum pluralitatem in eàdem Ecclesiâ quam maximè canones detestantur &c. Dico 2. de pluralitate beneficiorum in diversis Ecclesiis incompatibilium, eo quod utrumque personalem residentiam

„ tiam requiret; Plerùmque distinguunt DD. hanc incompatibilitatem, sive „ obligationem [residendi in simplicibus, per consuetudinem tolli posse; non „ item in beneficiis curatis, dignitatibus, ac personatibus, sicut docet Rebuffus „ in prax. tit. de dispens. ad plur. benef. n. 66. &c. „ (*a*). Contradistinguit hìc Layman beneficia curata à non curatis, & non curata (ut sunt Canonicatus, Mansionariç, & alia beneficia choralia) vocat simplicia: quæ deindè contradistinguuntur à merè simplicibus, quç nec onus habent curç animarum, neque choro deserviendi, neque aliud onus personalitèr obeundi.

(a) *Layman l.4.tr.2 c.8.n.10.*

15. Tùnc subjungit; „ Nihilominùs Navar. conf. 21. de Cler. non resid. „ juncto conf. 24. de præbend. affirmat per consuetudinem immemorialem „ obtineri posse, ut beneficia etiàm curata, personalem residentiam non re„ quirant, sed per idoneum Vicarium administrari possint. Nàm quidquid pri„ vilegio, aut dispensatione Summi Pontificis induci potest, idem ex consue„ tudine immemoriali. At qui constat, tùm ex cap. de multa, tùm ex praxi, „ quod Summus Pontifex justâ de causâ dispensare possit super residentiâ in „ curatis, aut personatibus: ergò etiàm consuetudine immemoriali id obti„ neri potest, modò interim provideatur, ut Ecclesiæ detrimentum non patian„ tur, sed nihilominùs officium, & adminstratio prestetur saltèm per Vica„ rios. Talis in quibusdam Ecclesiis, tùm Cathedralibus, tùm Collegiatis „ adhùc viget consuetudo, ut personatus, verb.gr. præpositura, residentiam „ non requirat &c. Consuetudo itèm passim in Germaniâ viget, ut beneficia cu„ rata conferantur Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, & Decanis: itàut ea „ per Vicarium perpetuum administrentur, relictâ ipsi competente susten„ tatione &c. Id verò si passim sine causâ justâ, aut cum detrimento Ecclesiarum „ fiat, nullâ consuetudine, excusari posse certum est, cum juri divino adversetur. „ Sin verò causa subsit &c, tùnc non tàm facilè damnari potest collatio nixa „ consuetudine immemoriali: quandoquidèm inter justas causas à residentiâ „ excusantes, numerari etiam solet consuetudo rationabilis &c. (*b*).

(b) *Idem Paul. Layman loc.cit.n.11.*

16. Attendat benignus Lector quantâ firmitate Layman asserat, & beneficia merè simplicia exemptionem Beneficiario inferre à debito residentiæ; & plura ex eis posse ab uno Clerico insimùl possideri, quià exemptionem ipsam præseferunt: Et demùm vi consuetudinis posse abscindi onus residentiæ, non solùm à beneficiis merè simplicibus, sed etiam à beneficiis alioquin residentialibus. Profectò si consuetudo tantæ virtutis est, ut beneficia alioquin exempta, residentiæ debito adstringat, ut alibi diximus; Et è contrà tantæ virtutis est, ut beneficia etiam curata, & multò magis choralia, vel alio titulo residentialia possit à residentiæ laqueis extricare; nescimus videre, cur hanc immunitatem non valeat beneficiis merè simplicibus impertiri. Cum autèm cunctorum Theologorum, ac etiam Canonistarum consensu, generalis omnium Nationum consuetudo ferat, quod beneficia præfata merè simplicia totalem habeant exemptionem ab onere residentiæ, negari certè sano intellectu non potest, quin Beneficiarii merè simplices sint à servitii personalis, & residentiæ onere exempti.

17. Eandem sententiam tenet eximius Theologus Societatis Jesu *Thomas Sanchez* Hispanus in suis Consiliis Moralibus, sive Opusculis, movens quæstionem, qualitèr ratione beneficii ecclesiastici contrahat aliquis domicilium, ait enim hæc intèr cætera: *Si beneficium requirat residentiam, sortitur Clericus ratione illius domicilium. Ratio, quià residentia, seu residendi necessitas, est, quę facit sortiri domicilium, ut notat Innocentius Felynus &c. Tertiò nota, quod licèt de jure omne beneficium petat residentiam, at ex generali consuetudine beneficia simplicia eam non exigunt (excipe Canonicatus, & portiones, ut tradit Felyn. d. cap. dilectus, al 2. num. 1. Rebuff. prax. benef. tit. de dispens. de non resid. num. 8. undè in præsenti tantùm illa, quæ ex consuetudine requirunt residentiam, dicuntur illam requirere &c.* (*c*). Alio in loco proponit dubium: An jure humano inter-

(c) *Sanch. opusc. Moral. l.7. c.1. dub.23. n.6. fol.295.*

interdicta sit beneficiorum pluralitas, & in responsione pluribus adductis, hoc quoque opportunè probatur. *Tertia sententia dicit, licitam esse absque dispensatione beneficiorum simplicium, non requirentium residentiam, pluralitatem: Secus verò de iis, quæ residentiam postulant. Ratio, quià quoàd priora beneficia consuetudo prævaluit contrà jus. Sic tenet Glos. cap. gratia de rescript. in 6. vers. de jure. Innocentius, Soto, Corduba &c. Nota, beneficia simplicia in duplici esse differentiâ. Quædam requirunt residentiam, ut Canonicatus, portiones, juxtà Trid. sess. 24. cap. 12. alia non requirunt residentiam, ut beneficia simplicia his inferiora: reliqua enim beneficia simplicia, servitium requirentia, quæ vocant* Servideros, *quamvis jure dicantur exigere residentiam: consuetudo tamèn induxit contrà jus positivum, ut sufficiat servire congruè per idoneum substitutum* (a).

(a) *Sanchez. opusc. mor. l. 2. c. 2. dub. 6. n. 4.*

18. Successivè addit Sanchez: *In Concilio Compostellano, habito Salmanticæ anno* 1566. *cum actum esset expedire, ut si qui habent hujusmodi beneficia simplicia, compellerentur ad residentiam, quià Tridentinum sess. 6. cap. 2. dicit, ut habentes quæcumque beneficia, requirentia residentiam, cogantur à Prælato residere; rè utrimque controversâ, & collatâ cum doctissimis ejus Accademiæ viris, nil statutum est, sed relicta est antiqua consuetudo &c. Et quod hujusmodi beneficia simplicia ex generali consuetudine residentiam non requirant, docet Rebuff. in prax. benef. cap. de dispens. ad non residendum num. 8. Alexander Felynus* (b).

(b) *Idem Sanchez. loc. cit. n. 5.*

Itàque Sanchez, tàm directè de residentiâ loquens, à Beneficiariis debitâ; quàm indirectè agens de pluralitate beneficiorum, impediente Beneficiarios ipsos, ne in suis beneficiis valeant residere; rutilantibus verbis edocet, quod Beneficiarii merè simplices sunt ab onere actualis servitii, & personalis residentiæ debito immunes; sicque duplicato modo, & geminatâ ratione illius sensum habemus, doctrinæ, quam exponimus, efficacitèr faventem. Undè pro eo, quod pertinet ad hunc Auctorem, nil clariùs haberi potest, firmans, totam seriem præfatorum Beneficiariorum merè simplicium esse à residentiæ personalis onere immunem.

19. Concurrit in eandem sententiam *Andreas Molfesius* Clericus Regularis, in suo Promptuario triplicis Juris, Divini, Canonici, & Civilis, pro cujus impressione Collaterale Consilium Neapolitanum hoc ei texuit elogium, quod *non minorem Theologum in hâc Summâ se præbeat, quàm eximium Jurisconsultum, in explanandis consuetudinibus hujus fidelissimæ Civitatis Neapolitanæ se exhibuerit &c. Et nullam repugnantiam moralem, neque jurisdictionalem contineat &c.* (c). Vi hujus elogii, atque in eo contentorum, Contradictores, ne reprobare videantur id, quod eorum Antenati tanto plausu probarunt, manus victas dare cogentur, quotiès ex isto Auctore, illorum Concive, ac cujus doctrina egregiè explicat consuetudines Urbis Neapolitanę, nullamque continet repugnantiam, neque jurisdictionalem, neque moralem, probabimus exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Molfesius, inquam, de residentiâ Clericorum possidentium ecclesiastica beneficia pertractans, ità suam sententiam exponit, ut nedùm sentiat Beneficiarios merè simplices immunes à residentiæ debito esse, vi consuetudinis ità ferentis, sed etiam posse plura hujusce generis beneficia insimùl ab uno, & eodem Clerico retineri, quià Beneficiarii eorum possessores sunt à dictæ servitutis onere exempti.

(c) *Vide in princ. p. prim. summæ Molfes.*

20. En Molfesii verba: *Quarta responsio est Innocentii, & aliorum plurium, quos probant Azor. d. lib. 7. cap. 3. toto. Garcia d. par. 3. cap. 2. num. 3. & seq. ubi varias decisiones, & declarationes Sac. Congregationis citat, & innumeros DD. Plura etiam notat Vasquez cap. 4. de benef. §. 2. art. 2. num. 175. cum seq. Nèc Episcopus potest cogere obtinentes beneficia simplicia ad personalem residentiam, quià ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine non tenentur ad aliud, quàm ad Divinum Officium recitandum, & hoc declaravit Sacra Congregatio pluriès, ut refert Garcia dicto cap. 2. num. 8. & seq. Et licèt possit consuetudine contrariâ, vel jure speciali introduci, ut Beneficiarii simplices teneantur ad residentiam, & cum*

dicto

dicto onere Beneficiarii accipiant beneficium, ut post Felyn. in cap. dilectus lo. 2. num. 1. de rescript. Graff. & Zerola notat Garcia d. cap. 2. num. 11. & seq. ubi sic pluries decisum refert; Nihilominùs dicenti adesse hanc obligationem residendi, incumbit onus probandi, & ità bis decisum refert Garcia d. cap. 2. num. 5. & 6. & ibi: non esse opus probare, quod Capellania obtenta, narrata in gratiâ, non requirat residentiam; cum beneficia simplicia de generali consuetudine residentiam personalem non postulent: & similia verba refert num. 6. in aliâ decisione (a). In primis ergò consuetudo prævalet, ad immunitatem istam fundandam, & ulteriùs recentiora jura in sententiâ hujus Auctoris, aliorumque, quos ipse refert, & sequitur eidem immunitati præbent efficax fundamentum.

21. Quæsierat præcedentèr Molsesius, an beneficia simplicia sint incompatibilia, & responderat negativè, *siquidem beneficia simplicia ex se non sunt incompatibilia, quià potest unus habere plura beneficia simplicia, quæ non requirunt residentiam. Et hoc passim Romani Pontifices observant, etiam post Concilium Tridentinum. Ità Navarrus in Summâ cap. 25. num. 129. Hojeda, Parisius, Garcias, Reginaldus &c.* (b). Itàque Molsesius duo docet, nimirùm & beneficia simplicia non exigere debitum residentiæ personalis: & plura ex eis ab uno, atque eodem Clerico posse licitè possideri, quià neutrum ex ipsis residentiæ debito adstringitur: imò & idem verum esse, ait, si alterutrum ex beneficiis sit simplex, hoc enim quià debito residentiæ caret cum beneficio curato, vel chorali, aut aliàs residentiali, potest licitè retineri (c). Binis ergò modis Molsesius pro exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ perorat. Et cum ejus doctrina, teste Collaterali Consilio Neapolitano, eximia sit in explicandis consuetudinibus illius Civitatis, nullamque repugnantiam contineat, neque moralem, neque jurisdictionalem; quid in oppositum dicunt, contenduntve Contradictores?

22. Nè volumen crescat in immensum, cunctos Moralistas cum eorum scriptis hìc referendo, allegabimus postremo loco doctrinam *Martini Bonacinæ* Mediolanensis celebris Theologi, quem intèr cæteros laudat Antonius Baldassarius (d). Nàm quærens, an Beneficiarii simplices ad residentiam teneantur, hoc dat responsum: *Respondeo habentes beneficia simplicia, quæ nullam obligationem habent, prætèr onus recitandi privatim Divinum Officium, non teneri in loco beneficii residere. Ratio est, quià ubique possunt beneficii sui onera persolvere, Divinum Officium privatim recitando. Tùm quià nullo jure, vel sufficienti ratione probari potest, hujusmodi Beneficiarios ad residentiam obligari. Tùm quià communi fidelium consuetudine receptum est, ut hujusmodi Beneficiarii nullum sibi conscientiæ scrupulum circà residentiam faciant. Tùm quià sic declaravit Sacra Cardinalium Congregatio, sicque sæpiùs Rota Romana decidit &c. Imò neque Episcopum posse hujusmodi Beneficiariis residentiam præcipere, declaravit Sacra Congregatio, nisi obstet consuetudo* (e). Subsequentèr idem Auctor secundò colligit: *Capellanum, cui ex fundatione Capellaniæ simplicitèr impositum est onus celebrandi, non peccare gravitèr, non residendo in loco Capellaniæ, sed posse alibi manere, & satisfacere celebrando per alium, etiam si in fundatione dicatur, ut certas missas in hebdomadâ celebret &c. secùs dicendum est, si in fundatione caveatur, ut per se ipsum celebret: tùnc enim Capellanus non potest per alium celebrare, sed per se ipsum, consequentèr in loco beneficii residere tenetur, ut satisfaciat oneri sui beneficii* (f). Idem docuerat paulò antè generalitèr de cunctis beneficiis simplicibus, quod Beneficiarium ad residentiæ debitum non adstringunt, dicens, *habentes præstimonia, aliaque simplicia beneficia, non teneri in loco beneficii residere* (g). Non soli ergò generali consuetudini, quæ de se alioquin magna esset ratio, sed aliis quoque tribus rationibus refert Bonacina immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ.

23. Nèc displiceat alterius adhùc prædocti Auctoris allegare sententiam,

(a) *Molses. sum. p. 1. tr. 6. de benef. cap. 11. n. 18. & 19.*

(b) *Molsef. in sum. p. 1. tr. 6. de benef. c. 9. num. 23.*

(c) *Idem Molsef. loc. cit. n. 36.*

(d) *Ant. Baldassar. Compend. ristret. delle Vite &c. in Martino Bonac. f. 126.*

(e) *Bonacin. tom. 1. ad fin. de oner. et oblig. benef. disp. 5. punt. 3. num. 11. f. 756.*

(f) *Idem Bonacin. loc. cit. n. 13.*

(g) *Martin. Bonacin. ubi suprà disp. 5. pu. 2. num. 1.*

nimirùm *Vincentii Filliuccii* Senensis, qui in suis quæstionibus moralibus, dubium proponit de residentiâ in Beneficiariis requisitâ, & respondet hoc modo: *in omnibus Beneficiariis etiam simplicibus, jure communi exigitur residentia: probant id. DD. communitèr ex multis capitibus, ut videri potest apud Innocent. Hostiensem, Joannem Andre. & Abbatem cap. quià nonnulli de Cleric. non resid. & cap. fin. de rescr. in 6. ubi dicitur omne beneficium dari propter officium. Idem Azor. lib. 7. cap. 3. qu. 1. Garc. 3. p. cap. 2. num. 1. Ratio ea erat, quià omne beneficium habebat annexum aliquod ministerium, & servitium Ecclesiæ, quod exerceri debebat in propriâ personâ, undè requirebatur residentia. Excipiuntur à multis præstimonia, quià eorum institutio non fuit ad servitium faciendum in Ecclesiâ, sed ad alia, ut diximus. Aliquibus tamèn placet, ut Azor. hoc cit. vers. quæres etiam hæc, quatenùs beneficia requirere eandem residentiam ob rationem dictam; sed etiam si ea excipiantur; utpotè recentia beneficia, olim enim non erant, ut cum de præstimoniis manet regula universalis vera, omnia beneficia, etiam simplicia, quæ servitium habent adjunctum, ut omnia antiquiora, requisivisse residentiam. Dixi jure communi, quià de consuetudine jàm introductâ, tàm præstimonia, quàm beneficia simplicia in Ecclesiis non Collegiatis, non habent adnexam hanc obligationem, ut ex responsionibus Sacræ Congregationis, & multis DD. docet Garcia cap. 2. à num. 4. potuit autèm id introduci contrà jus commune, quià jure tantùm positivo canonico, id erat præceptum: & alioquin jure naturali semper tenemur suis Ecclesiis consulere, ne debito ministerio fraudentur, sed per alios id muneris exerceant* (a). Loquitur hìc Auctor sub illo supposito generali, quod etiam beneficia simplicia deposcant onus residentiæ: cum tamèn istud suppositum ex relatis nullatenus subsistere videatur. Sed quatenùs etiàm subsisteret; jàm satis est, quod consuetudo, quę potest injungere beneficiis, alioquin exemptis à residentię onere, debitum residendi; hoc ipsum viceversâ tollere valeat à beneficiis merè simplicibus, in hypothesi, quod hęc alioquin residentiæ debitum præseferrent.

(a) *Filiuc. tom. 2. tr. 41. de benef. c. 6. qu. 6. n. 25 f. 4.*

24. Habemus ergò hìc Doctores primę notę, Sacrę Theologię moralis Professores, Lusitanos, Burgundos, Germanos, Hispanos, Neapolitanos, Mediolanenses, Etruscos (& ex aliis quoque Nationibus haberemus, si fas esset omnes, de hâc rè tractantes, huic operi inserere) qui uno ore, uno eloquio, unâ sententiâ tenent, fatentur, insinuant, libros esse Beneficiarios mere simplices ab onere residentiæ: talitèr ut oppositum sentire, non sit sapere, sed desipere, atque adversùs consonam omnium Moralistarum doctrinam improvidè commeare; nec veritatem ignotam inquirere, sed cognitam declinare; eo pruritu, quo aguntur *nonnulli, quasi ad discordiam nati, qui tùnc optimè disseruisse se putant, cum contrà Doctiores dixerint: Nèc tàm verùm invenisse velle videntur, quam concertationibus, rixisque totas chartas implere* (b). Hæc de Theologis, tùm Scholasticis, tùm Moralibus immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ personalis debito statuentium dixisse sit satis. Nè autem ratio ab auctoritate petita in prędidium ipsius immunitatis, ad solos Theologos sit restricta, in sequenti capitulo sensum Jurisconsultorum quoque, sive Canonistarum, opportunè ducimus requirendum, nè ulla species Doctorum sit, quæ causę nostræ suum calculum non exhibeat.

(b) *Vincen. Contenson. Theolog. ment. & cond. tom. 1. dissert. preambul. c. 1. speculat. 1. fol. 6.*

25. Tùm autem à ratione, tùm ab auctoritate, multiplicibus motivis, intentum causę nostræ munimus, quià censemus Contradictores, illorumve Auctores, tàm rationi, quàm auctoritati velle deferre, prout doctum quemque, honoratum, ac rationabilem virum se gerere oportet. Turcarum etenim, & Barbarorum est velle prępotentèr agere quidquid libet, sive adsit, sive non adsit ratio sic agendi. At Christianorum, & pręcipuè Catholicorum est operari, non quod libet, sed quod licet, atque intentionem, actusque suos, de ratione metiri, justitiâ inter illos pręvalente, non vi, Quod si aliquis ex iisdem aliena jura inva-

invadere, aliorum res rapere, Ecclesias & rebus, & juribus propriis denudare, justitiâ conculcatâ, nitatur; hic inter latrones quidem computabitur, Deo, & hominibus odiosos, abominabiles, & despectos, non verò inter homines civilitèr viventes, honorem profitentes, & nobilitatis lumine prefulgentes. Itàque ratione utendum est, non prepotentiâ, & uti; alioquin actum erit de rebus humanis. Cùm ergò Contradictores profiteantur se intendere, quod beneficia merè simplicia oneri residentię personalis debeant esse subjecta, non quià ità ipsi velint; sed quià sic justitia deposcat; nostrum est in præsenti opere motiva quæque possumus aggregare, tùm à ratione, tùm ab auctoritate susceptâ, quibus innotescat, quod justitia onus præfatum excutit, non deposcit: & exemptionem Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ debito non diruit, sed tuetur. Igitùr post auditos Theologos, tùm Scholasticos, tùm Morales, sæpèfatę immunitati faventes, operę pretium est hìc quoque Canonistas audire, in idipsum æquis vocibus consonantes.

CAPUT XX.

In quo congeritur allegationes plurium CANONISTARUM, *faventes Immunitati Beneficiariorum merè simplicium ab onere Servitii personalis, & Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 *Disciplina Sacrorum Canonum est subalternata Sacræ Theologiæ. In materiâ Beneficiali standum est dispositionibus Juris Canonici.*

2 *Sensus* Augustini Barbosæ *est, quod Beneficiarii simplices ad solum officium recitandum teneantur. Nec Bulla S. Pii V. de residendo eos comprehendit.*

3 *De generali consuetudine beneficia simplicia residentiam non deposcunt: & in dubio beneficium præsumitur simplex.*

4 *Plures Decisiones pro antedictâ exemptione prodierunt. Beneficiarii simplices ad residentiam compellendi non sunt: nec eorum beneficiis novum onus addendum.*

5 *Ex* Jacobo Pignatello, *Beneficiarii simplices à residentiâ sunt immunes, & possunt suis muneribus per alium fungi, nisi aliud obsit.*

6 *Possidentes beneficia simplicia non sunt cogendi ad ullum ministerium personale, aliudve insolitum onus, cum satis sit, si recitent Officium Divinum.*

7 *Sunt qui optarent gravia onera Clero imponere, cujus tamèn onus non à quantitate proventuum, sed à naturâ beneficii debet regulari.*

8 *Non est leve onus sola officii recitatio, cum Beneficiarius alia quoque habeat onera. Bajulorum stipendia mensurantur à labore, non Clericorum.*

9 *Jura ecclesiastica decernunt Clericis sublimibus plures proventus conferri, & cum eis super pluralitate beneficiorum dispensari.*

10 *Ex* Joanne Aloysio Riccio, *habetur, & theorica, & praxis exemptionis Beneficiariorum simplicium à residentiâ in Regno Neapolis.*

11 *Be-*

11 *Beneficia simplicia non exigunt residentiam; nec opus est id probare. Illa possidentes, solùm ad officium recitandum tenentur.*

12 *Opinio* Camilli Borelli *est cadem cum aliis de immunitate, quâ praediti sunt Beneficiarii merè simplices à debito residentiae.*

13 Nicolaus Garcia *probat Beneficiarios merè simplices ad residentiam non teneri, nec esse justificandam illorum immunitatem à tali onere.*

14 *Idipsum probat decretis Sacrę Congregationis. Nec S. Pius V. in Bullâ de residentiâ eos comprehendit.*

15 *Nihil innovandum in beneficiis simplicibus. Nec Synodus Provincialis potest eorum statum immutare, nec Episcopus eis novum onus addere.*

16 *Quid sentiat hâc ipsâ de rè* Prosper Fagnanus? *Beneficia simplicia non exigunt residentiam de generali consuetudine in jure approbatâ.*

17 *Etiam ob Sacerdotum penuriam, & in Collegiatis ruralibus, Beneficiarii simplices ad residentiam arctari non possunt.*

18 *In beneficiis simplicibus non est electa industria personae: ideò Beneficiarii non tenentur residere, & onera possunt adimplere per alium.*

19 *S. Carolo Archiepiscopo Mediolanensi, & Episcopo Asculano, permissum non fuit onus novum Beneficiariis imponere merè simplicibus.*

20 *Magni momenti est Prosperi Fagnani auctoritas propter diutinam experientiam, quam habuit in rebus, beneficia ista respicientibus.*

21 *Rota, & Doctores opinionem* Lapi de Castiglionchio *sequuntur, qui exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiae tuetur.*

22 *Si testator mandavit in Ecclesiâ celebrari missas, id facere potest Beneficiarius per alium. Clericus major quatuordecim annis consequi potest beneficium simplex.*

23 *Satis est, quod qui habet beneficium simplex, illi deserviat per Vicarium, nisi aliud ex lege particulari sit cautum.*

24 *Ponit Lapus casum de Presbytero habente simul parochiale beneficium, & Capellam: quaeritque, an utramque praebendam retinere valeat.*

25 *Causa cur unus non valeat simul duo beneficia residentialia retinere, est, quià non potest in utroque personalitèr permanere.*

26 *Clericus de jure potest retinere plura beneficia compatibilia. Tenens beneficium residentiale, si accipiat aliud simile, vacat primum.*

27 *Beneficium simplex non requirit residentiam, sed sufficit ejus onera exercerì per alium. Capellanus in Cathedrali non est pars corporis Capituli.*

28 *Non prohibetur quis habere beneficium curatum, & simplex, quià simpliex potest per alium diservire. Duos Canonicatus non potest quis retinere.*

29 *Permissum est Clerico plura beneficia simplicia in titulum obtinere, quae pluralitas excludit debitum residentiae personalis.*

30 *Exemptio Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiae omnibus numeris est probata; tùm ratione; tùm auctoritate.*

1. 
UEMADMODUM Sacrorum Canonum disciplina est Sacrę Theologię subalternata (*a*); sic & Canonistarum doctrina subalternationem aliquam dicit doctrinę Theologorum. Ideò cum in præcedentibus Capitibus auctoritates tùm Scholasticorum, tùm Moralium Theologorum aggregaverimus, faventes exemptioni Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentię; bonum hìc erit auctoritatibus Canonistarum coacervandis incumbere, ut concurrentibus in unum votis Canonistarum, atque Theologorum, pateat, nullum deesse fulcrum exemptioni prefatæ, quæ alioquin pluribus aliis fundamentis superabundantèr innititur: Accedit, quod ex Contradictoribus, aliqui, ut audivimus, forensi professioni operam navant, & quià in materiis forensibus plus facilè defertur Canonistis, quam aliarum scientiarum Professoribus (*b*); idcircò gratum futurum illis esse putamus à Canonistis audire, quod ipsi aggressi sunt impugnare. Insupèr, quià materia beneficiorum regulari debet præcipuè juxtà dispositiones Juris Canonici (*c*); quid potest hìc opportuniùs agi, quàm post superius productos Canones, ad rem facientes, nùnc quoque sensus Canonistarum afferre, atque Contradictoribus seriò perpendendos sub oculis exhibere?

(a) *Fagnan. in c. cum venissent 12. de judic. n. 101. l. 2.*

(b) *Card. de Luca usur. disc. 1. num. 6. de cens. disc. 36. n. 8. de jurisdict. disc. 52. n. 8.*

(c) *De Luca de benef. disc. 26. n. 13.*

2. Itàque *Augustinus Barbosa* celeberrimus Canonista, Episcopus Ugentinus, in Regno Neapolitano, pluriès de materiâ, quam ventilamus, tractatum habuit, & semper immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ onere tuitus est. In suo tractatu etenim de officio, & potestate Episcopi, residentię materiam tractans, ait: *Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia aliquod personale servitium suis beneficiis impendere; cum ex antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine nonnisi ad officium recitandum teneantur. Ità decisum refert Nicolaus Garcia &c. Armendar &c. Alzedo &c. Tenentur verò ad inserviendum illis per alios, qui approbati sint ab Ordinariis, cum mens non fuerit Pii V. in Bullâ de residendo, editâ 8. Julii 1569. incipien. Cupientes, cogere habentes beneficia simplicia in eis residere &c. Nihil tamen innovandum in hujusmodi beneficiis, quæ etiam Clericatus nuncupantur in Ecclesiis parochialibus, vel alibi constitutis, quorum fructibus possessores gaudent, nullum servitium, nec per se, nec per substitutos præstando, ut possint cogi, vel per se ipsos, vel per substitutos inservire, si tanto tempore possessores non sunt coacti ad aliquid istorum, nec apparet, quod ad certum sint obligati, satis esse, si dicant horas canonicas. Decisum refert Garcia, Armendar &c.* (*d*).

(d) *Barbos. de off. & potest. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 181. f. 102.*

3. Et anteà dudùm sub testificatione Aloysii Riccii celebris Canonistę Neapolitani scripserat, ampliando sermonem *ad Clericum obtinentem simplex beneficium, qui etiam non poterit cogi residere in Diœcesi, ubi illud habet, sed poterit ire quo velit, & ità dicit in Rotâ decisum in unâ Nullius beneficii 28. Maii 1604 coràm Ill. Dom. Ludovisio nùnc S. D. N. Gregorio XV. inter ejus impressas decis. 175.* (*e*). Et in suis Collectaneis super Jus Canonicum, postquàm de mente plurium Doctorum, quos recenset, firmavit, quod beneficia, etiam merè simplicia, de jure postulent residentiam; adjungit: *Ex generali tamèn consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt, ut testantur Flaminius, Gonzalez &c. Rota in Calaguritanâ Beneficii, de Arnedo 22. Januarii 1622. coràm Merlino, & in Alexandrinâ Beneficii 18. Aprilis 1625. coràm eodem. Et in dubio beneficium non censetur curatum, sed simplex. Gonzalez, Garcia, Tuscus &c. Rota in Ripanâ Beneficii 27. Junii 1612. coràm Merlino, & in Alexandrinâ Beneficii 18. Aprilis coràm eodem. Et in Beneventanâ Benificiorum 9. Maii 1625. coràm Pirovano: observantes hujusmodi qualitatem (quod beneficium sit simplex) narratam in gratiâ, non esse justificandam, & contrarium asserenti incumbere onus probandi* (*f*).

(e) *Barbos. de off. & potest. Episc. p. 2. alleg. 21. n. 6.*

(f) *Barbos. in c. quià nonnulli 3. de Cler. non resid. num. 3. l. 3. tit. 4. fol. 29.*

4. Qui paritèr Barbosa in Summâ Apostolicarum Decisionum pluriès idipsum repetit, multa congregans decreta Sacrarum Congregationum, id statuentia,

tia, & superiùs per nos relata, cum variis quoque Doctoribus in eandem sententiam convenientibus (*a*). Et in Collectaneis ad Concilium Tridentinum ait: *Beneficia simplicia obtinentem non posse Episcopum cogere personale aliquod servitium impendere, cum ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine non teneatur, refert decisum Piasec. in prax. Episcoporum par. 2. cap. 3. num. 32.* (*b*). Et in eodem tractatu inferiùs asseverat: *Non posse ab Episcopo beneficiis simplicibus novum onus imponi, asserit Aldan. in comp. Canon. resol. tit. 26. num. 17. attestans, ità decisum sub die 2. Julii 1597.* (*c*). Et in eodem loco paulò antè firmaverat: *Beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel ad quæ ex antiquissimâ consuetudine non tenentur, prout refert decisum in unâ Cremonens. Aldan. in Comp. Canon. resol. lib. 2. tit. 25. num. 16. Capellania instituta à testatore cum his verbis, ut Beneficiatus ipsius Capellæ omni die, seu saltèm quinquies in hebdomadâ celebrare teneatur, & si negligens fuerit, ipse Beneficiatus incurrat pœnam solidorum duorum, non censetur requirere personalem residentiam, nec exigit, ut personalitèr missam dicat, ut attestatur decisum Nicol. Garcia in addit. ad par. 7. cap. 1. num. 87.* (*d*). En quomodò, & quotiès, ac quantis cum auctoritatibus Barbosa & profitetur, & docet, & decisum esse recenset, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito exemptos. Quâ sanè doctrinâ idem Auctor non suam nudè opinionem profert, sed eam, & auctoritatibus aliorum Canonistarum cohærere ostendit, & rationibus quoque idipsum suadentibus esse innixam.

(a) Idë Barbos. sum. Apost. decis. collect. 62 64. 121. & c.

(b) Ipsemet Barbos. Collect. in Conc. Trid. sess. 6. c. 2. de ref. n. 2.

(c) Idem loc. cit. sess. 25. de ref. c. 5. n. 10.

(d) Barbos. in Conc. Trid. sess. 25. de ref. c. 5. n. 7. & 8.

5. Eandem sententiam tenet *Jacobus Pignatellus* è Cryptaleis in Salentinis Regni Neapolitani, modernus Scriptor, & Canonista, qui de residentiâ Beneficiariorum sermone instituto, ità suum aperit sensum: *Etsi omnia beneficia, etiam simplicia de jure residentiam requirant, cap. quià nonnulli de Cler. non resid. & cap. præterea de præb. tamèn generali consuetudine illam non exigunt, ut per Lap. alleg. 36. & nos alibi. Et in eis, sicut in altaribus potest quis per alium deservire prò Missis, & aliis Divinis Officiis, Salced. in cap. super inordinata de præb. Lap. alleg. 5. num. 8. alleg. 35. num. 2. & alleg. 116. nu. 2. Nisi in fundatione expressè electa sit industria personæ, ut per eundem Lap. ibidem. Et quod hìc dicitur de consuetudine, ad ea beneficia referri potest, quæ licèt de sui naturâ residentiam non requirant, nihilominùs consuetudine inductum est, ut requirant, juxtà Glos. in cap. Cum satis, V. consuetudinis, de offic. Archid. Quando autèm ex qualitate beneficii propter conditionem in fundatione appositam, vel de jure, aut consuetudine, vel statuto teneatur quis residere, vide tradita per Lapum dict. allegat.* 116. (*e*).

(e) Jacob. Pignatel. tom. 7 Consult. 4. n. 29. fo. 7.

6. Et alibi in ipsâmet subjectâ materiâ sic effatur: *Nihil innovandum in beneficiis simplicibus, quæ Clericatus nonnunquàm consueverunt nuncupari, quorum fructibus possessores gaudent, nullam servitium per se ipsos, neque per substitutos præstando eis Ecclesiis, in quibus dicti Clericatus existunt, ut nequeant cogi, vel per se ipsos, vel per substitutos in habitu Clericali, quod illis Ecclesiis inserviant, licèt cap. 3. sess. 21. de reformat. prò certo habeatur, omnia beneficia ad cultum Divinum, atque Ecclesiastica munia obeunda instituta esse, juxtà capit. ult. de rescript. in 6. Si jam pridem possessores talium beneficiorum non sunt coacti ad aliquid istorum, nec appareat quid certum, ad quod obligati sint, cum etiam his nostris temporibus satis erit, si dicant horas canonicas: Undè si beneficia ista non requirunt residentiam, non debent cogi per substitutum exemplo illius Canonici, qui studiorum causâ non residet, nec etiam tenetur per substitutum inservire, ut per Doctores in cap. licet de præbend.* (*f*). En sensus Pignatelli adeò rutilans, & coruscum, ut nihil eo clariùs in præsenti materiâ valeat reperiri.

(f) Pignatel. tom. 10 Consult. 157. n. 6. f. 279

7. Porrò sunt aliqui, quibus placeret, si possent, onerare Clericos ponderibus gravissimis, velut equos, & mulos, quibus non est intellectus: Et pro ratione redituum, quos percipiunt ex beneficiis, optarent illis sarcinam gravio-

rem,

rem, vel leviorem imponere, missarum, residentię personalis, chori, officii divini, assiduitatis, in Ecclesiis, ubi erecta sunt beneficia, & si quid aliud excogitabile est, laboris, fatigationis oneris, & obsequii: buccisque tumentibus effutiunt, paruum, & exile onus esse Beneficiario merè simplici, fructus interdùm ditissimos percipienti, solùm divinum officium recitare. Oh stupidi, & insensati, atque in Clerum nimiâ fortè invidiâ, vel animositate commoti: Numquid exiguum onus est se Deo ad quotidianas horas devotè recitandas obligare sub pænâ æternę maledictionis? Numquid est onus tenue se libertate nudare agendi multa, quę laicis permittuntur, Clericis verò sunt secundum canones interdicta? Numquid est parum, se perpetuæ castitatis vinculis coercere, quàm nulli laicorum Apostolus voluit ponere sub præcepto? Debitum erogandi in pios usus quidquid congruæ superest sustentationi, pusillanè intèr onera computatur (a)? Profectò ubi nàm, quando, quo Auctore statutum est in Ecclesiâ, quod prefinita, vel taxata debeat esse merces, & mensura servitii Ecclesię præstandi, plùs, vel minùs, juxtà majoritatem, vel minoritatem reditus beneficii? Nulla sanè est merces, nulla taxa, nulla mensura proventus, quâ regulanda sit majoritas, vel minoritas servitii Ecclesiæ præstandi, à quantitate redituum: adeò ut sicuti tàm tenetur ad residentiam, & personale, ac juge ministerium Beneficiarius residentialis, cujus beneficium fructificat mille aureos, quam ille, qui præbendam residentialem retinet, non nisi triginta, vel minùs etiàm redentem (b): tàm Archiepiscopus Toletanus in Hispaniâ ditissimus, quàm Episcopus Minoriensis in Campaniâ pauperrimus, quià utrobique onus residentiæ, ac servitii non à proventu dependet, sed à naturâ, & conditione beneficii, quod parochiale est, vel Episcopale, vel Canonicale, aut Chorale; Ità est tàm exemptus ab onere residentiæ Beneficiarius simplex, cujus Capella, vel Abbatia, sivè Præbenda fructificat mille aureos, quam ille, cujus beneficium non pervenit ad mille obolos, quià ęqualis est natura, atque conditio utriusque beneficii quoàd rationem residentię. Diversitas postmodùm inter pinguiores, & tenuviores Beneficiarios, aliorsum quam à residentiæ onere venit repetenda, & repetetur ab eo, *qui peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua: Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem* (c). Super quo textu egregiè, suo more, Sanctissimus Pontifex Gregorius monuit cunctos, & præsertim Beneficiarios cavere, nè qui *plùs cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernitur, ab auctore mundi graviùs indè judicetur* (d).

8. Hinc non leve onus videatur sola Divini Officii recitatio in Beneficiario, optimum beneficium simplex possidente, quià totum illius pondus in solâ ipsâ psalmodiæ sacrę exibitione non consistit, cum alia plura superiùs recensita onera secum habeat. Præterquàm quod stipendia Clericorum non mensuranda sunt à corporali labore, sed à merito, à doctrinâ, à munere, à dignitate, quâ excellunt, & ab aliis hujusce generis causis, & motivis, per Sacros Canones approbatis. Merces ruricolarum, agasonum, & artificum inferiorum, est illa, quæ à quantitate laboris, atque corporalis operis definitur. At Clericorum, Nobilium, Equitum, Judicum, Ducum, & Artificum etiàm altioris notæ merces sub aliâ methodo regulatur. Videmus Pictores, Sculptores, & his similes intrà breve tempus opus aliquod suę artis complere, ac centum, bis centum, & interdùm nullos aureos in pretium postulare. Videmus urbium, & provinciarum Judices, ac Rectores, arcium, & militiæ Prefectos, Moderatores Cathedrarum Doctoralium in publicis Academiis, & alios, ministeriis publicis applicatos, paucis interdùm anni diebus, paucissimisque dierum horis, lectioni, exercitiis militaribus, vel politicis, curæque sibi iniunctæ, incumbere, & tamèn stipendia luculentissima percipere. Ut quid ergò mercedem Clericorum, ad reditus exiguos coarctabimus? Clericorum, qui majores

(a) *Vide infr. cap. 25. n. 9 10. 11.*

(b) *Reginald. lib. 10. tr. 3. c. 5. n. 51. Fagnan. in cap. conquerente. n. 2. & 18. de Cler. non resid. l. 3.*

(c) *Matthæi c. 25. n. 13.*

(d) *S. Greg. homil. 9. in Euangel.*

res sunt quolibet laico (*a*) , & majoribus privilegiis, atque prerogativis , quam habeant laici , sunt donandi (*b*) .

9. Jura Ecclesiastica de beneficiis etiàm residentialibus , disponentia , inter causas dispensandi super eorum pluralitate , allegant doctrinam , nobilitatem , excellentiam , & dignitatem , quæ in aliquibus Clericis reperitur (*c*) . Consonâque voce tùm Theologi (*d*) , tùm Canonistæ consentiunt (*e*) , quod Clericis doctrinâ , virtutibus , nobilitate notabili , & dignitate sublimibus , major debetur opulentia redituum Ecclesiasticorum , ideòque illis nedùm beneficia pinguia licitè coacervantur ,sed etiàm conservantur ; Et non solùm beneficia merè simplicia , sed etiàm residentialia geminari , licitè possunt sublato eis onere residentię . Vide ergò quod non labor , sed meritum , doctrina , & personæ dignitas,ac similia, sunt rationes, propter quas majoritas , vel minoritas proventuum ecclesiasticorum decet à Clericis obtineri . Quæ dicta fiat , ut capaces veritatis , & æquitatis eos reddemus , qui fortè non benè affecti in viros Ecclesiasticos ; nodum in scirpo quærunt , ut de illis obloquantur ; & adversùs Clericos, beneficiis lautioribus insignitos, buccis concrepantibus debacchantur : obtantes eos , si possent , ponderibus enormissimis , quæ nunquàm habuerunt , contrà omne fas onerare .

(a) *Cap. 1. in fin. dist. 17. cap. quis dubitet dist. 96. & c. Bellet. disq. Cler. part. 1. de discipl. Cler. §. 1. n. 4.*

(b) *Barbos. jur. Eccles. Univ. l. 1. cap. 39. n. 13.*

(c) *Cap. de multa 28. de prebend.*

(d) *S. Thom. quodlibet. 9. artic.*

(e) *Barbos. in 7. cap. de multa 28. de præb. l. 3. tit. 5. d n. 11. cum aliis ab eo alleg.*

10. Allegabimus nùnc doctrinam superiùs memorati *Joannis Aloysii Riccii*, Canonici , ac Patritij Neapolitani , de Sedili Nidi , quem Joannes Longus ejus Concanouicus , vocat *Patriæ lumen , & decus* (*f*) . Ipse , inquam , Riccius in suis doctissimus collectaneis materiam, quam manu terimus tractans , de illâ sic proloquitur : „ Beneficia simplicia requirunt residentiam de jure , licèt secùs de „ consuetudine , circà quam doctrinam fuit mihi quæsitum , num beneficium „ cum onere celebrandi missam requirat personalem residentiam : Ego negativè respondi , & adduxi duas decis. Prima est Grat. Ro. March. in decis. „ 155, ubi fuit decisum , quod per onus celebrandi non est effectum beneficium residentiale , cum sufficiat , quod in tali Ecclesiâ missæ , & divina officia „ celebrentur per alium , undè Maynard. in decis. 90. lib. 2. dicit , quod neque „ ob id censeatur electa industria personæ Sacerdotis , cum possit per quemlibet „ Sacerdotem explicari . Adduxi secundò , decisionem Monald. in consi. dec. „ 89. ubi paritèr decisum fuit , quod Capellania simplex non requirit residentiam (*g*) . Hunc Auctorem nemo credet mentiri : Sed quilibet veritatis „ indigator pro certo habebit , illum ingenuè loqui : & cum suos libros exaraverit ad ostendendam praxim fori Ecclesiastici Neapolitani , in eo uno „ habemus & theoricam , & praxim , ostendentes , exemptionem beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ in regno Neapolitano non „ esse in dubium revocandum : undèque à suorum Antenatorum , & concivium , doctrinâ , & stilo deviare Contradictores , dum eandem exemptionem nùnc ponunt talitèr in quæstione .

(f) *Vid. in princip. Oper. Jo. Aloys. Riccii.*

(g) *Jo. Aloys. Ricc. collect. 671. prima impres. f. 322.*

11. Alibi dilucidiùs adhùc , & universaliùs idem Auctor sententiam suam in hunc explicat modum : „ Omnia beneficia simplicia de jure residentiam requirunt h. d. & ità refert decisum Card. Put. in decis. 311. lib. 3. Balb. in decis. 95. & Rot. Collect. in decis. 12. At secus est ex generali consuetudine , „ quoniàm beneficia simplicia nunquàm residentiam postulant. Balb. in decis. 22. „ Rot. divers. in dec. 432. p. 1. Cęsar de Graff. in dec. 115. hinc est, quod Rot. in unâ „ Conchen. beneficii de Valen. 30. Martii 1582. coràm Ill. Lancellotto , resolvit , „ istam qualitatem , quod non requirant personalem residentiam , nec esse „ verificandam , & iterùm eadem Rot. in unâ Virdunen. Canonicatus 23. Februarii 1587. coràm Gipsio , iudicavit non esse opus probare , quod „ Capellania obtenta, narrata in gratiâ , non requirat residentiam , cum beneficia simplicia de generali consuetudine residentiam principalem non postulent (*h*) . Et Rota in unâ Segobien. &c. Canonicatus 24. Novembris 1588. coràm

(h) *Idem Collect. 168. fol. 130.*

„ coràm Plato tenuit, non obstare, quod non fuerit justificatum beneficia simplicia obtenta, personalem residentiam non requirere, ut fuit expressum, quià hæc qualitas non est verificanda, ut fuit resolutum ind. Conchen. quod etiam fuit resolutum in unâ Legionen. præstimoniorum 27. Novembris 1592. coram Pamphilio, & in unâ Abulen. beneficii 30. Octobris 1595. coràm Blanchetto, & in unâ Mediolanen. Congregatio Concilii ità censuit, Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia,& aliquod personale servitium suis beneficiis imponere, cum ex antiquissimâ totius Ecclesiæ consuetudine, nisi ad officium recitandum teneantur (a).

(a) *Idem Riccius loco citat.*

12. Post Riccium Neapolitanum occurrit *Camillus Borellus*, egregius, & ipse Jurisconsultus, ex eodem Regno progenitus, atque insubjectâ materiâ scribens ut sequitur: *Beneficium habens onus celebrandi missam, residentiam non requirit, ex quo potest impleri per substitutum, quoniam est simplex curam animarum non habens. Panor. in cap. cum ad hoc num. 5. de Cleric. non resid, Felyn. in cap. dilecto cl. 2. col. 1. de rescript. Ubi dicit de generali consuetudine mundi obtinens beneficia simplicia non teneri ad residentiam. Alex. in consil. 4. vol. 1. Stephan. Gratian. in decis. Marchiæ 155. num. 1. cum pluribus seq.* (b). Et alibi: *Simplicia beneficia de totius mundi consuetudine, residentiam non requirunt, ut scribit Stephanus Gratianus in decis. Marchiæ 155. num. 2. Dispositio tamen juris communis est, omne beneficium, quamvis tenue sit, residentiam requirere, ut tenuerunt Innocent. Hostiens. & Joan. Andr. &c. Declara tamen posse per statutum Ecclesiæ, vel consuetudinem residentiam in simplicibus beneficiis requiri, ut novissimè dispositione cavetur Concilii Tridentini sess. 6. cap. 2. in princ. & voluit idem Steph. Gratian. in d. decis. Marchiæ 155. num. 22. ex Lapo allegat. 35. Contrariam sententiam, quod talis consuetudo non valeat, tenuit Archidiaconus in c. Sacerdotibus 38. dist. quem secutus est Joannes de Lign. in cap. cum omnes de const. & Lapus in Alleg. 42. incip. An residens tamen longam distinctionem facit Hostiens in d. cap. cum omnes, quem sequitur Benedict. Capra in regul. 92. n. 31. 32. 33. quem refert, & sequitur Hojeda in dicto cap. 17. sub numero 26. sequenda tamen est Sacri Concilii Tridentini auctoritas, à quo similis consuetudo non improbatur* (c).

(b) *Borel. sum. decis. tom. 1. tit. 10. n. 7.*

(c) *Idem Borel. loc. cit. tit. 10. à n. 147.*

13. Sequitur *Nicolaus Garcia* Hispanus eruditissimus beneficialis materiæ Tractator,&Canonum Professor,quem in suo tractatu de beneficiis reperimus ità docuisse. „ Ex generali consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt.„Citatque longam seriem doctorum: tùm subdit:„Et ità in unâConchen. Beneficii de Valen. 30. Martii 1582. coràm Ill. Card. Lancellotto fuit resolutum istam qualitatem, quod non requirant personalem residentiam non esse verificandam. Et in unâ Virdunen. Canonicatus 23. Februarii 1587. coram D. Gipsio fuit dictum, non esse opus probare, quod Capellania obtenta narrata in gratiâ non requirat residentiam, cum beneficia simplicia de generali consuetudine residentiam personalem non postulent. Alex. consil. 1. num. 2. lib. 7. Felyn. in cap. dilectus 2. num. 1. de rescript. & in unâ Secobien. Canonicatus 24. Novemb. 1588. cor. Ill. Card. Plato, fuit dictum non obstare, quod non fuerit justificatum, beneficia obtenta personalem residentiam non requirere, ut fuit expressum, quià hæc qualitas non est verificanda, ut fuit resolutum in d. Conchen. Quod etiam fuit dictum iu unâ Nucerinâ Beneficiorum 30. Octob. 1592. infrà adducta. 5. par. cap. 5. num. 64. & in unâ Legionen. Præstimoniorum 17. Novemb. 1592. cor. Ill. Card. Pamphilio infrà adducta 6. par. cap. 4. num. 42. & in unâ Abulen. Beneficii 30. Octob. 1595. cor. Ill. Card. Blanchetto infrà adducta 11. part. cap. 3. num. 299. & in eadem 26. Junii 1596. cor. D. Littâ adducta d. 6. par. cap. 2. dub. 4. num. 47. Et in Placentinâ Canonicatus 31. Maii 1602. cor. Pamphilio, & in Aquinaten. Beneficii 2. Maii 1603. cor. D. Ludovisio, & in d. nullius Beneficii 28. Maii 1604.

„ cor. eod. apud Farin. decis. 12. novissimarum, & in Placentinâ beneficiorum „ 23. Martii 1609. cor. D. Pamphilio Juniore „ (a), Vide quoties, & quantoperè Romana Rota judicium de quæstione nostrâ formitèr dans, multiplici definitione decrevit, immunia esse beneficia merè simplicia, illorumque possessores ab onere servitii personalis, & residentię agendæ in loco, ubi erectum est beneficium.

(a) *Garcia de benef. par. 3. c. 2. n. 3. f. 162.*

14. Sequitur Garcia dicens: „ Et in unâ Mediolanen. Sac. Congregatio Concilii ità censuit: Episcopus non potest cogere obtinentes beneficia simplicia „ aliquod personale servitium suis beneficiis impendere, cum ex antiquissimâ „ totius Ecclesiæ consuetudine non nisi ad officium recitandum teneantur. Et „ Card. Burgen. sic respondit eadem Sac. Congregatio: Obtinentes beneficium, „ quod sit simplex, & sine curâ animarum, & extrà Ecclesiam Collegiatam, nec „ personalem residentiam ob aliam causam requirens, non tenetur in eo residere, sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario &c. „ Non fuit mens Pii V. in Bullâ de residentiâ, editâ 8. Julii 1569. incipien. Cupientes, cogere habentes beneficia simplicia in eis residere &c. Et in unâ Calaguritanâ: Episcopus non potest cogere aliquem in beneficio simplici residere &c. Et, obtinens beneficium, licèt id sit titulus alicujus Sancti, dummodò sit simplex, non tenetur in eo residere, nec ad residendum eum cogere potest Episcopus. Quasi satis non fuisset, Romanam Rotam, ex doctis Prælatis pręcipuarum totius Christianitatis Nationum compositam, & judicium ferrè solitam de causis beneficialibus universi orbis, pluriès, ac repetitè judicasse pro immunitate Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ personalis; agglomerat hìc Garcia sensum quoque Sac. Congregationis, multiplicatis vicibus explicatum, in judicando de eadem immunitate; ut agnoscas prima Urbis, & Orbis Tribunalia ecclesiastica talitèr, benè perpensis rebus, esse solita judicare.

15. Pergit in suo eloquio idem Auctor, dicens: „ Sac. Congregatio censuit „ nihil innovandum in beneficiis simplicibus, quæ etiam Clericatus nuncupatur, in Ecclesiis Parochialibus, vel alibi constitutis, quorum fructibus possessores gaudent, nullum servitium, nec per sè, nec per substitutos præstando, „ ut possint cogi, vel per sè ipsos, vel per substitutos inservire, si tanto tempore possessores non sunt coacti ad aliquid istorum, nec apparet, quià ad certum sint obligati, satis si dicunt horas Canonicas. Nèc Synodus provincialis „ potuit obligare ad residentiam, aut immutare statum beneficiorum. Et 1. Julii 1597. Congregatio Concilii censuit, non posse ab Episcopo beneficiis simplicibus novum onus imponi. Faciunt etiam aliæ declarationes adductæ infrà 7. par. cap. 1. „ Ità Garcia (b), quo suggerente, ac rationibus probante, nec etiam Concilium Provinciale posse ad residentiam constringere Beneficiarios merè simplices: nec eo usque se protendere auctoritatem Episcopalem, ut valeat novum onus beneficiis per eos possessis apponere; nescimus quid clarius, quid fortiùs desiderabile sit, ad præfatam exemptionem asserendam, firmandam, & inelucabilitèr concludendam, nisi velimus immunitatem ipsam, contrà omne fas, per vim, & prępotentiam comprimere, atque jura quæque rationes, & auctoritates oppositum probantes iratis pedibus conculcare.

(b) *Nicol. Garcia loco citat.*

16. Hoc tandèm Capitulum cumulamus doctrinâ *Prosperi Fagnani* excellentissimi Sacrorum Canonum interpretis, cujus fama omni jàm est major encomio. Quærit ipse, an beneficia simplicia exigant residentiam, & per hæc suam sententiam exponit: „ Quamvis de jure communi scripto beneficia omnia „ residentiam requirant, ut in cap. super ordinata, de præb. Et in cap. conquerente, de Cler. non resident. & not. Innoc. in cap. fin. in fine, & ibi Abb. n. 3. „ eod. tit. & Abb. in cap. extirpandæ, §. qui verò, num. 30. vers. Nàm beneficium quantumcumque minimum de jure communi requirit residentiam, de præb.

„ preb. Oldrad. conf.140. In Ecclesiâ Calaguritan. num.3. vers. Etsi dicatur.
„ Rebuff. in praxi titul. Dispensatio de non residendo, num.7. & seq. Quià pro-
„ pter officium datur beneficium, cap. fin. de rescriptis lib.6. Feder. de Senis
„ conf.246. in princip. & beneficia omnia ad divinum cultum, atque ecclesia-
„ stica munia obeunda sunt instituta, in decreto Concilii Trid. cap.3. sess.21.
„ Abb. ut supr. num.32. ad finem (a). Tamèn generalis consuetudo inolevit,
„ ut beneficia simplicia personalem residentiam non requirant, ut testantur
„ Lap. allegat.118. num.1. propè fin. vers. Sed nec etiam. Oldrad. loco cit.
„ Abb. hic in 1. notab. & cons.47. in princ. lib.2. Rebuff. ubi supr. num.8. Et
„ Rota apud Card. Seraph. dec.639. num.5. Sed satis est eis deservire per sub-
„ stitutum. Anchar. cons.233. num.3. Quæ quidèm consuetudo hodie videtur
„ approbata in cap. gratia. de rescript. lib.6.& in Clem. gratiæ.eod. titul.eamq.
„ validam esse tenent utrobiq. gloss.& DD. & est communis opinio, ut testatur
„ Abb. in d. §. qui verò, num.31. de præbend.

(a) *Fagnan.cap.cum omnes 6. n.12. & seq. de Const.lib.1.f.93.*

17. Sentit Fagnanus id, quod communitèr sentiunt alii Theologi, & Canonistę, nempè immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à residentię personalis debito inniti consuetudini: verùm nos suprà ostendimus immunitatem ipsam non soli consuetudini hærere, sed etiam juri sic statuenti. Cumque Fagnanus ex se ipso adverterit, consuetudinem præfatam approbari in cap. gratia de rescriptis in 6. & in Clement. gratiæ eodem titulo; jàm patet, quod non consuetudo, saltem de sè sumpta, sed jus evidentèr decernit sæpefatam immunitatem. Addit deindè idem Auctor: „ Hinc Episcopo Vintimilien. alias pe-
„ tenti, ut ob Sacerdotum parochorum penuriam, ac populi frequentiam, posset
„ revocare presbyteros absentes, habentes in Diœcesi undè viverent, atque
„ in primis obtinentes capellanias, ac beneficia simplicia, eosque cogere in
„ Diœcesi permanere; Sac. Congregatio Concilii censuit non concedendum,
„ licet Anton. de Butr. cap. fin. num.4. vers. secundus casus, infrà de Cler. non
„ resid. post Innoc. dicat absentes revocari posse ob Clericorum penuriam,
„ etiamsi obtineant beneficia personalem residentiam non requirentia, argum.
„ cap. quià Frater.7. qu.1. &c. Quo vero ad Collegiatas cum Episcopus Co-
„ mensis, habens in suâ Diœcesi plures Collegiatas Ecclesias, non tamen insi-
„ gnes, consuluisset Sacram Congregationem Concilii, an si in eis à tempore
„ immemorabili nunquàm consueverit resideri, posset compellere Canonicos
„ ad residendum, juxtà cap.12. vers. præstereà, sess.24. Sacra Congregatio cen-
„ suit cap.12.vers. prætereà supradictum intelligi de omnibus Collegiatis etiam
„ non insignibus, nisi tamen istæ non insignes Collegiatæ essent rurales prorsus
„ destitutæ, aut in quibus nunquàm anteà suprà hominum memoriam solitum
„ esset resideri; aut quæ adeò tenuis reditus essent, ut Canonicos, non haben-
„ tes undè vivant, alere non possent.

18. Deindè subjungit Fagnanus: „ Sed posteà cum subdubitatum esset, an
„ decisio Sacræ Congregationis, ut immemorabilis excuset à residentiâ, pro-
„ cederet in Collegiatâ non insigni rurali tantum, an verò etiam in urbanâ, ità
„ ut illa verba, aut in quibus, non repeterent dictionem, rurales. Cum au-
„ tem quidam dicerent Gregorium XIII. in unâ Patavin. de immemorabili in
„ non insignibus alitèr sensisse, relatum est ad eum decretum Congregationis:
„ Sanctitas Sua probavit, quod visum est Congregationi, ut scilicèt quando Ec-
„ clesię non sunt insignes, sola immemorabilis consuetudo non residendi ex-
„ cuset Canonicos à residentiâ, sed in Cathedralibus, & Collegiatis insignibus
„ immemorabilis nullo modo excuset (b). Tertiò nota ibi per sè ipsum in be-
„ neficiis ecclesiasticis Clericos teneri per sè ipsos deservire, nec posse muneri
„ suo satisfacere per substitutum, quià hic est actus, in quo censetur electa in-
„ dustria personæ leg. inter artifices ff. de solut. cap. quoniàm Apostolica de
„ offic. Legat. & hanc regulam ex hoc textu eliciunt Butr. & Imola ambo n.3.

(b) *Prosper.Fagnanus ubi supra num.31.*

&

„ & Alex. de Nevo num. 5. Contrariam regulam in beneficiis simplicibus con- „ stituit Lapus in pluribus allegationibus, quià cum de generali consuetudine „ personalem residentiam non requirant, oneri deserviendi divinis potest per „ alium satisfieri; nisi secus in eorum fundatione cautum requiratur, & illius „ allegationes Rota multotiès sequuta est. Quinimo & Sac. Congregatio Con- „ cilii, ut plenè scripsi in cap. Ut Abbates num. 62. &c. de ætat. &c. Nèc obstat „ hæc Decretalis, quià loquitur in dignitatibus, & Ecclesiis parochialibus, aut „ etiam in beneficiis simplicibus, ex consuetudine, vel statuto, aut alio jure „ speciali requirentibus personalem residentiam, ut dictum est in precedenti „ Notabili, & in his salvari potest opinio Antonii de Butrio, & sequa- „ cium (*a*).

(a) *Fagnan. in cap. quia nonnulli 3. n. 5. de Cler. non resid. lib. 1 fol. 29.*

19. Rursus alio in loco ait: „ Prebendæ jàm erectæ auctoritate ordinariâ „ novum onus annecti non potest, quià obstat cap. cum dilectus supr. de con- „ suetud. Conc. Lateranense in cap. prohibemus infrà de Censibus, & Concil. „ Tridentinum cap. 5. sess. 25. de reform. Undè Sacr. Congregatio ejusdem „ Concilii interpres, sæpiùs declaravit Episcopum non posse novum beneficiis „ onus imponere, sed tantum curare debere, ut quæ illis ex fundatione, vel „ consuetudine incumbunt, exactè adimpleantur, & in specie aliàs censuit no- „ vum onus missæ in hebdomadâ non potuisse Episcopum imponere beneficio „ habenti onus Anniversarii tantùm. Non igitur potuit iste Præpositus cum „ Capitulo annectere præbendæ vacanti novum onus celebrationis missarum, „ vel personalis residentiæ, ut habet communis lectura, & ideò fuit necessaria „ confirmatio Apostolica. Hinc cum beatæ memoriæ Cardinalis Borromæus „ vellet cogere obtinentes simplicia beneficia in parochialibus, ut per sè, vel „ substitutos deservirent, cum cap. 3. sess. 21. præsupponat omnia beneficia de- „ stinata esse ad cultum divinum, & ecclesiastica munia obeunda, juxtà cap. „ final. de rescript. lib. 6. Sacra Congregatio, ab eo consulta, respondit, non „ esse cogendos ad aliud, quàm ad dicendos horas Canonicas: nec teneri, si „ beneficia simplicia sint deservire per se, nec per substitutum, exemplo Cano- „ nici, qui cum non teneatur residere causâ studii, non tenetur etiam ad sub- „ stitutum. Abbas in cap. licet de præbend. Rursus cum Episcopus Asculanus „ imposuisset onus paucæ eleemosynæ cuidam Prioratui, quod est beneficium „ simplex pro missis bis in hebdomadâ celebrandis in Cathedrali Ecclesiâ, id- „ que quià licèt dictos Prioratus actu Ecclesiam non haberet, cum tamen ha- „ beret reditus, & adessent vestigia veteris Ecclesiæ, non erat verisimile illam „ sine onere missarum celebrandarum erectam fuisse; Sacr. Congregatio con- „ sulta, an id potuisset Episcopus; respondit, nullum onus novum imponendum „ ex conjecturis verisimilibus. Sed nec Visitatorem Apostolicum, cui facultas „ attributa non fuerit in literis Apostolicis, censuit potuisse onerare benefi- „ cium simplex novo onere celebrationis missarum (*b*).

(b) *Idem Fagnan. in cap. significatum 11. num. 3. de præbend. lib. 3 f. 81.*

20. Constans est Fagnanus ubicumque loquitur de exclusione oneris resi- dentię respectù ad beneficia merè simplicia, ut videre illum est *in cap. ut Abba- tes à num. 63. de ætat. & qualit. lib. 1. & in cap. super ordinatâ num. 5. de præ- bend. lib. 3. & in cap. exposuisti num. 21. eod. titul. & in cap. admonet num. 34. & 37. de renunc. lib. 1.* Demùm alibi redeunte sermone de hujusmodi rè, inquit: *Ex generali consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt, nisi aliud sit inductum de jure speciali, ut notat glos. in cap. gratia in verb. de jure teneri de rescript. lib. 6.* Ubi & alios refert Auctores (*c*). Quem pariter sensum habet aliis in locis (*d*). Undè hic Doctor eximius, nec firmior, neque uberior esse potest in hujusmodi sententiâ magistraliter sustinendâ: ponderando etiam, quod in eo leguntur non solùm rationes magni momenti, & Doctores, ac Textus ca- nonici, quos cumulatìm super eâdem rè coacervat; verùm etiam praxis in ju- dicando super tali rè solita frequentari à præcipuis Tribunalibus Ecclesiasticis, qualia

(c) *Fagnan. in cap. conquerente num. 4. de Cler. non resid. l. 3. f. 35*

(d) *Ipsemet Fagnan. in cap. ut Abbates à num. 63. de ætat. & qual. l. 1. & in cap. super inordinata n. 5. de præbend. lib. 3. & in cap. exposuisti n. 21. eod. tit. & lib. & in cap admonet. n. 34. & 37. de renunc.*

qualia sunt Sacra Congregatio, & Rota Romana. Cujus sanè praxis Fagnanus peritissimus fuit, tùm propter longam experientiam, quam habuit, forensibus negotiis in Urbe incumbendo: tùm etiam propter munus Secretarii Congregationis DD. Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, quod per longum tempus laudabilitèr exercuit: juncta doctrina Juris Canonici, in quâ nulli Canonistæ sui temporis fuit secundus.

21. Vidimus, quod magnificat Rota Romana, simùlque magnificaciunt Doctores opinionem *Lapi de Castiglionchio Florentini*, in decidendo quæstionem, de quâ peragimus: illiusque auctoritati valdè deferunt, & merito: quippè Soccinus eum vocat Doctorem illustrem (*a*): Auctoritatis maximæ Lambertinus (*b*): Virum, à cujus auctoritate non est in judicando recedendum, Ludovicus Romanus (*c*): ac tandèm Mandosius, de ipsius allegationibus hoc pronuntiat, quod inter omnes libros Pontificios, & Legales, nullus eo melior est, & magis proficuus (*d*): Bis autèm Lapus de præfatâ controversiâ pertractat, nempè allegatione 35. & 116. atque utrobique immunitatem tuetur Beneficiariorum simplicium ab onere residentiæ, utens etiam consuetudine pro ratione, quæ consuetudo, si erat immemorabilis, & antiqua, suo tempore, nempè tempore Benedicti Papæ XII. sub quo ipse floruit (*e*): & qui sedere cœpit in Cathedrâ D. Petri anno 1334. (*f*), oportet, quod ista consuetudo jàm quingentos ad minus annos transcendat: quâ quæ major dari potest ratio? Ipsi verò tàm antiquæ consuetudini, si addatur pondus tot Doctorum, Canonistarum, & Moralistarum, atque Scholasticorum, qui præfatæ immunitati subscribunt: necnon jura, decreta, & Decisiones Rotæ Romanæ, ac Sacrę Congregationis, idipsum solemnitèr definientia; quinam locus rationabilitèr dari potest, ambigendi de justitiâ ipsiusmet immunitatis?

(a) Soccin. consf. 128. n. 6. vol. 4.
(b) Lamber. de jure patr. art. 9. qu. 1. par. 2. l. 2. post n. 26.
(c) Ludovic. Roman. consf. 226 n. 6.
(d) Quintil. Mandos. præfatio in alleg. Lapi in fin.
(e) Mandos. loco cit. in princ.
(f) Platin. & alii in Bened. XII.

22. Sed jàm ipsum Lapum ex se perorantem audiamus: „ Utrum absque „ dispensatione quis possit insimùl habere Ecclesiam, & Canonicatum in Ecclesiâ Collegiatâ; & simplex altare in plebe rurali, in quo testator mandavit „ ibidem divina celebrari pro animâ suâ, & suorum præmortuorum, & in quo „ mandavit dimidiam bonorum suorum presbytero eligendo pro missis ibidem „ celebrandis dari: & videtur, quod possit absque dispensatione illa tenere, „ & fructus indè percipere: quià habere plura simplicia beneficia non videtur „ à jure prohibitum; de elect. dudùm, de præben. cum jam dudùm not. Innoc. „ & Gloss. de rescript. gratiæ lib. 6. quæ dicit, quod hanc opi. sequitur generalis consuetudo, quam Papa scit, & tollerat, ut not. Joan. And. post alios, de „ ætat. & qualit. præsi. & hoc quià consuetudo est legum interpres &c. de consuetudine cum dilectus, ad hoc ff. de leg. l. minimè. Non obst. si dicatur, „ quod altare exigat personalem residentiam, quià fuit jussum ædificari pro divinis celebrandis, quià satisfit testatori, si ibi per alium divina celebrantur, „ nec jure expressum est, quod hoc casu per se deservire debeat: alleg. not. „ Joan. Cal. de præbend. super inordinata, ubi expressè dicit, quod major 14. „ annis, licèt minor 25. potest habere Ecclesiam non curatam, seu beneficium „ in Ecclesiâ non curatam (*g*).

(g) Lapus alleg. 35.

23. „ Non obstat opin. glo. quę habet, quod minor 25. annis Ecclesię rectoriam habere non potest, eâ ratione secundum eos, quia Ecclesia dedicatur, „ ut in illâ missam celebret, & alia Divina Officia, de consec. dist. 1. cap. 1. & „ talis missam celebrari non potest, nisi sit Sacerdos, de Summâ Tri. cap. 1. in „ fin. & minor 25. annis non potest esse Sacerdos, de ætat. & qualit. generalem, „ quam opin. dicit Calde. esse contrà multa jura, quia in Ecclesiis jura distinguunt inter curatam, & non curatam; & volunt, quod major ętas requiratur „ in curata, quam in simplici, de decis. cum in cunctis §. inferiora, de elect. licet canon. lib. 6. de ætat. & qualit. eamte. ad hoc allegat, quia ubi non exigitur à jure personalis residentia, sufficit deservire per Vicarium, ad hoc Gloss.

non

„ non obviet, de præb. c. ſuper eo lib. 6. in novel. Niſi beneficium non curatum „ requirat Sacerdotium ex privilegio, vel ſtatuto, ad hoc quod not. Gloſſ. cum „ omnes, de conſt. extirpandæ in fin. de præbend. & in capit. dudùm de elect. „ lib. 6. in penul. Gloſſ. quod in abſentiâ quis poteſt abſque peccato recipere „ reditus. Dum tamen in beneficio teneat Vicarium, vel per alium beneficio de- „ ſerviat, ſi conſuetudo hoc habeat. Imò quod plus eſt, ex conſuetudine in „ Civitate Florentiæ Canonici Eccleſiæ Cathedralis dictæ Civitatis percipiunt „ reditus in abſentiâ, licèt non percipiant minutas obventiones de funeralibus, „ & aliis, eſto etiam quod aliis beneficiis non deſerviant ad hoc dictum Innoc. „ & Hoſtienſis, de præb. cap. extirpandę, & Gloſſ. de præb. ſuper eo lib. 6. di- „ cunt, quod poteſt eſſe caſus, in quo quis de jure communi poteſt habere plu- „ res curatas, ut dicta decr. ſuper eo. & no. Gen. in Cle. literis, de præb. ſuper „ verb. hoſpitalia, quod quis poteſt habere plura hoſpitalia, & ſi quodlibet ho- „ ſpitale haberet Eccleſiam curatam annexam, plures curatas Eccleſias poteſt „ de jure poſſidere (a).

(a) Idem Lapus loc. citato.

24. Conſonat huic doctrinę alia, quam inferiùs prolixiori dictatu ponit, eamque præſtat hìc integram, ac per extenſum inſerere propter rationes, quas numero 21. tetigimus: Ait ergò: „ Philippus in ſuo teſtamento juſſit per ejus „ fidei Commiſſarios conſtrui quandam capellam in quadam parochiali Eccle- „ ſiâ, & mandavit per dictos Commiſſarios eligi unum presbyterum, qui debeat „ officiare ad dictam capellam. Itèm reliquit dicto presbytero, qui reſideret in „ dictâ Eccleſiâ, vel officiaret, certa bona, quo teſtatore obeunte, prædicti fi- „ dei Commiſſarii fecerunt conſtruere dictam capellam in dictâ Eccleſiâ, ut of- „ ficiant in illâ quendam presbyterum, ſcilicèt Rectorem dictæ Eccleſiæ paro- „ chialis, in quâ erat dicta capella, qui acceptavit, & inſtitutus fuit per pleba- „ num dicti loci, ad quem de conſuetudine ſpectabat, & pluribus annis dictam „ capellam ſimul cum dictâ parochiali Eccleſiâ poſſedit, & retinuit, & retinet, „ quibus ſic ſe habentibus, Ordinarius per Inquiſitionem ex officio procedit ad- „ verſus dictum presbyterum, prò eo, quia ut dictus Ordinarius aſſeruit dictam „ capellam cum dictis parochialibus Eccleſis de facto, & ſine canonico titulo „ poſſedit, & fructus percepit, & occupavit, & quod de jure utramque retinere „ non poteſt. Quęritur, utrum ille presbyter veniat puniendus aliquo non „ probato, & videtur primò quod ſic, nàm ex prædictis apparet, quod mi- „ nùs canonicè dictam capellam retinuit cum dictis parochialibus Eccleſiis, „ quia erant beneficia incompatibilia, eâ ratione, quia parochialis requirit per- „ ſonalem, & continuam reſidentiam, de præb. extirpandæ, & cap. licèt canon. „ eod. tit. lib. 6. & quia curam habet animarum, aliud ſimile habere non poteſt, „ de præb. de multa, & in Extravag. Joann. 22. execrabilis §. qui verò. Sed „ prædicta capella, licèt non ſit propriè curata, quià animarum curam propriè „ non habet, eſt in hoc ſimilis curatæ, quia perſonalem reſidentiam requirit: „ ad hoc enim conſtrui mandavit ipſam teſtator, & presbyterum eligi, ut in „ illâ officiaret pro animâ ſuâ, & ad hoc reliquit dotes, ut presbyter exindè „ poſſet vivere, & ſic voluit, ut ſingulis diebus ſic faceret, hæc autem ſine per- „ ſonali, & continuâ reſidentiâ fieri non poſſet (b).

(b) Lapus alleg. 116 fol. 136.

25. Ex toto hoc diſcurſu, de more illius temporis facto priùs ſuper motivis, & objectis in contrarium facientibus; deducit Lapus ſuam concluſionem, dicens: quod ſi capella igitur, de qua loquitur „ reſidentiam perſonalem, & conti- „ nuam requirit, patet, quod eſt incompatibilis cum beneficio curato, quod actu „ perſonalem reſidentiam requirit, & iſta videtur eſſe ratio, quarè duo benefi- „ cia curata retineri non poſſunt, quià utrumque perſonalem reſidentiam requi- „ rit, quod per unum hominem fieri non poteſt: quià unicum corpus pluribus „ in locis continuè, & perſonalitèr reſidere non poteſt, & iſtâ ratione motus „ poſt Innoc. in cap. Clericos de Cleric. non reſid. videtur hoc idem dicere ex-

preſ-

„ pressiùs post eum Dominus meus Joann, Calde. in eod. cap. Clericos, sive re-
„ quiratur residentia de jure communi, puta quia curata, sive non curata, si
„ statuto, consuetudine, vel institutione factâ in ipsius ordinatione, propter
„ idemptitatem rationis, scilicèt incompatibilem, ut in Cler. gratia de rescrip.
„ secundum ipsum Dominum meum Joann. Cald. & hoc procedit quantum ad
„ utramque Ecclesiam parochialem, cum quibus dictus presbyter dictam ca-
„ pellam retinuit. Sed quantum ad primam parochialem Ecclesiam, prædicta
„ Ecclesia, in quâ dicta capella erat constructa, & cum quâ prior retinuit di-
„ ctam capellam, videtur etiam aliâ ratione hæc canonicè fieri non potuisse:
„ nàm in Ecclesiâ, in quâ quis est rector principalis, non potest esse rector, &
„ canonicus, vel aliud inferiùs beneficium retinere, quia rector, sive prælatus
„ principalis dicitur caput, & canonici, & alii inferiores clerici dicuntur filii,
„ & membra, de iis, quæ fin. à major. par. cap. novit.& cap. quanto: quià ergò
„ pater non est filius, & caput non est membrum, ista enim sunt correlativa,
„ quorum ea est natura, ut unum non sit reliquum, & hoc placuit Domino meo
„ Joan. Cald. in cap. postulasti, de concef. præb. in 4. qu. ubi hoc plenè tractat;
„ ad prædicta facit decreta, prima de cens. præbendæ lib. 6. melius decr. uti de
„ preb. Si igitùr non potuit de jure retinere, canonicum non habuit titulum, &
„ sic de facto retinuit, & occupavit dictam capellam, & ejus fructus, & furtum
„ commisit quodammodò, vel rapinam extra. de elect. dudùm, & sic meritò
„ Curia Episcopalis inquirit, & punire potest hos, & alios excessus, de offic.
„ ordin. cap. 1. „ Hæc objectivè sibi opposuit Lapus, quidquid potuit in opposi-
tum congerendo, ut hiscè posteà motivis è medio successivè sublatis, fortiùs inno-
tesceret vis doctrinæ, quâ subindè suum sensum explicat, dicens,

26. „ In contrarium arguitur. Et primò videtur, quod dictus presbyter
„ dictam capellam canonicè tenuerit cum dictis parochialibus Ecclesiis, & ea-
„ rum quâlibet, nàm illud constat verum esse, aliquem posse de jure retinere
„ plura beneficia 1. simplicia, vel unum curatum cum uno simplici sine aliquâ
„ dispensatione arg. eorum, quæ not. Glos. 1. cap. gratiosæ, de rescript. lib.6.
„ Sed ità est in casu nostro, quià dictus presbyter retinuit unum curatum bene-
„ ficium, videlicèt Ecclesiam parochialem, & unum simplex, & non curatum,
„ videlicèt dictam capellam, igitùr de jure retinuit. Quod dicta capella non sit
„ curata, patet in themate, quià nec presbyterum, nec parochiam, nec jurisdi-
„ ctionem, vel potestatem ligandi, vel solvendi præsumitur habere: extrà de
„ elect. dudùm, nec etiam requirit continuam residentiam, vel personalem
„ de juris consuetudine, vel statuto, vel modo apposito in fundatione, ut pa-
„ tet per verba testamenti suprà in themate relicta, & sic effugitur opin. Innoc.
„ & Domini mei Joann. Cald. quam suprà retuli. Et tamèn si requireret perso-
„ nalem residentiam secundum opi. Innoc. & Domini mei Joan. Cald. vacasset
„ parochialis Ecclesia, & non dicta capella, quam secundo loco habuit, quià
„ habens unum beneficium curatum, recipiens unum simile, vacat primum ipso
„ jure, è non secundum, de præb. cap. de multâ. Nèc etiam capellam vacare
„ diceres per Extravag. Joan. 22. execrabilis §. qui verò, quià parochialem Eccle-
„ siam infrà mensem de jure, & de facto non dimisit in manibus Ordinarii. Sed
„ certè prædicta opin. Innoc. & Joan. Cald. non videtur vera, etiam ut prædixi, si
„ dicta capella personalem residentiam exigeret, quia pœna decr. de multa, &
„ cap. execrabilis, specialitèr in certo casu est statuta, scilicèt in tenentem duo
„ curata: in aliis ergò incompatibilibus remaneant jura antiqua, quę dabant
„ optionem, de præb. referente, & cap. pręterea. Prò hac ratione facit ff. solut.
„ matrim. l. si verò negotium §. de viro de elect. statutum, lib.6. hoc etiam placet
„ Jo. And. in spec. de Cler. non resid. §. primo mandet, ubi arguendo prò, & con-
„ trà, dicit hoc, quod proximè dixi verius, & quicquid Innoc. not. in d. cap. tuæ,
„ de Clericis non resid. tamèn idem Innoc. not. contrarium in cap. fin. de Clericis

„ non resid.dicens], quod eo casu necessaria est motio, & hominis privatio. In-
„ tellige igitur secundum Joan. Andr. Gloss. Innoc. de curatis dignitatibus, &
„ personatibus, in quibus est speciale, de præb.cap.de multâ.

27. Subjungit Lapus, dicens: „ Stabitur igitur juri antiquo, per quod
„ dabatur optio. de præb.ad hoc, & cap.prętereà, & d. cap. relatum: Non
„ obstat secundum eum illa clausula alioquin &c. quæ solùm habet vim admo-
„ nitionis excommunicationis, simile de præb. non potest, lib. 6. in commento
„ cum suâ remiss.& licèt prædicta sic examinaverim, tamèn non faciunt ad ca-
„ sum nostrum, quià, ut prædixi, dicta capella non requirit personalem, & con-
„ tinuam residentiam, de jure, consuetudine, vel statuto, vel modo in funda-
„ tione apposito, ut patet in verbis testamenti contrà relationem. Nèc forsan
„ dicat aliquis satis requirit personalem residentiam, ex quo ad hoc ædificata
„ fuit, ut ibi Divinum Officium prò animâ testatoris celebretur, quod nisi per
„ presbyterum residentem fieri non potest; nàm hoc idem esset in qualibet Ec-
„ clesiâ non curatâ, quæ ad alium finem non construitur, nisi ut illic Divina Of-
„ ficia celebrentur, hæc tamen jura tali casu non arctant Rectorem talis Eccle-
„ siæ ad residentiam continuam, vel ad Sacerdotium. Sufficit enim, quod in
„ tali Ecclesiâ Divina Officia per alium idoneum celebrari faciat, ut no. etiam
„ ipse Jo. Cald. de præb. cap. superinordinata. Eodem modo, & pari ratione
„ dicendum est de d. capella, videlicèt sufficere, si per alium deserviri faciat,
„ & missam celebrari. Nèc obstat huic conclusioni, quod dicta capella simùl
„ cum dictâ parochiali Ecclesiâ, in quâ sita erat, retineri non potuerit, per ra-
„ tiones superiùs assignatas, quià illę rationes, etiam si veræ essent, procedunt
„ in prælaturâ principali, & canonicatu, sed non est tanta convenientia inter
„ prælaturam, seu rectorem principalem, & capellam ejusdem Ecclesiæ, quanta
„ est intèr ipsam prælaturam, seu prælatum, & capitulum, nàm paternitas, &
„ filiatio, & caput, & membrum, correlativa sunt, & procedunt intèr prælatos,
„ & canonicos, ut suprà dictum est; sed non intèr prælatum, ut rectorem, &
„ capellanum: nàm capellanus non est de collegio, nec pars corporis, sed pars
„ de per se, habens certum ministerium ad missam celebrandus, sicut si esset
„ extrà ipsam Ecclesiam, & in aliâ Ecclesiâ. Et eâdem ratione aliud est in dua-
„ bus canoniis ejusdem Ecclesiæ, quam in canonicatu, & capellâ. Nàm in
„ duabus canoniis est patens ratio, quia tollitur suffragium Ecclesiæ, quia ubi
„ duo canonici, ibi duo consilia, & duo suffragia, si duo reducantur ad unum,
„ diminuuntur consilia, quia unius hominis unicum est os, & unica vox, &
„ unicum consilium, secundum not. in cap. cum olim de rè judic. in Glos. 1. su-
„ per ea in novellâ, quæ cessant in canonicatu, & capellâ, quæ, ut præfertur, vo-
„ cem in capitulo non habet, & non est pars collegii.

28. Vide quot verbis, quotque motivis, Lapus immunitatem Beneficiarii simplicis à residentiæ personalis debito probat, & rationes dispescit, quę sunt excogitabiles in adversum, eas evertens non solis vocibus, sed vocibus, quas jura per ipsum allegata communiunt. Sequitur: „ Nèc obest si dicatur, dùm
„ deservit capellæ, subtrahit suffragium curato, tamen hoc non obstante dici-
„ mus, quod potest cum curato simplex licitè retineri, ratio est, quia in simplici
„ potest per alium deservire, & idem in dictâ capellâ, ut suprà probatum est,
„ imò etiam in tali capellâ multò melius posset sine præjudicio Ecclesiæ, in quâ
„ sita est deservire, quam si esset apud aliam Ecclesiam, ut de se patet. Nàm di-
„ ctę capellę deservit ex dispositione testatoris, si unica missa celebretur ibidem
„ in die. Sed constat, quod canonicus in eadem Ecclesiâ summo manè posset di-
„ cere ibi missam, & statim esse in choro ad Officia Divina, celebranda postmo-
„ dùm cum aliis. Itèm principalis pręlatus Ecclesię posset etiam summo manè ta-
„ lem missam dicere in tali capellâ, & posteà ad chorum se convertere, & alia
„ oportuna tractare. Et si dicas, non posse missam celebrari prò Ecclesiâ prin-

cipali,


„ cipali, quià duas missas &c. Respondeo, quod etiam in curatâ non arctatur „ ad missam personalitèr, sufficit quod per alium faciat dici, hęc autem facul- „ tas non esset in beneficio, vel capellâ, quæ esset in capellâ aliâ remota à „ principali Ecclesiâ. Et quod in eadem Ecclesiâ quis possit esse duplex, sci- „ licèt prælatus, & canonicus, placet Joan. Andr. in decr. cum in Ecclesiâ de „ præb.lib.6.& dicit nil relevare id, quod ibi dicit Archid, quod potest habere „ vocem ut canonicus, sed non esse canonicus. Sed quicquid sit de prælaturâ, „ & canonicatu, & duabus canoniis, tamen de prælaturâ, & capellâ, vel de „ canonicatu, & capellâ, maximè in capellâ, ubi non requirit personalem, & „ continuam residentiam, non videtur dubitandum, quod illa simul, sicut unum „ curatum, & aliud simplex detineri possunt. Sed si non faciant in altero eo- „ rum congruè deserviri, Episcopus providebit per privationem alterius, vel „ per fructuum subtractionem, seu dabitur optio ipsi Clerico, ut alterum, quod „ maluerit, accipiat, altero dimisso, ut in c.referente præall. (*a*).

(a) *Ipsemet Lapus alleg.116.*

29. En igitùr utraque Allegatio Lapi, utraque magistralis, & magnæ authoritatis, quam velle impugnare, est velle isthmum fodere, vel clavâ manum Herculis denudare, quippè hanc doctrinam sequuntur consonâ voce Doctores, eamque amplectitur Rota, nec ab eâ recedendum est in judicio ferendo, nè contrà communem sensum omnium Doctorum eatur. Utrique autem huic Allegationi optimas additiones facit *Quintilianus Mandosius* perexcellens Jurisconsultus, quas hìc adnectere superfluum judicamus: Memorandam tamen ducimus Glossam notabilem, ab eo allegatam ex cap. dudùm de election. quæ admittit Clerico posse plura beneficia minora, sive non residentialia in titulum obtinere, & hanc esse consuetudinem per totum orbem diffusam (*b*). Quæ beneficiorum pluralitas, quià non est compatibilis cum servitio personali, & cum actuali Clerici residentiâ, ut alibi pluriès ostendimus in præsentis operis decursu; patet hinc quoquè immunitas Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.

(b) *Glos. in cap. dudum 54. Ver. intitulatam de elect.*

30. Porrò veritas uniuscujusque propositionis nonnisi elici potest, & probari, vel ratione, vel auctoritate, vel utraque simul conjunctâ: quæ quantò magis propositioni favent, tantò magis ipsius propositionis veritas elucescit. Nos igitur proponentes propositionem, quod Beneficiarii merę simplices sunt à residentiæ debito immunes, eam probavimus multiplicibus rationibus, & Scripturalibus, & Theologicis, & petitis ex Sanctis Patribus, atque ex Sacris Conciliis, Generalibus, Nationalibus, & Provincialibus: Rationibus paritèr Legalibus, Historicis, & Politicis: necnon Decretis Sacrarum Congregationum: Decisionibus Romanę Rotæ: Auctoritate demùm Theologorum, tàm Scholasticorum, quàm Moralium, atque Canonistarum: Jàm ergò munus nostrum omnibus numeris adimplevimus, nec restat quid amplius desiderari valeat ad uberiorem hujus sententiæ probationem. Quià nihilominùs Contradictores quoque multas pro se rationes adducunt; superest ut easdem examinemus, perpendamus, diluamus, & tamquàm effimeras ad nihilum redigamus, prout Domino adjutore in responsione ad sequentes Objectiones, nos facturos esse speramus. Ad illas ergò alacri animo jàm descendimus.



RESPONSIO OBJECTIONIBUS

EX JURE DIVINO, ET NATURALI PROPOSITIS ADVERSUS

IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERÈ SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT XXI.

In quo respondetur primę Objectioni SCRIPTURALI, *adversùs præfatam Immunitatem propositæ, ac petitæ ex Actibus Apostolorum, & ex Epistolâ ad Titum.*

SUMMARIUM.

1 *Rectus ordo procedendi in controversiis est, ut probata aliquâ Doctrinâ congruis rationibus; dissolutione quoque Objectionum ejus veritas confirmetur.*

2 Prima Objectio *petitur ex eo, quod Apostolus Ephesiis scribit, & ad Titum; Undè inferatur esse de jure divino, quod Beneficiarii resideant apud suas Ecclesias.*

3 *Præfata Objectio ad summum probat Clericos alicui Ecclesiæ esse affigendos & ne affixi ab eâ discedant; quod Canones quoque sanciunt.*

4 *Nedùm antiqui, sed etiàm recentes Canones jubent affixionem Clerici alicui Ecclesię. Quæ tamèn affixio non potest fieri post ordinationem.*

5 *Quæ concernunt ordinationem, nihil probant quoàd residentiam in beneficio: Ab unâ enim ad aliam, consequentia non tenet.*

6 *Apostolus loquitur non de Beneficiariis merè simplicibus, sed de Episcopis: qui interdùm voce Presbyteri connotantur.*

7 *Epi-*

7 *Episcopalis dignitas non erigenda est in parvis locis. Episcopatus dignitas exigis onus residentiæ, ab eoque non valet argumentum ad beneficia merè simplicia.*
8 *Sicut etiàm ex debito residentiæ personalis inhærente Curatis, non benè infertur eodem onere arctari Beneficiarios merè simplices.*
9 *Retorquetur argumentum, si uterque textus complectitur beneficia merè simplicia eo modo, quo Apostolus de Episcopalibus, & de Curatis disposuit.*
10 *D. Paulus nullibi resedit localitèr apud Gentiles, quorum est ordinatus Antistes. Quid fecerit Titus à Paulo deputatus in Cretâ.*
11 *Beneficiarii curati tenentur residere de* jure divino: *non expressè, ac strictè, sed solùm analogicè, ac deductivè, sivè lato modo.*
12 *In Concilio Tridentino res hæc fuit valdè agitata. Non posset Papa dispensare super residentiâ Curatorum, si hæc esset strictè de jure divino.*
13 *Videtur tamèn, quod Curati residere teneantur de jure divino, si non expresso in Sacris Scripturis, deducto tamèn ex iis, quæ Sacræ literæ tradunt.*
14 *Curatus non solùm tenetur sacrificium offerre, & similia facere, quæ fortassis posses per substitutum præstare, sed etiàm alia facere, quæ exigunt ejus præsentiam.*
15 *Potest autèm super Curatorum residentiâ dispensare Pontifex ob bonum publicum, sicut facit super voto, & juramento, justis ex causis.*
16 *In quo dissentiant Canonistæ, ac Theologi, circà obligationem residentiæ Rectoris animarum, & potestatem Papæ dispensandi super ipsa residentia?*
17 *Beneficiarii, qui solam curam exteriorem habent animarum, ad residentiam tenentur saltèm vi Bullæ Pii PP. IV.*
18 *Multi Doctores sentiunt esse de jure divino residentiam Curatorum. Concilium Tridentinum quid hac dè rè decreverit?*
19 *Concilium decrevit esse dè præcepto divino in curatis pascere suas oves. Siluit autèm, quod residentia personalis in eis sit de jure divino.*
20 *Canonici, Mansionarii, Dignitates chorales &c. non tenentur ad residentiam de jure divino, nec etiàm lato modo, sed solùm de jure Ecclesiastico.*
21 *Si non nisi lato modo Rectores animarum, & nullatenùs Canonici tenentur ad residentiam de jure divino: multò minùs ad illam de eodem jure sunt adstricti Beneficiarii merè simplices.*

1. RECTUS ordo procedendi in controversiis, hoc postulat, quemadmodùm innuimus capitulo præcedenti, ut nedum rationibus probetur sententia, sive doctrina, sive propositio, prò cujus scribitur veritate, sed etiàm Obiectionum dissolutione firmetur, ut & illis in medium propositis, & his è medio sublatis, nihil supersit, quò melius possit veritas ipsa probari. Postquàm igitur jàm per varias rerum categorias collegimus, & in propatulo posuimus infinitas propemodùm rationes, Scripturales, Theologicas, Legales, Historicas, Politicas, ex Sanctis Patribus, & Sacris Conciliis deromptas, aliasque demùm superius indicatas unisonè conclamantes prò exemptione Beneficiariorum merè simplicium ab onere servitii personalis, & residentiæ; nihil aliud restat, nisi ut in eandem exemptionem dissolutione Obiectionum, quæ proponuntur in oppositum, confirmemus. Ad illas igitur examinandas nùnc opportunè manum apponimus, in Domino confidentes, quod ipsas citò dabimus *exinanitas, exinanitas usque ad fundamentum in eis* (a).

(a) *Psalm.* 136. n. 7.

2. Obiiciunt itàque *primo loco* Contradictores, esse *de jure divino*, quod Benefi-

neficiarii etiàm merè simplices actualitèr resideant, & personalitèr administrent in Ecclesiis, ubi eorum erecta sunt beneficia: hocque deducunt ex bicipi sermone Divi Pauli Apostoli ad Ephesios, & ad Titum. In primo etenim Apostolus, mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ, illisque inter cætera salutis monita, hoc quoquè largitus est: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo* (*a*). In secundo quoque ità sensum suum Tito Discipulo communicauit: *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi* (*b*). Per hoc ergò, inquiunt, quod Apostolus jussit apponi in locis ibi designatis Presbyteros, & Majores natu Ecclesię regere Ecclesias sibi commissas; patet, quod omnes Beneficiarii, etiàm merè simplices, in eisdem Presbyteris, & Majoribus natu expressi, debent dè jure Divino in Ecclesiis, in quibus beneficium obtinent, residere, atquè personalitèr ministrare.

3. Respondetur *primò* negando suppositum, nempè quod in utroque textu Apostolus loquatur de Beneficiariis, vel de Ecclesiasticis beneficiis: neutrum etenim ex istis est verborum ejus obiectum; & quatenùs etiàm ex hinc aliqua norma deduci posset, disciplinæ à Clericis in rebus Ecclesiasticis observandæ; nulla fortè aptior significatio reputanda esset, quam ista, quod Apostolus utrobique loquatur non dè beneficiis, neque de Beneficiariis, sed potiùs de affixione Clericorum alicui determinatæ Ecclesiæ, quam nos nedùm non impugnamus, sed imò eam ultrò admittimus, & fatemur nullum esse ad sacros ordines promovendum, qui non sit alicujus Ecclesiæ servitio mancipatus, id clarè disponenc te Concilio Chalcedonense, sub his terminis. Nullum absolutè ordinari nec presbyterum, nec diaconum: *nec omninò aliquem eorum, qui sunt in Ecclesiastico ordine, nisi specialitèr in Ecclesiâ civitatis, vel pagi, vel Martyrio, vel Monasterio is, qui ordinatur, designetur* (*c*). Ad hæc Concilium Valentinum in Hispaniâ decrevit: *Non sit Clericus, qui non spondeat locum, ubi sit delegatus* (*d*). Alia quoque Concilia mandassent Clericos alicui Ecclesiæ semper affigi: quorum etiàm plura sanciunt, ne Clericus ab Ecclesiâ, cujus servitio destinatus est, discedat (*e*): Et si discedat, à nullo alio Episcopo suscipiatur (*f*).

4. Quam observantiam affixionis, sive designationis Clerici ordinati, ad aliquam determinatam Ecclesiam, nedùm antiqui Canones, ut univimus, poposcerunt (*g*), sed etiàm recentiores exigunt (*h*): Et signantèr Concilium Tridentinum disponens: *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; Sancta Synodus vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus inposterùm ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus* (*i*). Quæ tamèn adscriptio facienda est in actu ipsius ordinationis, alioquin, si intermittatur, non potest post ordinationem suppleri (*l*). Semèlque tandèm facta, non ità Clericum adscriptum ad residentiam alligat, ut ab Ecclesiâ suâ justis ex causis non valeat elongari: quâ dè rè Doctores (*m*), tamètsi contra Clericos gyrovagos Pontificum, Patrum, & Conciliorum interdicta, vocibus intonent non exiguis (*n*).

5. In hoc autem sensu præfatæ affixionis, congruè accipi posse utrumque textum Apostoli, testatur Christianus Lupus, in contrarium perperàm allegatus, dicens: *nullum autem Episcopum, aut Clericum absolutè, sed ad certum titulum, aut cardinem ordinari, est omninò Canon Apostolicus. Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut constituat Episcopos, Presbyteros, aliosque Ministros, non vagè, & liberè, sed per civitates, aliaque loca certa, & fixa. Et Asiæ Episcopos hortatur idem Apostolus, ut attendant gregi, seu populo, in quo illos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei.*

Et quod

(a) *Act. Apostol. cap. 20. n. 28.*

(b) *Ad Titum cap. 1. n. 5.*

(c) *Concil. Chalced. cap. 6.*

(d) *Conc. Valentin. an. 524. cap 6.*

(e) *Conc. Rom. an. 904. § reordinationes. Conc. Gall. to, 2. fol. 950. 13.*

(f) *Conc. Tolet. XIII. c. 11. Conc Hispal. II. c. 4 Conc. Lucens. c. 33.*

(g) *Conc. Arel. c. 2. & 21. Conc. Hispal. II. can. 3. Conc. Clarom. c. 13. Capitul. Carol. M. l. 1. c. 26.*

(h) *Concil. Aquens. an. 1585. tit. de ordin.*

(i) *Concilium Trid. sess. 23. cap. 16.*

(l) *Barbos. ad Con. Trid. sess. 23. c. 6. n. 33 & cap. 16. n. 2.*

(m) *Barbos. ad Conc. sess. 23. cap. 16. n. 4. 13.*

(n) *Zachar. PP. I. ep. 11. Conc. Gall. fol. 572. to. 1. S. Isidor. de Eccl. offic. l. 2. c. 3. Conc. Valent. an. 524. c. 5.*

Ex quo vides Clericorum ad certos titulos, & locos affixionem esse dictatum Spiritus Sancti &c. (*a*). Si ergò Apostolus in textibus, ex quibus compacta est Objectio, non loquitur de beneficiis, neque de Beneficiariis, sed de solâ affixione Clericorum ad servitium alicujus Ecclesiæ, facienda in actu ordinationis; patet, quod argumentum nihil probat adversus exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ. Aliud enim est, quod Clericus alicui affigatur Ecclesiæ, ne sit gyrovagus, & nè incertis Sedibus vagetur, ut sit demùm illi affixus ratione ordinationis: aliud verò est, quod ad residentiam personalem teneatur ratione beneficii: ab ordine namque ad beneficium, consequentia, quoàd hanc partem, non tenet.

6. Respondetur *secundò*, Apostolum in utroque textu exadverso allegato, loqui non de Beneficiariis simplicibus, sed de Episcopis. In Actibus enim Apostolorum convocavit plures Episcopos civitatum provinciæ Ecclesiæ, uti sentit D. Irenæus (*b*), eosque commonuit, ut primo attenderent sibi, & deindè ipsorum gregi (*c*), atque illi benè regendo incubarent, in quo Spiritus Sanctus eos *Episcopos* constituerat. In epistolâ quoque ad Titum, eum commonuit, ut constitueret per civitates presbyteros, idest Episcopos, quatenùs antiquitùs, vox præsbyteri erat communis etiam Episcopis (*d*): *Et cum essent plures civitates in insulâ Cretæ, centum numero, volebat, ut singula urbs proprium haberet Præsulem: tum ut labor esset tolerabilior apud unumquemque vigilem Civitatis: tum ut diligentiùs populi cura administraretur* (*e*). Et quod in eâ epistolâ ad Titum nomen *præsbyteros* significet Episcopos, convincitur ex subsequentibus verbis, ubi ait, *oportet enim Episcopum sine crimine esse* (*f*): quæ verba non possent cohærere prioribus, si Apostolus pro presbyteris non intellexisset Episcopos (*g*).

7. Idipsum deducitur ex ratione Dignitatis Episcopalis, quæ usque ab initio non potuit constitui nisi in urbibus (*h*): Undè Concilium Sardicense: *licentia non sit Episcopi passim ordinandi, aut in vico, aut in civitate modicâ, cui satis esse possit unus presbyter: nec enim necesse est ibi Episcopum fieri, nè Episcopi vilescat nomen, & honoris summi auctoritas* (*i*), quod & Concilium Laodicenum statuit (*l*), & aliis Canones apud Gratianum in suo Decreto (*m*). Itàque cum Apostolus utroque in loco de Episcopis eloquatur; nil mirum si verbis utitur eos ad residentiam urgentibus, quippè sine dubio Episcopi personalis residentiæ debito arctantur. Sed hoc nihil facit ad rem pro eodem debito Beneficiariis merè simplicibus inferendo: hi etenim Beneficiarii non sunt Episcopi, nec habent dignitatem, neque officium, neque ordinem, neque onera Episcopalia: Imò unum ex oneribus Episcopalibus quale est onus residentiæ, facit ut etiam, ex hoc capite beneficia merè simplicia à beneficiis Episcopalibus distinguantur: adeòque ab uno ad aliud eorum non benè deducitur argumentum.

8. Respondetur *tertiò*, quod si de facto Apostolus nedùm de Episcopis, verùm etiam de presbyteris inferioribus locutus fuisset; adhùc tamèn ejus verba ad summum extendi non possent, nisi ad significandos quoque presbyteros, curam animarum habentes, & ità Bartholomæus Petrus Lintrensis expendens versiculum illum, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, asserit *hoc loco, non eos solos nomine Episcoporum intelligi, qui strictè, & propriè sic appellantur, sed etiam qui sunt iis inferiores, curam animarum habentes, parochi nuncupati. Et nihilominùs verum est etiam de talibus, quod Spiritus Sanctus eos posuit unumquemque in grege suo rectores, inspectores, præfectos ad regendam Dei Ecclesiam: quoniàm neque ordinis, neque jurisdictionis potestas Sacerdotalis cuiquam confertur, nisi virtute, & authoritate Sancti Spiritus, tametsi per hominis ministerium* (*n*). Pariter in epistolâ ad Titum, ubi Apostolus ei committit, ut constituat per civitates presbyteros, qui ministeria pastoralia exerceant, ut evincitur ex contextu, si pro presbyteris rè verâ intel-

ligit

(a) *Christian. Lupus Schol. in can. 6. Conc. Chalced.*

(b) *S. Irenæus lib. 3. cap. 14.*

(c) *Dionys. Carthus. in Act. 20. 28.*

(d) *Cornel. à Lap. in Tit. 1. 5. 6. Et. Dionys. Carthus. in Tit. 1. 5. Lorin. Act. 20. 17.*

(e) *Antonius Scaynus Salodiensis in Tit. 1. 5. H.*

(f) *Ad Titum c. 1. num. 7.*

(g) *Dionys. Carthus. loc. cit.*

(h) *S. Leo epist. 87. ad Episc. Afric. c. 2.*

(i) *Conc. Sardicens. can. 6.*

(l) *Concil. Laodicen. cap. 75.*

(m) *Gratian. distinct. 80. per tot.*

(n) *Barthol. Petrus Lintrensis in Actor. 20. 28. §. in quo.*

ligit ſacerdotes, Epiſcopis inferiores, certè non niſi parochos, & animarum rectores potuit connotaſſe; in quo ſenſu benè Cornelius à Lapide exponit: *jubet ergò Paulus, ut in ſingulis oppidis Titus conſtituat presbyteros, puta in majoribus Epiſcopos, in minoribus ſacerdotes, ſive paſtores* (*a*). Dato igitur etiam ex abundanti, quod uterque textus Apoſtoli, nobis objeƈtus, minoris quoque ordinis presbyteros compleƈtatur; non niſi presbyteros curatos ſignificabit, quos non negamus, ſed ultrò concedimus teneri ad onus reſidentiæ perſonalis. Verùm ex hinc nihil penitùs infertur, ad implicandos Beneficiarios merè ſimplices debito aƈtualis ſervitii, & reſidentiæ perſonalis.

9. Reſpondetur *quartò* retorquendo argumentum. Nàm ſi uterque textus, de quo eſt ſermo, nedùm beneficia Epiſcopalia, & curata ſignificat, ſed etiam alia inferiora merè ſimplicia: ergò beneficia hæc inferiora eo modo regulanda ſunt, ac regulata fuerunt per Paulum beneficia Epiſcopalia, & curata: quoàd onera enim non eſſe debent, neque poſſunt deterioris conditionis beneficia merè ſimplicia, quàm ſint Epiſcopalia, & curata. Sed beneficia Epiſcopalia, & curata fuerunt ità per Apoſtolum regulata, ut Beneficiarius poſſet nedùm per ſe ipſum, verùm etiam per ſubſtitutum, munus ſibi injunƈtum implere; ergò Beneficiarii quoque mere ſimplices poterunt ſuo munere deſungi per alium à ſe pro libito ſubſtitutum: hìcque adniſſo jàm obtinemus intentum noſtrum, quod eſt tuendi libertatem Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere perſonalis officii, & reſidentiæ, reliƈto illis tamèn debito adimplendi onus beneficii, ſi quod habent, per alium à ſe ipſis congruè deputatum.

10. Tota vis retorſionis argumenti conſiſtit in verificatione minoris propoſitionis, quæ ſic probatur. Divus Paulus ordinatus eſt *Apoſtolus Gentium* (*b*), ideſt Epiſcopale beneficium ſortitus eſt, apud Gentiles peculiaritèr exercendum: & tamèn nullibi apud Gentiles reſedit, ſed hùc illùc excurrit, & alios vice ſui pluribus in locis conſtituit, ut ibi Epiſcopale miniſterium exercerent; nàm ut alios omittamus, Epheſi collocavit Timotheum in paſtorem (*c*), & Cretæ Titum præpoſuit in Epiſcopum (*d*), cum poteſtate alios ſubdelegandi, atque in populorum Reƈtores, & Antiſtites deſtinandi: Scribit ei namque: *Hujus rei gratiâ reliqui tè Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi* (*e*). Itàque D. Paulus, tametſi Gentium ordinatus Epiſcopus, eas tamèn ſive illarum particulares Eccleſias, per alios à ſe deputatos regebat, uti etiam memorat S. Joannes Chryſoſtomus (*f*). Titus quoque, licèt Cretæ deputatus Antiſtes, Eccleſias tamen illius inſulæ per alios rexit à ſe deleƈtos. Ergò ſi Paulus, ac Titus licitè potuerunt beneficia Epiſcopalia, & curata per alios miniſtrare; multò magis miniſtrari poſſe voluerunt per alios beneficia merè ſimplicia: loquendo in ſuppoſito, non tamèn concedendo, quod hæc quoque per præfata verba ſignificentur. Tantum abeſt ergò, quod ex doƈtrinâ D. Pauli arƈtentur Beneficiarii mere ſimplices ad perſonale ſervitium Eccleſiis ſuorum beneficiorum exhibendum teneantur; ut potius ex eâ ponantur in libertate miniſterium proprium exequendi, vel per ſe ipſos, vel per alios à ſe deputatos: & ità ex objeƈtione non obruitur, ſed roboratur immunitas Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere reſidentiæ. Sed hanc reſponſionem, qualiſcumque illa ſit roboris, relinquamus, & ad alia tranſeamus.

11. Reſpondetur *quintò* ad id, quod ex utroque textu, in objeƈtione poſito, ſubinfertur, nimirùm eſſe *de jure divino*, quod Beneficiarii reſideant apud Eccleſias ſibi commiſſas; hoc ad ſummum verificari poſſe de ſolis Beneficiariis, animarum curâ præditis: & quo ad hos etiam, non eſſe de jure divino expreſſo, direƈtè, & ſtriƈtè concepto, ſed de illo ſolùm analogicè, deduƈtivè, ac lato modo conſiderato. Quod ut evidentiùs eniteſcat, placeat audire Joannem Azorium, doƈtum, & pium Theologum (*g*), in ſuis Inſtitutionibus Moralibus ſic loquentem: *primo quæritur, an Epiſcopi, & parochi, Eccleſias parochiales habentes,*

non

(a) *Cornel. à Lapid, in Aƈtor. 20. 28.*

(b) *Romanor. cap. 11. num. 13.*

(c) *1. Ad Timoth, cap. 1. n. 3.*

(d) *Ad Titum cap. 1. num. 5.*

(e) *Ad Titum c. 1. num. 5.*

(f) *S. Joan. Chryſoſt. homil.*

(g) *Anton. Baldaſſar. compendio riſtretto in Gio. Azorio f. 76.*

non solum canonico jure, sed etiam divino, in suis Ecclesiis residere cogantur: Tota quæstio in eo versatur, an Episcopi, & parochi, quibus imposita est animarum cura, propriè, & strictè sumpta, hoc est, cum onere, & obligatione administrandi Sacramenta, & verbum divinum annuntiandi, & sacrificium offerendi pro ovibus; jure divino residere compellantur (a). Notabilis profectò difficultas, de quâ multi multa loquuntur, bonumque hìc erit eandem enodatam audire. Ad illam ergò respondet Azorius, ut sequitur.

(a) *Jo. Azor. Inst. Moral. p. 2. l. 7. cap. 4. fol. 495.*

12. *In Tridentinâ Synodo intèr Theologos, & Juris Pontificii Doctores fuit hæc controversia diu, multumque agitata. Duæ olim fuerunt sententiæ ante Concilium Tridentinum, quarum prima negabat: fuitque Ambrosii Catharini in opusculo de residentiâ, & Albiniani in tractatu de residentiâ: hisceque isti Auctores rationibus permovebantur. Primum quià Diœceses, & parochiæ non sunt à Christo Domino erectæ, constitutæ, & divisæ, sed solum ab Ecclesiâ, & Pontificibus Romanis. Deindè quià nullum extat in sacris literis divinum jussum, quo præcipiatur Episcopis, & parochis, ut suis Ecclesiis per se ipsos inserviant, sed tantum, ut commissum sibi populum pascant: at pascere, vel per se ipsos, vel per alios commodè possunt. Itèm si tale quippiam à Christo Domino esset mandatum, non posset Romanus Pontifex, ejus laxato rigore, facultatem concedere, ut Episcopi, & parochi ab Ecclesiis absint: at multæ sunt causæ, ob quas Papa, Episcopos, & parochos hac lege solvit. Quid item impedit quominùs Episcopi, & parochi absentes, per Vicarios, in sui locum suffectos, Ecclesiis inserviant? Nàm sæpè contingit, ut Diœcesis sit amplissima, itaut ab uno pastore gubernari, & regi commodè nequeat. Postremò alicubi est usu receptum, ut Episcopus habeat aliquas suæ ditioni, & curæ subjectas parochiales Ecclesias, quæ sunt ipsius mensæ perpetuò conjunctæ, quibusque proptereà servit per Vicarios perpetuos, vel etiam ad nutum revocabiles in ipsis parochialibus Ecclesiis constitutos.* Hæ sunt rationes, & quidem non levis momenti, suadentes, quod onus residentiæ personalis apud proprias Ecclesias insit quidèm Episcopis, & parochis, sed non ex jure divino.

13. Sequitur Azorius. *Secunda sententia affirmat Episcopos, & parochos in suis Ecclesiis jure divino ad residendum compelli. Ità Cajetanus 2. 2. quæst. 185. art. 5. Sotus lib. de Justitiâ 1. par. quæst. 3. art. 1. Covarr. lib. 3. Variarum resol. cap. 13. & Navar. in Manuali cap. 25. num. 121. Atque hæc sententia vera, & certa mihi videtur. Et id dicendum omninò est, quod habet Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reformat. ubi sic legimus: Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, prò his sacrificium offerre, & reliqua. Et posteà subiicit idem Concilium: Quæ omnia nequaquàm ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Sciendum verò est, in hac quæstione, Juris Divini appellatione, ut docet Sot. loc. cit. intelligi id, quod licèt in sacris literis expressim constitutum non sit; necessariò tamen, & evidentèr colligitur ex his, quæ sacræ literæ tradiderunt. Quarè in eo tota hæc controversia sita est, an eo ipso quo Episcopi, & parochi Ecclesiarum pastores creati sunt, in suis Ecclesiis perpetuò commorari, & adesse cogantur? Itèm, an ex illo Christi Domini mandato, quo dictum est Petro: Pasce oves meas, & agnos meos, & in Petro dictum est omnibus Ecclesiarum pastoribus: necessariò, & apertè concludatur, eos in suis Ecclesiis præsentes esse debere.*

14. Ad utramque difficultatem affirmativè respondet hic Auctor subdens: *profectò ità concludi videtur. In pastore enim propria cura, labor, opera, & industria personæ requiritur: pastor enim suas oves cognoscit, & deducit ad pascua, & ipsæ oves sui pastoris vocem audiunt. Pastor itidem præire debet gregem suum, pecoris sui vultum agnoscere, oves suas nominatìm vocare, invisere, aspicere. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ,*

vides lupum venientem, & dimittis oves, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oves. Nec paſtoris tantum eſt ſacrificia prò ovibus offerre, divinum verbum annunciare, Sacramenta conferre: quæ fortaſſis omnia poſſet per alium præſtare: ſed gregi ſuo invigilare, aſſiſtere, oves etiàm inviſere, earum vultum agnoſcere, eas nominatim vocare, eas ſuâ præſentiâ conſolari bonorum operum, vitæque exemplo, ad virtutis officium promovere: quod infirmum eſt, conſolidare (ut Dominus dixit apud Ezechielem) quod confractum eſt, alligare, & quod abjectum, reducere, & quod perierat, requirere: quæ munera, & officia præſtari per alium commodè nequeunt. Inſtituitur miles, ut per ſe militet, perſonæ enim induſtria quæritur. Inſtituitur navis gubernator, gregis paſtor, domus janitor, quià in his perſonæ fides, curę, diligentia, auctoritas exigitur rectè Salomon: diligentèr, inquit, agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Optimæ rationes, & motiva iſta ſunt, ſuadentia, quod onus ſervitii perſonalis, & reſidentiæ in Epiſcopo, & parocho ſit de jure divino. Veruntamèn adhærentes opinioni contrarię habent ſua reſponſa, quæ his præbeant: & onus ipſum ad ſolum jus canonicum referre pro viribus connituntur.

15. Aliis deindè rationibus, & motivis coadiuvat doctrinam ſuam Azorius immediatè ſubjungens: *Liber quoque Eccleſiaſtici: pecora tibi ſunt? attende illis: & vulgò proverbio dicitur: Oculus Domini impinguat equum. Itèm Epiſcopis, dicit Apoſtolus. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei: In vobis, inquit, ideſt, qui inter vos eſt. Undè conſequens eſt, ut conſuetudine fieri non poſſit, ut Beneficiarius propriè, & ſtrictè curam habens, abſit à ſuâ Eccleſiâ, & nihilominùs lucrifaciat fructus ſui beneficii. Hoſtien. Panormit. & alii in cap. cum omnes de conſtitut. Cajet in ſumm. Verbo Beneficium Eccleſiaſticum. Et id ratione convincitur, quià conſuetudo, quæ eſt contrà jus divinum, vel naturale, eſt corruptela, & eo eſt gravius peccatum, quo diuturnior. Hinc autem non continuò fit, ut rectè docet Sot. lib. 10. de Juſt. q. 3. ar. 4. ut Papa non poſſit juſtis ex cauſis poteſtatem facere Epiſcopo, & parocho, ut à ſuâ abſint Eccleſiâ. Nàm juris divini eſt, ut votum, vel promiſſum exolvas, jusjurandum ſerves; depoſitum reddas: & tamèn in his poteſt Romanus Pontifex certis ex cauſis aliquos hoc jure ſolvere. Paulus Apoſtolus Timotheum certæ Eccleſiæ Epiſcopum à ſe delectum, & creatum, communis boni cauſa, ad alias interdùm mittebat Eccleſias: hoc enim recta ratio, & ordo charitatis expoſcit, ut communis ſalus privatæ præferatur. Et cum ambigitur, potiornè ſit boni communis ratio, an privati, tùnc ad Romanum Pontificem pertinet, quod dubium eſt declarare, & in causâ alioqui dubiâ, & controverſâ, commune bonum privato anteferre.* Hæc Azorius, qui firmatâ hiſce rationibus opinione ſuâ, tranſit ad videndum: quid ſentire oporteat de diſpenſatione, quam ſuper Antiſtitum, & parochorum reſidentiâ poteſt Summus Pontifex interponere.

16. Sibi ergò Auctor iſte obiicit, addens. *Dicet, ſi juris divini eſt, ut Epiſcopi, & parochi ſuis Eccleſiis per ſe ipſos inſerviant; ergò, cum Papa facultatem concedit, ut abſint ab Eccleſiis; juris rigorem non relaxat, ſed declarat, ac proindè nulla eſt in hac parte indulgentia, quæ vulgò dicitur diſpenſatio Pontificis, ſed juris tantùm interpretatio. Reſpondeo, in hoc totam eſſe inter nos, & primæ ſententiæ Auctores, controverſiam. Illi enim tantùm juris Canonici eſſe contendunt, ut parochi, & Epiſcopi per ſeipſi in Eccleſiis inſerviant, ex quâ rè duo deindè colligunt: unum; poſſe Papam ſuo nutu juris Canonici rigorem remittere: alterum; facultatem alicui Epiſcopo, vel parocho, Papæ auctoritate abſque juſtâ, & debitâ causâ conceſſam, ne in ſuâ Eccleſiâ commoretur, ratam, & firmam eſſe, quamvis in dando Papa peccaverit. Nos verò longè aliâ duo volumus. Alterum, non poſſe Papam ſuo arbitratu hujus legis rigorem, gratiâ alicujus laxare: poſſe tamèn juſtis de cauſis, his videlicèt, quas recta ratio, & lex charitatis præſcripſerit, hunc, vel illum hàc lege ſolvere,*

vere. Alterum, si absque justis causis hanc legem gratiâ alicujus laxaverit, non solùm peccare, sed indulgentiam, & facultatem contrà jus factam, nullius momenti esse secundum conscientiam; tametsi in foro judiciali vim habeat; quià sine justis causis jus divinum, Papæ auctoritate solvi, & laxari non potest; quemadmodùm dici solet de voti, & de jurisjurandi vinculo, ut est communis omnium opinio, quam habet Sotus lib. 10. de Justit. q. 3. ar. 4. Justis tamèn de causis laxari potest hoc jus divinum, & dispensari per materiæ mutationem, ut in votis, & juramentis fit (a).

17. Flectit demùm iter Azorius ad quæstionem, quæ sequitur, dicens: *Secundo quæritur, an omnes Beneficiarii, qui curam animarum exteriorem habent dumtaxat, quà nimirùm possunt visitare, corrigere, excommunicare, suspendere, interdicere, quæ cura dicitur jurisdictionis, citrà administrationem Sacramentorum, juxtà id, quod habetur in cap. Dudùm 2. de electione, jure divino debeant in suis Ecclesiis residere. Meo judicio, eo ipso, quo est illis commissa, & tradita cura Ecclesiarum, coguntur in eis præsentes adesse, sicut Gubernator navis in navi, & Dux belli in bello, & Præses, sive Præfectus provinciæ, vel domus, in provinciâ, vel domo, undè ratione muneris, & officii sui residere debent; ac proindè jure naturali, quod ipsa officii ratio præscribit. Si roges, an decreto Concilii Tridentini sess. 23. cap. 1. cogantur ii, qui talem curam Jurisdictionis habent in suis Ecclesiis residere non videntur, in illo decreto comprehendi: quoniàm in eo decreto, & sess. 6. cap. 1. ait, hoc jus etiam Angelicis humeris esse formidandum, & mandat, ut pastores attendant, vigilent, assistant, pascant Sacramentorum administratione, verbi divini prædicatione, & bonorum operum exemplo: & ne per tempus Adventus, Quadragesimæ, & certarum quarundam aliarum celebritatum solemnium, absint. Itèm quià sess. 23. cap. 1. pœnam diversam irrogat Beneficiariis curam animarum habentibus, ab ea, quam constituit sess. 24. cap. 12. Archidiaconis, & aliis dignitatibus jurisdictionem habentibus. Quicquid sit de Concilio, saltèm in Constitutione Pii quarti editâ de residentiâ Pastorum comprehenduntur* (b).

18. Itàque non desunt Doctores, qui opinantur, quod onus residentiæ ab Episcopis, & curatis debitum, non sit de jure divino, prout sentiunt Ambrosius Catharinus (c), Phlippus Maria Campegius (d), Andreas Gerunda (e), Alphonsus Salmeronius, & alii. Nihilominus communis Theologorum sententia sentit oppositum (f). Rebusque ità se habentibus, videtur posse dici, quod animarum rectores teneantur ad suas Ecclesias per sè moderandas, & populos sibi commissos personalitèr pascendos de jure divino, non quidèm rigorosè, & strictè sumpto, sed lato modo tantùm, & analogicè accepto (g), in quo sensu intelligendi erunt Doctores, quos in margine citamus (h), cum pluribus aliis debitum præfatæ residentiæ dicentibus esse de jure divino. Veruntamèn est notabile, quod acritèr disputatâ præsenti quæstione in Concilio Tridentino, Theologi, & Canonistæ ibidem existentes non parum intèr sè colluctarunt, doctrinis, & rationibus, utrimque fusè allegatis. Quarè Concilium super hac rè suum edidit sub hac formâ decretum: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia recumbere: quæ omnia nequaquàm ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistant &c.* (l). Super hoc verbo *assistant*, notat. Card. Pallavicinus in historiâ Concilii fuisse *longo contrasto, parendo à suoi contradittori, ch' ella quivi importasse personal residenza imposta da Dio* (l). Contradixit quoque fortitèr ipsi decreto inter alios Campegius Episcopus Feltrensis (m), acerrimus defensor exclusionis juris divini à debito residentiæ. Nèc hanc esse de jure divi-

(a) Azor. loc. cit. p. 2. l. 7. c. 4. f. 495.

(b) Idem Azor. loc. cit. p. 2. l. 7. c. 4. qu. 2. f. 496.

(c) Catharin. in qu. de resid. Episcop.

(d) Campegius de resid. pastorum.

(e) Gerunda de Epis. l. 2. disp. 1. c. 4. n. 12.

(f) Diana p. 10. tr. 14. res. 66. vel 68. & in coord. tom. 3. tr. 3. res. 70. n. 2.

(g) Corduba lib. 1. quæstionar. qu. 19. Vid. infr. in hoc tomo cap. 23. num. 10.

(h) Cajet. 2. 2. quest. 185. art. 5. Soto de just. l. 1. qu. 3. art. 1. Regin. l. 30. tr. 3. n. 52. Bonac. tom. 1. de oner. benef. disp. 5. pun. 3. n. 2. Barbos. de offic. Episc. p. 3. alleg. 53. n. 2. & in Con. Trid. sess. 23. c. 1. n. 3. & alii hic inf. cap. 23. n. 19. & 20.

(l) Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.

(l) Pallav. Istor. Concil. lib. 21. cap. 12. n. 5.

(m) Pallavic. loc. cit. num. 9.

divino definivit Concilium, ut advertit idem Cardinalis in refutatione Pauli Suavis, dicens: *Come poteva ſtenderſi la diffinitione più innanzi, quanto è alla ragion divina, quando il Soave medeſimo altrove ha detto in queſta materia: L' autorità delle Scritture, e de Padri ſono eſortazioni alla perfezione, e non v' è di ſodo ſe non i canoni, che ſono leggi eccleſiaſtiche* (*a*).

(a) *Idem Pallavic. lib.21.cap.13.n.18.*

19. Igitur mens Concilii non fuit agendi *la diffinizione d' un articolo di ſpecolativa, il qual nulla nuoce, che rimanga frà l' incertezza d'opinioni, come tant' altri; Mà che ſi toglieſſe il reo, e nocevoliſſimo uſo di non riſedere* (*b*). Dixit proindè eſſe de præcepto divino in ſito cunctis, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam gerere &c. Quæ omnia licèt impleri non poſſint ab eis, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt; hi tamen aſſiſtere ſatis, & invigilare illis poſſent per electos, & idoneos Vicarios, niſi leges canonicæ perſonale opus ab eiſdem exigerent. At quo, reſidentia curatotum ſtrictè ſumpta, & ut ſic ſit de jure divino; Concilium ſiluit: Sciebant Patres ejuſdem Synodi utrumque textum Divi Pauli, poſitum in Objectione ſuperiùs allegatâ: Illorumque verborum vim egregiè intelligebant, & penetrabant. Verùm his non obſtantibus, noluerunt definire, eſſe de præcepto divino, propriè, ac formaliter ſumpto, onus reſidendi perſonaliter, quod per alium fieri non poteſt, ſicut eſt onus paſcendi ſubiectas oves, quod etiàm per alium poteſt compleri. Neuter igitur iſtorum textuum probat, reſidentiæ debitum in Beneficiariis curatis eſſe de jure divino, ſtricto, & formali. Multò minùs verò id probat pro aliis Beneficiariis: & prò merè ſimplicibus nihil probat.

(b) *Card. Pallav. hiſt. del Concil. lib 21. c. 13. n. 28 poſt med.*

20. Idem ſentiendum eſt de aliis textibus Scripturalibus, quicumque, & quanticumque in medium proferantur: hi non niſi de jure divino intelligendi ſunt, lato modo, reductivè, & analogicè ſumpto, non verò propriè, & ſtrictè: neque verificantur de beneficiis merè ſimplicibus, ſed ad ſummum de Epiſcopalibus, & curatis tantùm, quod onus reſidentiæ perſonalis involvant de præfato jure divino: Quippè nec etiam Beneficiarii reſidentales à curatis diſtincti, prout ſunt Canonici, Manſionarii, Dignitates chorales, & alii ſimiles alioquin reſidentiæ debito adſtricti; hi, inquam, non tenentur ad reſidentiam, & ad perſonale ſervitium, de jure divino, ſed ſolùm de jure Eccleſiaſtico poſitivo: quâ dè rè idem Azorius: *Si iterùm quæras quo jure Canonici, Portionarii, & alii Beneficiarii, nullam curam animarum habentes, reſidere in ſuis Eccleſiis cogantur? Reſpondeo; quicquid ſit de jure divino; debent jure canonico reſidere: ut conſtat ex multis Eccleſiæ decretis in toto titulo, de Cler. non reſid., & ratio naturalis non nihil id ſuadet. Nàm beneficium datur propter officium, ſaltèm ſi Eccleſia miniſterio, & operâ, & induſtriâ, ac diligentiâ indiget Beneficiarii; ratio naturalis præcipit, ut Beneficiarius reſideat, & in Eccleſiâ inſerviat* (*c*).

(c) *Azorius Inſt. moral. par. 2. l. 7. c. 4. §. Si iterùm.*

21. Si igitur neque Epiſcopi, neque curati, populorum rectores, tenentur ad reſidentiam perſonalem, & perſonale ſervitium ex ſe ipſis de jure divino, præciſo, & formali, ſed tantummodò analogico, & lato modo: adeòque nervus eorum obligationis potiſſimè refunditur in jus poſitivum eccleſiaſticum; Et multò fortiùs ad eandem reſidentiam, & perſonale ſervitium non tenentur itidem de jure divino, ſed ſolùm de poſitivo Canonici, Manſionarii, Dignitates, & Capellani chorales, tametſi alioquin reſidentiales, & particularitèr deputati ad officia ſacra in Eccleſiis peculiaribus perſolvenda; certè in terminis efficacioribus verum erit, quod Beneficiarii merè ſimplices ad onus reſidentiæ, & perſonalis ſervitii non tenentur de jure divino, impendendi Eccleſiis, in quibus propria poſſident beneficia. Et ideò textus Scripturales in Obje-

Objectione allegati nec quidquam præficiunt causæ Contradictorum, nec quidquam officiunt immunitati, qua perfruuntur illi, qui beneficia merè simplicia possident ab onere servitii personalis, & residentiæ agendæ apud Ecclesias suorum beneficiorum.

CAPUT XXII.

In quo diluitur SECUNDA OBJECTIO, *petita ex primâ Epistolâ B. Pauli Apostoli ad Corinthios, & ex secundâ ad Thessalonicenses adversus immunitatem Beneficiariorum merè simplicium ab onere Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 Secunda Objectio *deducitur ex Apostolo dicente: qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: Et qui non vult operari, non manducet.*

2 *Præcepta juris divini non sunt fundanda in verbis Scripturæ transpositè lectis, sed directè. Scriptura admittit figuram Anastrophe, quæ coincidit cum Hysterologiâ.*

3 *Argumentum à contrario sensu non habet locum in Sacrâ Scripturâ ad formandas propositiones de jure divino. Locum tamen habet in jure interdùm, & quandò.*

4 *Concilium Coloniense de jure divino esse dicit, ut qui altari servit, de altari vivat. Contrarium tamèn non vocat de jure divino, sed de bono jure.*

5 *Uterque textus Apostoli vel nihil habet commune cum beneficiis, vel ad summum percutit sola beneficia residentialia, quorum aliqua dicuntur simplicia.*

6 *Negatur suppositum, quod Beneficiarii merè simplices non laborent in Ecclesiâ Dei: laborant enim optimè, prout debent: Beneficia sunt de jure humano.*

7 *Prætèr officium, potest Beneficiarius habere alia onera, à beneficii fundatore statuta, qui tamen, nisi aliud obest; possunt à Beneficiario per alium adimpleri.*

8 *In concernentibus forum externum magis attendendi sunt Canonistæ, quàm Theologi: Doctorum assertiones tantùm valent, quantùm auctoritates, quas allegant.*

9 *D. Genettus loquitur de generibus singulorum, non de singulis generum: Nàm aliqua beneficia, prætèr onus recitandi officium, aliis oneribus adstringuntur.*

10 *Si quis multa narraret ad milites spectantia, benè diceret genericè loquendo, sed illa non ad cunctos specificè, atque individuè milites pertinerent.*

11 *Factâ collatione Doctrinæ D. Genetti, liquet, quod per illam nihil de beneficiis merè simplicibus definivit: sed quod hæc solius divini officii onus habent.*

12 *Auctor præfatus non utitur particula* &, *quæ est conjunctiva, sed* vel, *quæ est*

eſt disjunctiva, & significat merè simplicia beneficia ſolum onus divini officii habere.

13 *Per jura eſt ſatis proviſum, quod, qui non laborat, non manducet. Beneficiarii simplices, si officium divinum non recitant, reſtituere tenentur fructus beneficii.*

14 *D. Genettus allegat Canonem, qui vel non percutit beneficia merè ſimplicia, vel ſi ea percutit, retorquetur adverſus Contradictores, & quarè.*

15 *Iiſdem reſponſionibus diſſolvitur doctrina P. Natalis ab Alexandro, cujus verba non de Beneficiariis merè ſimplicibus, ſed de reſidentialibus loquuntur.*

16 *Ex contextu deprehenditur, quod hic Auctor non loquitur de beneficiis merè ſimplicibus. Concilia Provincialia extrà propriam provinciam non obligant.*

17 *Inhibitum eſt Epiſcopo novum onus beneficiis ſimplicibus apponere, prætèr debitum officii divini: ſuper quâ rè Congregatio Concilii obſtitit S. Carolo.*

18 *Et quamvis Beneficiariis ſimplicibus aliquod onus poſſet apponi; adhùc poſſeſſores eorum non urgerentur ad reſidentiam; cum poſſint per alios illis oneribus ſatisfacere.*

19 *P. Natalis admittit darì caſus, in quo uni Clerico poſſunt plura beneficia conferri; quo poſito excluditur onus reſidentiæ à Beneficiariis merè ſimplicibus.*

20 *Inquirens P. Natalis, quenam ſint beneficia reſidentiam exigentia, inter illa non enumerat beneficia merè ſimplicia.*

1. OBIICIUNT *ſecundo loco* Contradictores ex textu Apoſtoli ad Corinthios, ſcribentis: *qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant* (*a*). Quæ verba in contrario ſenſu allegantur, tùm à P. Natali ab Alexandro (*b*): tùm à Reverendiſs. D. Franciſco Genetto (*c*), ad probandum debitum, quo Beneficiarii merè ſimplices adſtringuntur operandi perſonalitèr in ſacrario. Et Concilium quoque Colonienſe in eodem ſenſu verba ipſa pertrahit ad præfati oneris debitum comprobandum (*d*). Itèm ex textu ejuſdem Apoſtoli ad Theſſalonicenſes dicentis, *ſi quis non vult operari; non manducet* (*e*). Quibus paritèr verbis idem Genettus utitur ad oſtendendum præfatum onus ſimplicibus Beneficiariis ineſſe, & quidèm *jure divino*; ſed Beneficiarii ſimplices, non reſidendo, & non miniſtrando apud ſuas Eccleſias, non operantur in ſacrario, nec operari volunt, contrà viſionem utriuſque textus, adeòque juris divini; ergò nec etiam beneficia poſſidere debent. Et ideò oportet, quod, vel beneficia non retineant, vel apud illa, jure divino ſic exigente, reſideant.

(a) 1. *Corinth. c. 9. num. 13.*
(b) *Natal. ab Alex. Theol. l. 2. c. 6.*
(c) *Franc. Genet. Theol. to. 2. tr. 1. de benef. c. 1.*
(d) *Conc. Colon. an. 1549. tit. 9. c. 3.*
(e) 2 *Theſſal. cap. 3. num. 10.*

2. Reſpondetur *primò*, præſertìm reſpectu primi textus epiſtolæ ad Corinthios, præcepta, juris divini non eſſe fundanda in verbis Sacræ Scripturæ, indirectè, retrogradè, tranſpoſito, ac inverſo ordine lectis: ſed in ejus verbis directè, naturalitèr, obviè, ac recto ordine ponderatis. Quamquàm etenim Biblici libri, interdùm figuratè loquantur, & inter alias tropicas locutiones, etiam figuram dictam Anaſtrophe admittant, quæ eſt inverſio ſententiarum, ſive illarum poſitio ordine converſo (*f*), & cum Hyſterologiâ coincidit, quæ eſt figura, ſivè locutio enarrans poſteriori loco id, quod priori debuerat enuntiari (*g*): ſeu eſt ſententia ordine debito commutata, ut eam vocat S. Iſidorus in libro Originum (*h*); Tamèn quià ubi periodus præpoſterationem, ſivè inverſionem illam naturalitèr non expoſcit, retorſio, & alteratio verſiculorum non eſt aliud, quàm illorum perverſio, & ultrà, vel contrà germanum eorum ſenſum pertractio;

(f) *Santes Pagnin. Iſagog. ad Sacr. Literas c. 26. ſ. 18.*
(g) *Du Mortier. Etymol. Sacr. Græco-lat. V. Hyſterologia.*
(h) *S. Iſidor. Orig. lib. 2. c. 36.*

ctio; ideò nec potest, nec debet super transpositis, & retrogradis, atque alteratis Scripturę lectionibus vis alicujus argumenti fundari. Alioquin si hujusmodi modus arguendi valeret, plurima traherentur, & subjugarentur legi præcepti divini, propter periodos retortè, sivè alteratè consertas, quæ neque à Spiritu Sancto dictante, neque à Prophetâ, vel Apostolo, sivè Scriptore calamum regente, fuerunt unquàm intenta. Verùm est, quod argumentum sumptum à contrario sensu, locum habet in jure (*a*); Ast in Sacrâ Scripturâ, præsertìm ad efformandas propositiones de jure divino, locum æquè non habet, nisi alia concurrant, quæ illi vim superaddant. Imò & nec etiam in jure semper prævalet argumentum à contrario sensu propter multas restrictiones, quas patitur hæc conclusio, apud Auctores videndas. Et signantèr non est validum argumentum à contrario sensu, in rebus odiosis, uti est in casu nostro (*b*). Neque in materiâ stricti juris, & pœnali, uti paritèr est nostra (*c*). Neque tandem quando contrarium est in jure expressum (*d*), uti contingit in beneficiis merè simplicibus, quæ jàm centies est definitum onus residentiæ personalis nullatenùs postulare (*e*). Et sicuti ex dictis Doctorum nequit sumi argumentum à contrario sensu (*f*); ità non de facili sumi debet ex textibus, nisi aliud inversionem illam sustineat. Ideòque quidquid colligant alii ab inversâ, & alteratâ significatione verborum illorum; *qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt &c.* Certè ex illis obruè, naturalitèr, & prout scripta sunt, ponderatis; nihil omninò rationabilitèr deducitur, quod immunitati præjudicet Beneficiariorum merè simplicium ab onere personalis servitii, & residentiæ faciendæ apud Ecclesias, & altaria, in quibus eorum erecta sunt beneficia.

(a) *Cap. qualis. dist. 25. cap quamquam, & ibi DD. de Consil. 6. cap. cum Apostolica de iis, quæ fiunt à Prel. Barbos. tr. var. loc. 27. num. 1. cum aliis mult.*

(b) *Tuellench. in præcep. decal. l. 2. c. 2. dub. 3. n. 4. Barbos. ibi num 43.*

(c) *Jo. Grivel. Dolana dec. 143. n. 10. Seraph decis 1466. n. 3.*

(d) *Cap. à nobis 2. de sent. excõ. Menoch. de præs l. 3. præs 93. num. 3. & l. 4 præs 83 num 55. Sanch. de Matrim l. 6 disp. 21. n. 9.*

(e) *Sac. Congr. pluries apud Barbos Sum. dec. Apost. collect 64. num. 5. 6. &c.*

(f) *De Luca de Jurisd. disc. 72. n. 11. & de fideicom. disc. 148. num. 5.*

4. Et quod res ità se habeat, convincitur ex ipsâ inductione Concilii Coloniensis, in oppositum allegati, quod ità effatur: *Sancimus ut beneficiatus quisque, si beneficia habeat à curis libera, aut unum curatum, & aliud simplex satisfaciat officio, cujus gratia beneficium accepit, secundum intentionem fundatoris, sacros Canones, & Patrum decreta: & ab Ecclesiâ, ubi beneficium negligit, non participet: etenim divini juris est, ut qui servit altari, de altari vivat, nec bono jure is, qui non servit altari, vivit de altari: sicut stipendium non debetur nisi militante* (*g*). Vide quod Concilium dicit quidem esse de jure divino, ut qui altari servit, de altari vivat: verum id, quod contrarium est huic propositioni, non vocat de jure divino, sed de *bono jure*: idest de æquitate, & de jure positivo respectu ad beneficia residentialia: quæ dicta sint solummodò ad ostendendum, ex præfato Apostoli textu nullatenùs probari, quod Beneficiariis merè simplicibus insit onus personalis residentiæ: cum aliàs quantum ad Concilium Coloniense suprà ostenderimus, illud nedùm non obesse, verùm imò favere exemptioni præfatorum Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ (*h*).

(g) *Conc. Colon. an. 1549. tit 9. c. 3. de 3. medio n. 22.*

(h) *Vid. hic suprà n. 11 num. 25 &c.*

5. Respondetur *secundò* utrumque textum in Objectione allegatum, vel rè verâ nihil commune habere cum Beneficiariis, & beneficiis: vel si quidquam ad ea significanda prævalere posse consentiendum est, per figuram Synchoresis, sive concessionis; intelligendum non esse nisi de Beneficiariis curatis, & choralibus, sive aliâ ratione residentialibus, quatenùs electa est, industria illorum, ut in sacrario operentur, & ibi personalitèr administrent. Certè isti si actualitèr non resideant; in sacrario eis assignato non operantur: operarique nolunt, & consequentèr, quæ altaris ibi sunt, manducare non debent, nec edere quæ sunt de illo sacrario. At hæc locutio non est extendenda ad Beneficiarios merè simplices, & ad eorum residentiam personalem: quià hi personalitèr operare non debent in sacrario illo, in quo eorum erecta sunt beneficia: nèc est electa industria personæ ipsorum, ut in loco beneficii, per se ipsos ecclesiastica compleant ministeria. Sufficit ergò quod alicubi Deo serviant, vitam Clericalem ducendo, & horas Canonicas persolvendo: altari verò, ubi eorum erectum est bene-

nefi-

neficium, deſerviant adimplendo onera, ſi quæ ſunt, vel per ſe, vel per ſubſtitutum. Nèc alio modo præfatam Apoſtoli juſſionem intellexit Concilium Colonienſe, in oppoſitum allegatum, quod alioquin, ubi nominat *beneficium ſimplex* dici poſſet, non ſignificare beneficia merè ſimplicia, de quibus nos agimus, ſed beneficia choralia, ſive aliàs reſidentialia, ut ſunt Canonicatus, Manſionariæ, Præpoſituræ, & alia ſimilia, à beneficiis curatis diſtincta, quatenùs illa quoque vocantur aliquandò beneficia ſimplicia (*a*); ſed non ſunt merè ſimplicia. Tamen admittamus cum Claudio de la Place, Concilium ipſum de iiſdem beneficiis merè ſimplicibus ſanctionem ſuam protuliſſe (*b*); Verùm ſi ſerio attendantur ejus verba, inveniemus, quod textum Apoſtoli adhibuit quidèm ad ſignificandum, quod Beneficiarii merè ſimplices tenentur ſatisfacere oneribus eorum beneficio connexis, ſed non tenentur ea per ſe ipſos propriè obire, ſeu inibi perſonalitèr reſidere, cum illa valeant, etiàm per ſubſtitutum adimplere.

(a) *Reginaldo l.19. cap.ult.ſect.264.n.82. Filliuc. to.2.tr.41.c.1. num 6.*
(b) *De la Place c.3. § 4.argum 1.*

6. Reſpondetur *tertiò* negando ſuppoſitum, nimirùm quod Beneficiarii merè ſimplices non laborent in Eccleſiâ Dei: non operentur in Sacrario: & non altari deſerviant, ideòque reditus beneficiorum licitè non percipiant: quos proindè, ſi percipere volunt, debeant quoque perſonalitèr reſidere, & per ſe ipſos actualiter in ſacrario miniſtrare. Negatur, inquam, hoc ſuppoſitum, quod non laborent, non operentur, non deſerviant: optimè ſiquidèm laborant, operantur, & deſerviunt, non quidèm ut animalia, & jumenta, neque ut ruricolæ, & agaſones, ſed ut debent Clerici laborare, operari, & deſervire. Jàm de hac rè ſuprà locuti ſumus, & infrà iterùm eloquemur (*c*). Nùnc dicimus, quod labor à Clericis debitus ratione beneficii Eccleſiaſtici, per eos poſſeſſi, eſt ſequela ipſius beneficii, & conſequentèr eſt illius naturæ, cujus ſequela eſt. Sed beneficia Eccleſiaſtica, tùm ſecundum Theologos (*d*), tùm ſecundum Canoniſtas, ſunt de jure humano (*e*); ergò etiàm labor à Clericis debitus ratione beneficiorum, eſt de jure humano. Jus autem humanum diſponit, quod beneficium datur propter officium (*f*): Verùm hujuſmodi officium conſiſtit in divinis laudibus perſolvendis, prout ſentiunt communitèr Doctores (*g*): loquendo tamen de beneficio ut ſic, ac ſtrictè ſumpto, per quod ſolum beneficium merè ſimplex ſignificatur (*h*). Si verò ſit ſermo de beneficiis Curatis, Epiſcopalibus, Choralibus &c. certè illorum officium in ſolâ recitatione privatâ divinarum laudium non conſiſtit, ſed in aliis quoque muneribus, ad Epiſcopale, parochiale, chorale &c. officium pertinentibus.

(c) *Vid. hic supr. cap.20.n.7. & c.40 infrà c.39.*
(d) *Reginald.lib 19. ca ult ſect 2 § 1.n.75. Azor.inſt m r.p.2.l 9. cap.1.qu 1.*
(e) *Loter. de rè beneſ. l.1. qu.4.Barboſ. jur.Eccl univ. l.3 c.4. num 7.*
(f) *Cap. quia per ambitioſam 15. de reſcript.in 6.Monet. de diſtrib quotid p.2.q.2. nu.40. Barboſ. tr.var. Axiom.36. n.7. cum aliis ibi.*
(g) *Garc. de beneſ. par.1.c.2.n.60.& p.7. cap.11.n.1.Gonzal. ad reg.8.Canc gloſ.5.n.8. Barboſ.jur.Eccl.univ. lib.3.c.4 n.14.*
(h) *Barboſ. loc.cit. jur Eccl.univ n.83.*
(i) *Molfeſ.ſum tr.6. de beneſ.cap.11.n.19. cum aliis ibi.*
(l) *Cap.prætereà 2. de jurepat.Conc.Trid. ſeſ.25.c.5.de reform. Sanchez Conſil. mor. lib.7.c.1.dub.48.n 1.*
(m) *Roch.de Curt.de jurepat. Verb. pro eo quod n.25.Lambertin. de jurepatr. lib 1. p.1. qu.9 n 49.Gutier. c.5. 1 n.1 Sanch.loc cit.*
(n) *Sac.Congr apud Barboſ.Sum. Apoſtol. Dec.Collec.121. n.11. 12. 13. Sanch. Conſ. Moral.l 7.c.2.dub.48. per totum.*

7. Itàque ſi beneficia merè ſimplicia dantur propter officium, & eorum officium in divinæ pſalmodiæ recitatione conſiſtit; quoties Beneficiarii merè ſimplices recitant horas Canonicas, proculdubiò in Eccleſiâ Dei laborant, & laborantèr modo, quo de univerſali totius Chriſtianitatis ſtylo præſcriptum eſt, à Beneficiariis mere ſimplicibus laborare debere: nèc alius labor præter iſtum, injunctus eſt illis de jure: De conſuetudine tamen, vel ex diſpoſitione manifeſtâ fundatoris alia inſuper onera eidem ineſſe poſſunt uti reſidentiæ perſonalis (*i*), vel tot miſſas, aut feſta celebrandi, ſeu eleemoſynas tali die diſtribuendi: Litanias canendi, roſarium recitandi, aliudve opus, aut miniſterium Eccleſiaſticum exercendi: quatenùs fundator beneficii poteſt apponere tempore fundationis quæcumque pacta, & conditiones voluerit (*l*), dummodò Epiſcopi aſſenſus accedat, & conditiones honeſtæ ſint, ac rationabiles, atque ſpiritualia concernant (*m*). Sed tùnc hæc onera non ſunt de jure: & quatenùs hæc adſint, niſi expreſsè imponantur perſonæ individuæ Clerici beneficium poſſidentis; non ſunt perſonalia, ſed liberè valent per alium adimpleri (*n*); quarè ſemper verum reſtat, quod officium Beneficiariis merè ſimplicibus injunctum, quantum eſt in ſè, in ſolâ ſacræ Pſalmodiæ recitatione conſiſtit, quam quoties Clericus adimplet, ſatis benè in ſacrario laborat, operatur, & ſervit: laborat in Eccleſiâ Dei, quantum, & qualitèr tenetur, ac per conſequentèr debet,

quæ

quæ de sacrario sunt manducare, tametsi in loco, ubi erectum est beneficium, non resideat, nec aliud præter id, quod dictum est, operetur, quià hoc non ad officium, ex debito, sed ad supererogationem, & ex abundanti noscitur pertinere.

8. Respondetur *quartò* explicando Auctores in oppositum alligatos, & eos retorquendo adversus Contradictores. A quorum Auctorum doctrinâ possemus alioquin nos faciliter expedire, dicendo, quod in materiis ad forum externum pertinentibus; magis deferendum est Canonistis, quàm Theologis, sive Scolasticis, sive Moralibus (*a*). Aut respondendo, quod eorum assertiores vim non habent, nisi quantam eis dant auctoritates per illos allegatę (*b*). Canonistæ autem, uno ore, imò & Scolastici, atque Morales, Theologi, superiùs recensiti, solùm onus divini officii Beneficiariis merè simplicibus inesse consentiunt. Jura quoque idipsum sanciunt, & Concilia, & Decisiones Rotę, ac Decreta Sacræ Congregationis: Quarè his auctoritatibus nudata opinio contradicentium Auctorum parum prævalet. Nihilominùs nos bonore congruo prosequentes tantos viros, exponimus eorum dicta hoc modo; Reverendissimus Dominus Franciscus Genettus Episcopus Vasionensis, dicit; *nomine verò officii, non solùm intelligitur horarum Canonicarum recitatio, quæ vulgò vocari solet officium divinum, juxtà decretum Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio tertio celebrati, verum etiàm intelliguntur cætera munia singulis beneficiis annexa, & prætereà obligatio, quâ bona Ecclesiastica obtinentes tenentur operari juxtà vires, & facultatem, & Ecclesiæ inservire: Iis enim aptè applicari possunt verba S. Pauli, si quis non vult operari, nec manducet, & si qui altari deserviunt, cum altari participant: ità non videtur æquum, ut ii, qui nullum munus obeunt, de altari quicquam recipiant &c.* (*c*).

(a) *De Luca de Usuris disc.36.n.8. de Jurisd. disc.52. nu.8. de Usur. disc.1.n.6. & n.12 & disc 3.n.8.*
(b) *De Luca de Usuris disc.29. n.13. de Jurepatr. disc.19. num.7. de Fideicõmis. disc.96. num.11.*

(c) *Genet. Theol mor. tom.2. tr.3. de benef. cap.3. qu.3. §. deniq.*

9. Profectò quicumque verba ipsa legit, si sanæ mentis est, proculdubiò intelligit, quod D. Genettus hìc eo modo differendi utitur, qui apud Philosophos vocatur, loqui de generibus singulorum, non de singulis generum. Sermonem nàmque habens de beneficiis in totâ illorum latitudine; de ipsis loquitur, ut genericè sumptis, non ut in specie consideratis. Et sic in suo conceptu insimul comprehensis cunctis beneficiorum speciebus, quæ junctim, & collectivè unum genus constant beneficiorum; optimè dixit, quod nomine officii spiritualis, propter quod datur Clericis beneficium, non intelligitur sola Canonicarum horarum recitatio, sed etiam cætera munia singulis beneficiis annexa, & obligatio, quâ Beneficiarii tenentur juxtà vires, & facultatem, debitumque suum Ecclesię deservire: quià cum sub genere beneficiorum multæ sint species eorum, diversas diverso modo habentes obligationes; alii ex Beneficiariis ad onera Episcopalia, alii ad onera parochialia, alii ad canonicalia, & choralia, alii demùm ad alia onera, quę sunt propria suorum beneficiorum, tenentur. Non tamen ideò significare voluit, quod singulæ Beneficiariorum species, cuncta illa onera genericè indicata tenent, sed quod aliquæ ex dictis speciebus unum tenent ex enunciatis oneribus, & aliæ respectivè secumferunt aliud.

10. Eâ formâ, quâ si, de militibus loquendo, quis diceret, officium militis est acies dirigere, stipendia ministrare, arma præparare, foveas, & cuniculos effodere, terram elevare, scbalas muris admovere, ad prælium signa dare, machinas aptare, equos, & eorum ephippia custodire, ac adhibere, bombardas onerare, & explodere, mænia hostium diruere, excubias facere, hastas vibrare, ictus inferre, insidias hostibus tendere, illorum consilia penetrare, ac similia exercere, quę ad milites pertinent; optimè diceret: sed non ideò lector concipere deberet, quod quælibet ex his officiis ad cunctos milites pertineant, cum generatìm, non specificè sint narrata: ideòque sunt singula singulis congruè referenda, itàut ex cunctis hujusmodi oneribus, vel ministeriis militaribus, alia spectent ad duces, alia ad subjectos, alia ad equites, alia ad pedites, alia ad offi-

officiales, alia ad gregarios milites, alia ad effoſſores, & vaſtatores, alia ad bombardarios, & ſic de cæteris. Ità ergò in propoſito, ſi D. Genettus aſſeruit, quod officium Beneficiariorum, genericè ſumptorum, non eſt ſolas horas canonicas recitare, ſed etiam alia onera adimplere, ſuis beneficiis adſcripta, ſapientiſſimè dixit, ſed non per hoc excluſit, quin ſpecificè, & multò magis individuè accepti Beneficiarii merè ſimplices ad ſolas horas canonicas teneantur, niſi aliud onus habeant ſibi à conſuetudine, vel à Fundatore ſuperadditum.

11. Et quod hæc ſit mens D. Genetti, deducitur evidentiſſimè ex illius verbis antecedentibus, & ſubſequentibus. Nàm ſubſequentèr aſſeverat, ſe in illo Tractatu non deſcendere ad beneficia non reſidentialia, tamquàm à reſidentialibus diſtincta (*a*), & per conſequens ea, quæ paulò ſuperiùs dixerat, in oppoſitum allegata, non eſt rationabilitèr credendum intellexiſſe velut propriè, ac ſpecificè dicta de beneficiis merè ſimplicibus, ſed generalitèr, & genericè de cunctis inſimul beneficiis. Paritèr paulò antè, dùm verbis definitionis beneficii exponendis incumberet, dixerat: *Deniquè traduntur hi fructus propter aliquod officium ſpirituale, quià nullum eſt beneficium, quod non obliget ad aliquod munus ſpirituale, & juxtà Concilium Tridentinum* (*b*), *beneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda ſunt conſtituta: nimiràm vel propter miſſam celebrandam, vel ut Verbum Dei prædicetur, vel ut Divinum Officium recitetur, & ſimilia, ut patet ex canone ſignificatum* (*c*), *& ex capite quià per ambitioſam* (*d*), *in quo ſic habetur: officium propter quod beneficium eccleſiaſticum datur* (*e*). Diſtinguit ergò Genettus onera beneficiorum in plures categorias, dicens, quod omnia quidem beneficia, ad cultum Divinum, atque munia eccleſiaſtica obeunda, conſtituta ſunt, ſed quod iſte Divinus cultus, atque eccleſiaſtica munia in hoc conſiſtunt, ut per alios ex Beneficiariis miſſæ celebrentur: per alios Verbum Dei prædicetur: per alios Divinum Officium recitetur.

(a) *Genet Theol mor. to. 2 tr. 1. c. 3. qu. 12. in fin. fol. 19.*

(b) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 3. de ref.*

(c) *Cap ſignificatum de præb.*

(d) *Capit. quià per ambitioſam 15. de reſcr. in 6.*

(e) *Genet. loc. cit. qu. 1. §. deniquè f. 2.*

12. Notando, quod Auctor non utitur particulà *et*, quæ vim habeat conjungendi, copulandi, & omnia in unum coagmentandi (*f*), ità ut ſingula beneficia, cuncta officia, & onera ibi deſcripta, conjuncta habeant; ſed utitur dictione, ſive particulà *vel*, quæ eſt disjunctiva, tùm quoàd verba, tùm quoàd effectum (*g*); & vult ſignificare, quod ex beneficiis eccleſiaſticis, alia disjunctivè ſecumferunt onus Divini Officii recitandi: alia Miſſas celebrandi, alia Verbi Dei prædicandi &c. Si ergò benè perpendatur doctrina D. Genetti, nedùm non favet Contradictoribus, ſed imò contrà illos retorquetur; nàm per Genettum dantur beneficia, quæ nullum aliud onus habent, quam ut per eorum poſſeſſores *Divinum Officium recitetur*: hæc autem ſunt beneficia merè ſimplicia, de quibus nobis in præſentiarum eſt ſermo. Et ità ſi hujuſmodi Auctoris dictatui ſtandum eſt, nullatenùs probatur, quod Beneficiarii merè ſimplices debito ſervitii perſonalis, & reſidentiæ coarctentur, exhibendæ in loco, ubi eorum erecta ſunt beneficia, tamquàm de jure divino: quidquid ſit, an aliæ dentur ſpecies beneficiorum, quæ de jure divino ſecumferant iſtud onus, de quibus hìc non eſt quæſtio.

(f) *Barboſ. tr. var. dict. 110. num. 37. & c. cum aliis ibi.*

(g) *Barboſ. loc. cit. dict. 415. nu. 3. cũ plur. aliis ibi.*

13. Tantò magis, quod jàm per jura ſatis eſt proviſum, ut quoàd ipſa beneficia merè ſimplicia, verificetur doctrina Apoſtoli, & concluſio à præfato Auctore indè deducta, ubi dicit: *iis enim*, nempè Beneficiariis, non exercentibus officium ſpirituale, *applicari poſſunt verba S. Pauli: Si quis non vult operari, nec manducet; & ſi qui altari deſerviunt, cum altari participant: ità non videtur æquum, ut ii, qui nullum munus obeunt de altari, quidquam recipiant* (*h*). Proviſum eſt, inquam, per jura (*i*), & præſertim per conſtitutionem S. Pii Papæ V, ſancientis, ut quicumque Beneficiarius horas canonicas non recitaverit, fructus non faciat ſuos, pro ratione proventuum, reſpondentium de die in diem ipſis horis canonicis intermiſſis; ubi addit immediatè de beneficiis ſimplicibus: De-

(h) *Genet. Theol. mor. to. 2. tr. 3. c. 1. q. 1. §. deniquè in fin.*

(i) *Cap. fin. diſt. 92. Conc. Later. V. ſeſſ. 9. Filliuc. tr. 41. c. 6. n. 18. Navar. in Man. c. 25. num. 122.*

Declarantes, præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia obtinentes, eum prædictis (nempè beneficiis cum curâ, & sine curâ) *pariter conveniri* (a). En ergò verificata, etiam quoàd Beneficiarios merè simplices doctrina Apostoli, & conclusio indè deducta à Genetto, quod Beneficiarii, qui nullum munus obeunt, de altari quidquam non recipiunt: quippè hi de facto non faciunt fructus suos, sed ad eorum restitutionem tenentur. Itàque laborant, satis in Sacrario operantur Beneficiarii merè simplices, dùm tametsi qualibet aliâ peculiari obligatione careant, recitant nihilominùs Divinum Officium. Hoc enim recitando faciunt opus pretio estimabile: opus quod non est exercendum sub pœnâ peccati mortalis à Clericis sine congruenti mercede: opus quod nullus laicus exercendum gratis assumeret: opus tandem, à quo si deficiunt; & culpam mortalem incurrunt, & pœnam subeunt pecuniariam, ob portionem fructuum beneficii, ad quam restituendam tenentur.

14. Accedit onus eleemosynas pauperibus elargiendi, & in pios usus erogandi ipsos fructus beneficiorum, magis, vel minùs, pro quantitate redituum, pro qualitate suæ personæ, & pro egentium locorum, atque temporum conditione (b), quibus eleemosynis, & piis usibus operam dantes, profectò Beneficiarii, & benè laborant, & sanctissimè in sacrario operantur: adeòque digni sunt beneficia ipsa possidere. Omittimus alia onera superiùs indicata, quæ non sunt pauca (c). Demùm attentâ regulâ prænotatâ, quod placita Doctorum, sive illorum assertiones, tantam vim habent, quantam eis tribuunt auctoritates per illos allegatæ (d); observemus, quod D. Genettus allegat *cap. significatum de præbendis*, & ex eo probat inesse Beneficiariis onus exercendi officia spiritualia, uti Missas celebrandi, Verbum Dei prædicandi; & Officium Divinum celebrandi. Sed hoc capitulum vel nihil probat adversus Beneficiarios mere simplices, vel retorquetur adversus Contradictores. Nàm nihil probat adversus Beneficiarios merè simplices, quià loquitur de præbendâ Capitulari, sive residentiali, ex quâ nihil infertur ad beneficia merè simplicia, utpotè, quæ residentiæ onere carent, & à diversis non fit illatio (e), cum diversorum diversum etiam debeat esse judicium (f). Retorquetur posteà adversus Contradictores, quià si sermo est ibi de beneficio simplici, & opus fuit speciali auctoritate Papæ, ut posset injungi Beneficiario onus residendi, Missam ex se celebrandi, & non alteri, *prabendæ illius anniversarium delegandi*, idest *officium suum*, ut explicat Glossa (g); oportet inferre, quod Beneficiarii merè simplices, de jure, & seclusâ peculiari lege per superiorem approbatâ, nec adstringuntur onere personalis residentiæ, nec illo valent licitè adstringi, sed quælibet alia onera, si quę habent, suo beneficio simplici adjecta, liberè valent, sive per se, sive per substitutum implere (h). Adeòque satis benè laborant, & in sacrario operantur, si horas canonicas recitent, eleemosynas, ac pia opera faciant pro eorum viribus; etiam si ulterius apud Ecclesias, & Altaria, ubi eorum erecta sunt beneficia, nec resideant, nec personaliter administrent.

15. Quæ hùcusque allata ad explicandam doctrinam Reverend. Genetti, si congruè applicentur, & approprientur, proculdubiò æquè prevalent ad enodandam etiam doctrinam aliorum Auctorum, qui ad hoc propositum allegentur, vel valeant allegari. Et ità per hæc patet responsio ad ea, quæ ex P. Natali ab Alexandro in oppositum sunt relata: ad quæ tamen adhùc ex abundanti adjungimus, quod quando ipse exposuit finem, propter quem erecta sunt beneficia, scripsit hoc modo: *dicitur deniquè propter sacrum ministerium, quià beneficia ad Divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda sunt constituta, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. de ref. undè beneficium ecclesiasticum ministerium appellatur: cap. quià nonnulli extr. de Cler. non resid. ut meritò beneficium propter officium dari dicatur: cap. quià per ambitiosam tit. de rescript. in 6.* (i).

(a) *S. Pius V. const. 135. in Bullar. Laert. Cherub.*

(b) *Bonac. to. 1 disp. 4. de oblig. benef. pu. 2. à n. 2. & c. f. 747. cum plur. aliis ibi.*

(c) *Vid. supr. in hoc tom. c. 20. n. 7.*

(d) *Bartol. in l. non solum §. liberatione ff. de liber. legat. De Luc. de jurep. disc. 19. n. 7.*

(e) *L. ult. in fin. & ibi Bart. ff. de Calumn. Gratian. discep. for. to. 3. c. 516. n. 6. & c. 524. nu. 56. Barbos. tr. var. Axiom. 114. & alii.*

(f) *L. inter stipulantem ff. de Verb. obl. Barbos. ibi Axiom. 74. num. 6.*

(g) *Glos. in c. significatum 11. V. delegare de præb.*

(h) *Vide Fagnan. in d. cap. significatum 11. n. 3. de præb. l. 3.*

(i) *Natal. ab Alex. Theol. l. 2. c. 6. tom. 6. in princ.*

Indè ſubdit: *officium autèm illud non ſola canonicarum horarum, ſeu breviarii recitatio intelligenda eſt, ad quam omnes Beneficiarii tenentur, ſed Sacramentorum adminiſtratio, Miſſarum celebratio, Evangelii prædicatio, aliaque functiones ſacræ, quibus ex inſtitutione, & ordine Eccleſiæ Beneficiarii ſunt obſtricti, uti colligitur ex cap. ſignificatum extr. de præbend. &c.* Quando autem P. Natalis ab Alexandro hæc aſſeruit, certè locutus eſt de Beneficiariis curatis, choralibus, & reſidentialibus, non verò de merè ſimplicibus: Et ſic ejus doctrina perperàm in oppoſitum allegatur, cum noſtra quæſtio non ſit de beneficiis, & Beneficiariis reſidentialibus, ſed de merè ſimplicibus,

16. Et quod intentio iſtiùs Auctoris non fuerit comprehendendi ſub illis verbis beneficia merè ſimplicia; patet ex contextu: quià perplures ex illis functionibus à ſe memoratis, cum ſint officia, & munera parochialia, nedùm non debent, ſed imò non poſſunt à Beneficiariis merè ſimplicibus exerceri; ut alibi oſtendimus. Nèc enim fas eſt Clerico Beneficiario merè ſimplici Sacramenta adminiſtrare, Evangelium prædicare, Proceſſiones facere, cathechizzare infantes, vel adultos; & alia facere, quę ad parochos ſpectant, ſine ſpeciali, & individuâ facultate Ordinarii: alioquin nedùm non benè operatur talia exercendo; ſed imò tamquàm ponens falcem in meſſem alienam, punibilis eſt. Patet idem ex alio contextu: quià paulò inferiùs aſſerit: *quamobrèm ſi nullum ſpeciale munus beneficiis ſit annexum; iis eccleſiaſticam aliquod miniſterium, ut anneƈtat Epiſcopus, conveniens eſt Eccleſiæ diſciplinæ, ut ſtatuit Concilium Mediolanenſe I. conſt. p. 2. tit. 26. &c. Idem ſtatuit Concilium Burdigalenſe anno 1624. cap. 18. num. 1.* (*a*). Hæc Natalis: qui poſterioribus hiſce verbis oſtendit, ſe in prioribus non eſſe locutum de beneficiis merè ſimplicibus. Quâ de rè etiam quidquid ſit; certum eſt, quod corruente Anteſignanò, in quo ſe fundant Doctores, corruit etiam ipſorum Doctorum opinio (*b*). Natalis autem ſe fundat in Conciliis Mediolanenſi, & Burdigalenſi, ſancientibus, ut beneficiis merè ſimplicibus aliquod aliud onus, prætèr horas canonicas, imponatur. Sed hæc Concilia, tamquàm Provincialia, extrà propriam provinciam non afficiunt (*c*), etiam ſi ſint per Sedem Apoſtolicam confirmata, quià confirmatio dat quidem robur, ſed non extendit actum confirmatum (*d*), ut in ſpecie de Conciliis Mediolanenſibus teſtatur Fagnanus (*e*); ergò &c. Prætereàquamquod Concilia illa non dicunt ineſſe Beneficiariis merè ſimplicibus aliud onus prætèr Divini Officii recitationem; ſed quod Epiſcopus valeat aliquod aliud miniſterium illis adjungere: de quâ rè quidquid ſit, benè ex illorum decretis infertur, quod donec, & quouſque per Epiſcopum talis miniſterii adjunctio non eſt facta; Beneficiarii merè ſimplices ad ſolam Divini officii recitationem tenentur.

(a) *Natal. ab Alex. loc. cit.*

(b) *De Luc de Penſion. diſc. 81 nu. 19. & conflict. obſer. 24.*

(c) *C. 1. cauſ. 5. qu. 2. c. decernimus 3 qu. 9. Fagnan. in c. Canon. 1. n. 14. de conſt. lib. 1.*

(d) *L. Aurelius §. teſtamento 1. ff. de liber. legat. Fagnan. loco cit n. 15. cum aliis.*

(e) *Fagnan. in d. cap. Canonum ubi ſupr.*

17. Cæterùm non parum ambigi poſſet de vi præfatorum decretorum utriuſque Concilii Mediolanenſis, & Burdigalenſis: quippè non eſſe fas Epiſcopis, & Ordinariis locorum nova onera ſuperaddere beneficiis merè ſimplicibus, poſtquàm jam ſemel ritè fuerunt erecta, tradit Proſper Fagnanus, dicens: *præbendę jàm ereƈtæ authoritate ordinariâ novum onus anneƈti non poteſt, quià obſtat cap. cum dileƈtus ſupr. de conſuetud. Concilium Lateranenſe in cap. prohibemus, infrà de cenſ. & Conc. Tridentinum cap. 5. ſeſ. 25. de ref. Undè Sac. Congregatio ejuſdem Concilii interpres, ſæpiùs declaravit, Epiſcopum non poſſe novum beneficiis onus imponere, ſed tantum curare debere, ut quæ illis ex fundatione, vel conſuetudine incumbunt, exaƈtè adimpleantur, & in ſpecie alias cenſuit novum onus Miſſæ in hebdomada non potuiſſe Epiſcopum imponere beneficio habenti onus anniverſarii tantùm &c. Et cum beatæ memoriæ Cardinalis Borromæus vellet cogere obtinentes ſimplicia beneficia in parochialibus, ut per ſe, vel ſubſtitutos deſervirent, cum cap. 3. ſeſ. 21. præſupponat, omnia beneficia deſtinata eſſe ad cultum Divinum, & eccleſiaſtica munia obeunda, juxtà cap. fin. de reſcript. lib. 6. Sac. Congregatio ab eo conſulta, reſpondit, non eſſe cogendos ad aliud, quàm ad dicendas*

dat

das horas canonicas, nec teneri, si beneficia simplicia sint, deservire per se, nec per substitutum, exemplo Canonici, qui cum non teneatur residere causâ studii, non tenetur etiam ad substitutum (a). Non ergò potest Concilium Provinciale onus aliquod beneficiis merè simplicibus apponere, per quod residentiæ personalis debito coarctentur.

18. Supponimus, Dominos Contradictores non esse negaturos clarissimo huic decreto Sacræ Congregationis honorem debitum: nec esse attributuros Ordinariis locorum auctoritatem majorem, quam sibi competere posse ratus est S. Carolus Borromęus; neque tamen ausus est exercere, donec ipsam Sacram Congregationem consuleret: cujus oraculo audito, pro eâ, quâ præditus erat integritate animi, reverentèr acquievit. Quià ergò corruit vis Conciliorum Burdigalensis, & Mediolanensis, in hac parte, quibus P. Natalis ab Alexandro innixus est, corruit quoque Scriptoris hujus auctoritas, & doctrina de onere superaddendo beneficiis merè simplicibus: & sic hujusmodi beneficia, & eorum possessores, remanent in suâ libertate, & immunitate à quolibet alio onere, quam Officii Divini persolvendi (nisi aliud consuetudo, aut statutum peculiare, vel voluntas Fundatoris exposcat). Sed quatenùs etiam plenariè subsisteret doctrina P. Natalis, perperàm ex eâ colligunt Contradictores, hujusce Auctoris intentionem ingerendi Beneficiariis merè simplicibus onus residentię personalis: quippè superaddito his etiam onere missarum, vel alterius obsequii, adhùc illa possent per alium adimplere: siquidèm quantumvis aliquâ Fundatoris dispositione, vel statuto dicatur, quod Beneficiarius teneatur ad Missas celebrandas &c. non ideò censetur electa industria personæ (b), nisi expressis verbis dicatur, Missas esse personalitèr celebrandas ab ipsomet Beneficiario, & non per interpositam personam: quæ clausula individnalis quoties, & ubi deest; potest Beneficiarius Missas illas ope alterius presbyteri celebrare, nullo sibi assumpto onere residentiæ (c).

19. In reliquis de intentione P. Natalis alibi satis dilucidè constat, cum ipse, præter ea, quæ attulimus, proponat hanc regulam, quod licitum est ex dispensatione canonicâ uni Clerico plura beneficia possidere, juxta doctrinam D. Thomę (d), qui eam sumpsit ex decreto Concilii tertii Lateranensis (e), ità sancientis: *circà sublimes tamen, & literatas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam dispensetur*. Quandò scilicèt, inquit Natalis, *viri nobilitate sublimes, aut doctrinâ eximii, plus Ecclesiæ, quàm plures alii, quibus beneficia conferrentur, magisque laborant in verbo, & doctrinâ: & cum unum beneficium sublimibus istis, literatisque viris non sufficit, ut ex eorum operâ, studisque, ac laboribus utilitatem maximam reportet Ecclesia* (f). Igitùr dari possunt, & dantur casus, in quibus secundum Natalem, *cum ratio postulaverit*, uni, & eidem Clerico plura conferenda sunt beneficia: tùncque certè Clericus ille cum non sit divisibilis in se, non poterit simul, & semel eodem tempore in cunctis Ecclesiis personalitèr ministrare, in quibus ipsa beneficia sunt erecta, non posset verò iste casus unquàm succedere, si cuncta beneficia exigerent onus residentiæ personalis de jure divino, quià divino juri dispensari non potest. Quarè vel *sermo* P. Natalis prospicit beneficia merè simplicia, sentitque, qùod plura ex his uni, & eidem Clerico, cum ratio postulaverit, conferantur; & jàm videmus, quod P. Natalis manifestè consentit beneficia merè simplicia non exigere onus residentiæ personalis. Si verò prospicit, beneficia residentialia, super quorum pluralitate, & incompatibilitate solus Papa dispensat (g): super pluralitate verò compatibilium, & merè simplicium, etiam Ordinarius dispensat (h): & itidem patet, quod Natalis admittendo exemptionem residentiæ in beneficiis residentialibus, accumulatis in uno, & eodem Clerico, vi Apostolicæ dispensationis (i); multò magìs admittit exemptionem ipsam in beneficiis merè simplicibus, eâ ratione, quæ prævalere facit argumentum à majori ad minùs deductum (l).

(a) *Fagnan in c. significatum 11. n. 2. & seq. de præb lib. 3.*

(b) *Barbos. in c. significatum 11. nu. 4. de præb. tom. 2.*

(c) *Sac. Congr. ap. Barbos. sum. Apost. decis. collect. 121. nu. 11. 12. 13.*

(d) *S Thomas quodl. 10. qu. 7. ar. 2.*

(e) *Cap. de multa de præbend.*

(f) *Natal ab Alex. Theol. dogm. l. 2. cap 6. reg. 29. § hanc & c. f. 18*

(g) *Azor. inst mor p 2 l. 6. c. 12 qu. 1. Filiuc. tom. 2. tr. 41. c. 7. n. 37. Fagnan. in c. ex parte nu. 23. & 61. de Cler. non resid. lib. 3.*

(h) *Jo. Azor loc. cit. qu. 6. Filiuc. ubi supr. n. 39. Fagnan. in c. cum jam dudùm nu 46 & 50. de præb lib 3. Barbos. sum. Apost. decis. collect 64. n. 14 & 15.*

(i) *Fagnan. in c. dudùm 2. n 21. de elect. lib 1 fol 269.*

(l) *Cap si ergò 8 q 1 c. si Paulus, & ibi glos. 32 q. 5. Barbos. tr var. Loco 67. n. 1. cum aliis.*

20 De-

20. Demùm idem P. Natalis ab Alexandro fubfequentèr difquirit: quęnam fint beneficia, & qui Beneficiarii, perfonalis fervitii, & refidentiæ onere affecti: annumeratque inter eos, Epifcopos, Parochialium Ecclefiarum Rectores, ac illos, qui poffident Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones in Ecclefiis Cathedralibus, vel Collegiatis (*a*), juxtà id, quod præfcribitur in Concilio Tridentino fef. 6. cap. 1. de reform. & fef. 24. cap. 1. paritèr de reform. Nufquàm autem inibi memorat beneficia merè fimplicia: quæ quis credat, illum voluiffe omittere in loco, ubi cuncta beneficia, refidentiam depofcentia, conquirebat, fi fciviffet, quod etiam beneficia merè fimplicia refidentię debitum exegiffent. Non nominaffe illa ergò eft idem ac declaraffe, fuam opinionem in eâ fententiâ, omnibus communi, verfari, quod beneficia merè fimplicia immunitate potiantur ab onere fervitii perfonalis, & refidentię. Notumque eft, quod argumentum à rè, five cafu, five negotio non nominato, in loco, & tempore, quo debebat rationabilitèr nominari, validum eft, & efficax (*b*). Igitùr perperàm per Contradictores trahitur doctrina P. Natalis ad ingerenda Beneficiariis merè fimplicibus onera manfionis, minifterii, fervitii, & refidentiæ perfonalis, & quidem de jure divino, quando conftat hunc Doctorem fententiam oppofitam retinere. Sicque foluto undequàque argumento, ex epiftolis Divi Pauli ad Corinthios, & ad Theffalonicenfes petito, atque ex doctrinâ Reverendiffimi Genetti, ac dicti P. Natalis; corruit tota objectio, remanetque in fuâ veritate fententia, quam tuemur, nimirùm Beneficiarios merè fimplices integrâ libertate, & immunitate potiri ab onere refidentiæ.

(a) Natal. ab Alex. Theol. dogm. lib. 2. c. 6. reg. 23 & 47. tom. 6.

(b) L. si verò §. de viro ff. solut. matrim. Barbos. in var. loc. 76. cum aliis ibi.

CAPUT XXIII.

In quo diffolvitur Tertia Objectio, *petita ex Epiftolâ Divi Pauli Apoftoli ad Romanos adverfus exemptionem Beneficiariorum merè fimplicium ab onere Refidentiæ.*

SUMMARIUM.

1 Tertia Objectio *ex D. Paulo dicente, in quolibet corpore diftincta effe membra, eorumque munia: idipfum ergò debet effe in corpore myftico Ecclefiæ.*

2 *Benè ftat, quod Beneficiarii fimplices fint membra diftincta, & quod exerceant fua officia, tametfi non refideant.*

3 *Si quidquam valet metaphora corporis humani ad fignificanda beneficia, retorquetur adverfus Contradictores, & quomodò.*

4 *Ex fenfu accommodatitio Scripturæ deductum argumentum languidum eft, & infirmum. Improbat D. Hieronymus trahere Scripturam repugnantem extrà fuum fenfum.*

5 *Thomaffinus non utitur hoc textu ad fignificandum debitum refidentiæ in Beneficiariis merè fimplicibus, fed ad excludendam pluralitatem beneficiorum.*

6 *Perperàm colligitur aliundè mens Thomaffini, quandò alibi apertè loquitur de exemptione beneficiorum fimplicium ab onere refidentiæ.*

7 *Per-*

7 *Pertinet ad rationem corporis mystici Ecclesiæ, ut in eo sint beneficia tum residentialia, tùm merè simplicia exempta ab onere residentię.*

8 *D. Gregorius in Objectione allegatus decernit, quod singulis personis, singula officia ecclesiastica committantur: cujus verba referuntur.*

9 *Sicut vult D. Gregorius, quod inter Beneficiarios distincta sint munera; ità etiam voluit, quod alii habeant onus residendi, alii non.*

10 *Residentia in beneficiis merè simplicibus non est de jure divino, cum aliqui negans eam esse de jure divino in Beneficiariis curatis.*

11 *Recenset Vasquez plures Doctores, sentientes, quod Rectores animarum ad residentiam personalem teneantur de jure divino.*

12 *Probat idipsum ex eo, quod juxtà Scripturas tenentur pascere oves, cognoscere vultum earum &c. quæ facere non possunt, nisi resideat.*

13 *Episcopus, & idem dic proportionalitèr de Parocho, non potest prædicare, ministrare, ut dispensator, & doctor, nisi assistat personalitèr suo populo.*

14 *Reditus beneficiorum curam habentium, sunt stipendia Rectoribus illorum debita, quomodò autem illa consequi valent, si non resideant?*

15 *Negantes obligationem residentiæ in Rectoribus animarum, tamquàm de jure divino dicunt Rectores ipsos non habere potestatem à Deo, sed à Pontifice.*

16 *In beneficiis curatis unitis Monasterio, vel Dignitati, & rectis per Vicarium ammovibilem, quis sit proprius pastor.*

17 *Licèt valeat quis interdùm per alium se meliorem suum populum pascere: tamèn non indè à residentiæ debito excluditur.*

18 *Si residentia Curatorum esset de jure divino, Pontifex non posset super eâ dispensare. Qui tamèn super eâ ex causâ dispensat.*

19 *Etsi certum sit, quod pastor animarum de jure divino tenetur eas pascere; rem sine contradictione transit, an de jure divino debeat id facere per se ipsum.*

20 *Multi Theologi in voto sunt, quod Episcopi, & Parochi Rectores animarum ad residentiam teneantur de jure divino.*

21 *Non obstantibus tot Doctoribus, adhùc dantur plures Auctores affirmantes residentiam in pastoribus esse solum de jure canonico.*

22 *Beneficia choralia non exigunt residentiam de jure divino, sed solùm de jure ecclesiastico: multò fortiùs id verùm erit de beneficiis merè simplicibus.*

1. OBIICIUNT *tertio loco* Contradictores ex epistolâ B. Pauli Apostoli ad Romanos scribentes; quod *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent* (a): ex quo inferunt ipsi, quod sicut in corpore naturali, cum sint distincta membra, debent etiam esse distincta eorum officia, & unum alterius, vel plurium officium occupare non debet; ità quoque in corpore mystico Ecclesiæ, distincta esse debent membra, nempè ministri, & distincta eorum officia, nempè munia, ad Beneficiarios spectantia, & unum alterius, vel plurium officium, nempè unum, vel plura beneficia ecclesiastica, occupare non debet. Hinc ex ipsis verbis Apostoli, S. Gregorius deducit, quod *singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim* sunt committenda (b). Et Thomassinus non uno in loco affirmat, *perequè enim in simplicibus, & minoribus beneficiis valet humani illa, divinique juris conspirans auctoritas, quæ vetat, ne unum membrum plurium locum, muniaque invadat* (c). Adeòque de jure divino est, ut quilibet Beneficiarius in loco sui beneficii resideat, & munia ad se pertinentia, per se ipsum, non per substitutum, sed personalitèr exequatur.

(a) Romanor. cap. 12 num. 4.

(b) Capit. 1. dist. 99

(c) Thomass. vet. & nov. Eccl disc. p. 2. l. 3. c. 7. n. 5. 6. Et ille.

2. Re-

2. Refpondetur *primò*, conceffo toto antecedenti, negando confequentiam, quippè hæc ex illo non infertur: ubi autem confequentia non deducitur ex præmiffis, argumentum fecundum Logicos evanefcit, irritumque eft, & inane. Profectò non magis ex præfato antecedenti probatur, quod Beneficiarii merè fimplices teneantur ad refidentiam perfonalem, quam ex eo, quod quis currat, probetur, ipfum volare. Nimium diftant hæc duo intèr sè: debere effe diftincta tùm officia ecclefiaftica, tùm miniftros ea poffidentes; & debere Beneficiarios officia ad fe pertinentia, non hìc, vel illìc pro eorum libito, neque per alios, fed debere in loco determinato, & per fe ipfos perfonalitèr exercere. Unum ex his non infertur ex alio: Stantque benè fimùl, & unum finè altero, quod Beneficiarii merè fimplices fint membra Ecclefiæ, ab aliis membris diftincta, & quod exerceant officia ad fe pertinentia, tametfi non refideant in loco fui beneficii: adeòque nec illi aliorum, nec alii ipforum occupant officia, cum aliqua ex fuis muneribus, fi quæ habent pretèr divinum officium; faciunt per alios adimplere.

3. Præfertim quià Apoftolus immediatè fubjungit: *Singuli autem alter alterius membra* (a): quo denotat, membra fe debere viciffim juvare, non occupando per vim alterius functiones, fed fubfidia ex honeftate, & charitate unum alteri opportunè fuppeditando: pulchrè inquiebat Ambrofius Catharinus, proponit Apoftolus *Ecclefiam quafi quoddam humanum, & organicum corpus, in quo turpe effet, fi pes vellet manus officium exercere, aut oculus aurium, aut naris os, & è converfo* (b). Sed æquè turpe effet, fi alterum ex ipfis membris nollet alteri defervire. *Pes manui fubfervit, dum portat manum ad regendum quod cupit: manus pedi, dum pedem fervit &c.* (c), & fic de aliis membris, quæ quantumlibet ex fui naturâ diverfos actus habeant, & officia; fuis tamen quoque commembris opitulantur, atquè fubferviunt. Igitùr fi quidquam prævalet hæc metaphora corporis humani ad corpus myfticum Ecclefiæ configurati, pro fignificandis beneficiis ecclefiafticis; probat quidem, quod unus Beneficiarius non debet fibi arrogare officia alterius Beneficiarii inviti; fed probat etiam, quod unus accomodare debet vices fuas alteri depofcenti, fupplendo charitativè, & urbanè illius officia, quià *finguli funt alter alterius membra*. Et ità nedùm Objectio nonprobat, quod Beneficiarii merè fimplices non valeant officia fua adimplere per alios; Sed imò probat totum oppofitum; nempè probat, quod alii Beneficiarii, à Beneficiario merè fimplici interpellati, ut vices fuas in opportunitatibus fuppleant; debent eas obire, quià finguli funt *alter alterius membra*. Quarè, vel argumentum nihil probat, quià ex naturâ fuâ languidum, & infirmum eft: vel fi quidquam probat, retorquetur adverfus eos, qui illud proponunt.

(a) *Romanorum cap.12.n.5.*

(b) *Ambrof. Cathar. in Rom 12.4.§ ficut.*

(c) *S. Bruno tom 2. in Roman.12. 4.*

4. Refpondetur *fecundò*, Argumentum in Objectione propofitum valdè languidum effe, & infirmum ex alio capite, nimirùm quià fundator *in fenfu accomodatitio*, quo pertrahuntur ad fignificanda beneficia ecclefiaftica, periodi illæ Apoftoli ad Romanos, *ficuti in uno corpore multa membra habemus &c.* Quibus verbis D. Pauli fcopus non fuit de ecclefiafticis beneficiis effari. Notum eft autem Scripturalibus, & eruditis, miferum effe hunc arguendi modum per verba Sacræ Scripturæ in fenfu accommodatitio adhibita: quippè hujufmodi accomodatio, tametfi quandoquè aliquem leporem, & venuftatem habeant, vel rarò tamen, vel ferè nunquàm vim habet quidquam probandi. Proindè cum Divo Hieronymo, talia excogitantibus, dici poffet: *nèc fcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoftoli fenferint, fed ad fenfum fuum incongrua aptant teftimonia, quafi grande fit, & non vitiofiffimum dicendi genus, depravare fententias, & ad voluntatem fuam fcripturam trahere repugnantem* (d). Quarè quidquid fit de illis Apoftoli verbis, & de ipforum tractione ad fignificanda ecclefiaftica beneficia; negari poteft totum antecedens argumenti, utpotè in folo fenfu acco-

(d) *S. Hieron. ep.103. ad Paulin in medio.*

modatitio fundati, qui nullius est roboris, & efficaciæ: quippè *sensus ille accommodatitius nihil est aliud, quam verborum Scripturæ significatio extensa, & accomodata ad res alias à Spiritu Sancto non intentas* (*a*): quâ de rè suprà sumus fusiùs elocuti (*b*).

5. Nèc obstat, quod Thomassinus verbis ipsis utatur in proposito beneficiorum merè simplicium; quippè proeo, quod spectat ad meum sensum accommodatitium, si in mente habuisset eo tamquàm fundamento utendi, ad probandum intentum suum; frustrà laborasset: Nàm dici posset cum D. Hieronymo: *puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia* (*c*). Lepidè, festivè, ingeniosè adaptantur, sed theologicè nihil probant. Quoàd reliqua Thomassinus, loco, in objectione allegato, non loquitur de residentiâ à Beneficiariis merè simplicibus exhibendâ, sed de rè longè diversâ, nimirùm de pluralitate beneficiorum merè simplicium, ab Ecclesiâ, & Clericis protelandâ, in quo nos quoque, & Romana Curia, & tota Ecclesia cum eo coincidit. Dicimus etenim plura beneficia, etiam merè simplicia, non esse uni, & eidem Clerico conferenda, quando unum ad ejus congruum statum sufficit (*d*). Attamèn si unum ad eundem congruum statum non sufficiat aliud beneficium, sive residentiale, sive simplex, addi potest, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat (*e*). Sicut etiam si justa, & Canonica dispensatio Papæ, vel respectivè Ordinarii accedat, interposita ex justâ causâ, optimè valent duo, vel plura beneficia uni, & eidem Clerico tradi (*f*). Sed hæc nihil probant pro arctandis Beneficiariis merè simplicibus ad residentiam personalem, quià pluralitas beneficiorum merè simplicium non est interdicta ratione debiti residentiæ, sed ratione avaritiæ, & inordinationis, quæ pluralitati beneficiorum inhæret (*g*).

6. Ceterùm improvidè satis, & perperàm colligitur mens Thomassini ex fragmine doctrinæ illius, in objectione allegatæ, quando de ipsius mente dilucidiùs constat aliundè, ubi apertè innuit, quod antiquis temporibus non vigebat distinctio inter beneficia residentialia, & non residentialia, sed cuncta, etiam merè simplicia, residentiam exigebant, quamquàm id non probet nisi documentis, loquentibus de beneficiis residentialibus, choralibus, & curatis (*h*). Postmodùmque laudat Concilium Tridentinum, quod plura decreta ediderit residentiam Beneficiariorum concernentia, inter quę hoc indigitat: *Planum fit rursùs à Tridentino quodammodò approbari distinctionem beneficiorum, tàm liberæ, tàm necessariæ residentiæ, adeòque compatibilium, & incompatibilium. Deniquè planum est ex Concilio residendi necessitatem oriri, vel ex jure, vel ex consuetudine* (*i*). Ut quid ergò inquirere sententiam Thomassini quoàd residentiam beneficiorum merè simplicium ex iis, quæ ille scripsit agens de pluralitate beneficiorum, quando ejus mentem claram, & dilucidam circà hoc habemus ex iis, quæ dictavit, de ipsâmet eorum residentiâ tractando? Laudat Concilium Tridentinum, quod intèr cætera disciplinæ decreta, ediderit illud etiam, per quod beneficia residentialia, à non residentialibus distinguuntur: nunquid ergò non fuit in voto subiiciendi sensum suum illi determinationi Concilii, & quod beneficia merè simplicia onus non exigant residentiæ personalis, cum prætèr beneficia merè simplicia nulla alia sint non residentialia. Rursus colligit ex doctrinâ Concilii, necessitatem residendi oriri, vel ex jure, vel ex consuetudine. Nunquid ergò non censuit Beneficiarios merè simplices immunes esse ab onere residentiæ, cum uno ore omnes Doctores affirment, eosdem Beneficiarios de consuetùdine dictâ immunitate gaudere (*l*).

7. Respondetur *tertiò* retorquendo argumentum ex iis, quę suprà posuimus in hoc Tomo cap. 7. n. 5. & sequen. Nàm sicuti pertinet ad rationem corporis humani, quod sint in eo varia membra, partim necessaria, ut est caput, pectus, brachia, &c. & partim integralia, ut ungues, capilli, cartilagines, articuli digitorum, & similia; ità pertinet ad rationem corporis mystici Ecclesiæ, quod variis constet membris, nempè Beneficiariis, & ministris, partim necessariis,

(a) *Petr. Annat. Apparat. ad posit. Theol. l. 1. ar. 7. Objec. 3.*

(b) *Vid supr. to. 3. cap. 2. n. 17. & 34.*

(c) *S. Hieron. in præfat. epist. 103.*

(d) *Vid. Natal. Alex. tom. 6. l. 2. c. 6. regul 27. Fagnan. in cap. super inordinata 35. de Præbend. n. 6. 7. 8. & c. lib. 3 Azor p. 2. l. 6. c. 10.*

(e) *Concil. Trident. ses. 24. c. 17. de reform. vid. ibi Barbos. Concil. Avenion. ann. 1594. c. 36. Azor. loc. citat. qu. 3.*

(f) *Vid. Natal. loc. cit. Fagnan. in cap. ex parte n. 59 de Cler. nō resid. lib. 3. in cap. dudum 2 à n. 17. de elect. lib. 1. cap. de multa num 30. de præbend. in c. jamdudum à n. 46 de præbend l. 3. Azor. inst. mor p 2. l. 6. c. 12.*

(g) *Fagnan. in c. dudum 2. à n 4. de elect. Azor p 2 l. 6. c. 10. Fil. luc. tr. 41 c. 7. n. 14.*

(h) *Thomassin. vet. & nov. Eccl discipl. p. 2. l. 3. c. 34. n. 1. & 3.*

(i) *Thomassin. loc. cit. num. 11.*

(l) *Borel Sum. Decis. to. 1. tit. 10. n. 7. & 15. & tit. 20. à num 247. ad 250. Garc. p. 3. c. 1. num. 3. Lotter. l. 3. qu. 17 num. 9. Reginald. lib. 30 num. 50.*

uti ſunt Epiſcopi, Parochi, & Beneficiarii chorales: & partim integralibus, uti ſunt Beneficiarii merè ſimplices. Et quemadmodùm ungues, capilli, cartilagines &c. in corpore humano exercere non debent functiones illas principales, quas exercet caput, pectus, brachia &c. ſic etiàm Beneficiarii merè ſimplices obire non tenentur opera illa præcipua, quæ exercent Beneficiarii curati, chorales, & reſidentiales, quorum operum unum, & valdè præcipuum eſt reſidere, ac perſonalitèr miniſtrare in ſuis Eccleſiis. Vide quàm longè à diſco jaculentur verba in Objectione conſerta, quæ prò eo quod probent intentum contradictorum; ſi quid afficiunt, probant potiùs oppoſitum.

8. Et per hæc remanet explicata, totalitèrque diſpuncta vis auctoritatis D. Gregorii, in objectione allegati: dicit enim: *Singula eccleſiaſtici juris officia ſingulis quibuſque perſonis ſingulatim committi jubemus. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ità in Eccleſiæ corpore, ſecundum veridicam Pauli ſententiam in uno, eodemque ſpiritu alii conferendum eſt hoc officium, alii committendum eſt illud, neque uni quantumlibet exercitatæ perſonæ uno tempore duarum rerum officia committenda ſunt: quià ſi totum corpus eſt oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diverſa officia, & robur corporis ſerviat, & pulchritudinem repreſentat; ità varietas perſonarum per diverſa nihilominùs officia diſtributa, & fortitudinem, & venuſtatem Sanctę Dei Eccleſię manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ità nimiràm noxium, ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa* (a). Ex conſonantiâ, quam habent inter sè membra humana, infert D. Gregorius conſonantiam, quæ ſervari debet inter officia eccleſiaſtica. Et ſicut actus membrorum corporis humani ſunt inter ſe ordinati, & diſtincti, ſic ordinatos, & diſtinctos eſſe debere dicit actus officiorum eccleſiaſticorum, quæ ſunt totidem membra corporis myſtici Eccleſiæ. Sed hoc quid proficit ad probandum ineſſe Beneficiariis merè ſimplicibus onus reſidentiæ perſonalis?

(a) Cap. Singula 1. diſt. 89.

9. Si vera profari volumus, hoc potiùs probat oppoſitum: & ſenſui D. Gregorii Pontificis inhærebimus, ſi dicamus, quod mens illius fuit, quod ſicut inter Beneficiarios Eccleſiæ diſtincta eſſe debent munera, talitèr ut unus non inter Beneficiarios diſtincta ſint, occupat functiones alterius eo modo, quo in corpore humano diſtincta ſunt membra, & unum non ſurripit actus alterius; ità etiam vult, quod ex Beneficiariis eccleſiaſticis, alii onus habeant perſonalitèr reſidendi, alii verò hoc ſint onere deſtituti. Et ut ex abundanti reſponſiones reſponſionibus cumulemus; poſſumus aliâ viâ nos à verbis præfati Sancti Pontificis expedire, dicendo, quod ipſe D. Gregorius, ejuſque doctrina non percutit beneficia merè ſimplicia, ſed ſolùm reſidentialia: nec alitèr intelligendus erit ſecundum principia Contradictorum. Nàm cum ipſi dicant, quod non niſi poſtremis ſæculis emerſit diſtinctio inter beneficia reſidentialia, & non reſidentialia; profectò hæc diſtinctio tempore D. Gregorii Papæ non vigebat: etſi eo tempore non vigebat; ex conſequenti Sanctus iſte Pontifex in loco ſuperiùs enuntiato, non potuit loqui de beneficiis merè ſimplicibus. Adeòque ſi de illis non eſt locutus, inutilitèr nobis præfata ipſius doctrina obiicitur.

10. In reliquis quoàd id, quod ex objectione deduci contenditur, nimirùm eſſe de *jure divino*, quod Beneficiarii merè ſimplices ad reſidentiam perſonalem teneantur; dicimus id gratis aſſeri. Et ut rem ità ſe habere oſtendamus, prætèr ea, quæ ſuperiùs attulimus, hìc nunc adjungimus egregiam diſputationem, ad hęc facientem, prædocti Theologi Gabrielis Vaſquez, quæ taliter ſe habet. *Utrum reſidentia in Epiſcopatu, & beneficio, cui cura ineſt animarum, ſit de jure naturali, & divino: ideſt an non tantùm ex naturâ rei, ſed etiam in Evangelio id repertatur expreſſum?* Immediatèque reſpondet. *In quo dubio Catharinus in Apologiâ*

logiâ quadam contrà Sotum, & Mirandam asseruit, residentiam in iis beneficiis, & Episcopatibus, solùm esse de jure positivo: Ipse tamen Sanchez opinatur præceptum residentiæ in præfatis Rectoribus animarum esse de jure divino. *Nàm,* inquit, *licèt non sit divinum præceptum positivum, hoc est, solùm ex divinâ institutione habens originem, sicut confessionis præceptum; est tamen divinum naturale. Primò, quià supponit divinum positivum, scilicèt esse beneficia, & Episcopatus, in Ecclesiâ, eo autem supposito ex naturâ rei sequitur officium, ad quod tenentur, sicut suppositâ confessione jure naturali sequitur, quod nulla fiat irreverentia ipsi Sacramento. Dicitur etiam aliâ ratione divinum præceptum de residentiâ, quià ex Scripturâ colligitur aliquo modo, saltèm ratione naturali simul adjuvante. Et ideò Corduba asserit, quod residentia prædictorum est de jure divino largè sumpto, quià non est expressum, eum aliqui impunè contrarium fuerint opinati: nec liquidà constat traditione, aut Doctorum omnium consensu dogmatizzata fuerit: sic enim esset strictè juris divini, sed quià ex Scripturâ ratione naturali non evidenti adjutrice deducitur, ideò dicitur jus naturale divinum largè à Cordubâ. Tùm etiam divinum largè dicitur, quià in eo potest rationabili ex causâ dispensare Pontifex, inquit Corduba &c. (a).* Quem sensum, & exiguitas, quoque nostra superiùs tenuit, ubi doctum lectorem remittimus (b).

11. Prosequitur Vasquez eloquium suum, & probans hanc opinionem ab auctoritate Doctorum illam sequentium, dicens: *Quod residentia sit juris divini, & naturalis, multi doctissimi viri asserunt, Cajet. 2.2. qu. 185. art. 5. Sot. lib. 10. de justitiâ, quæst. 3. art. 1. & 2. (Nàm in tertio probat, quod sit de jure positivo imposita) idem docet Franciscus Torrensis in speciali de hâc rè tractatu, & Miranda Archiepisc. Toletan. in alio opusculo de residentiâ, Covar. lib. 3. variar. cap. 13. num. 9. Sylvest. Verbo Residentia, quæst. 1. 2. & 6. Corduba lib. 1. quæstionarii, quæst. 19. quæ de hâc rè est, & colligitur hæc sententia ex Gabriel. in 4. d. 15. quæstio. 8. art. 3. dub. 2. & ex Adriano in 4. in materiâ de restitutione, quæstione de pluralitate beneficiorum, quæ incipit, quià in præmissis, Genson alphabeto 24. litera Q. & 40. lit. E. & I. & 44. lit. I. imò ex S. Thom. quodlibet. 9. art. 15. & 2. 2. quæst. 185. art. 5. Idem etiam docet Navar. in Summâ latinâ cap. 25. num. 121. Et sanè hæc opinio apertè est approbata in Concilio Tridentin. sess. 23. decreto de Reformatione, cap. 1. ubi apertè dicitur in principio, quod sit residentia pastorum de jure divino.* Alios Auctores idipsum sentientes nos suprà retulimus (c): Et alios adhùc infrà uberiori calamo referemus (d).

12. Prosequitur Vasquez: *hæc sententia tàm abundantèr ab omnibus probatur præcipuè Mirandâ, Soto, Cordubâ, & Cajet. ut omnium probationes referre esset molestissimum, & inutile: ideò, quâ patero brevitate, quæ magis proderunt, in medium adducam, omissis Patrum in hâc rè testimoniis, quæ locupletissimè adduxit Miranda: omissis etiam Athanasii Epistolis, quas adducit Franciscus Torrensis, & Sotus, quibus hæc sententia maximè confirmatur. Primò quoniam Joannes cap. 10. Bonus pastor animam suam ponit prò ovibus suis, & eas pascit verbo doctrinæ, juxtà illud Joan. 20. Pasce oves meas, quod dictum Petro, omnibus etiam pastoribus dictum fuit: insuper eas cognoscit: sed hæc, & alia munia similia non potest quis exercere sine residentiâ, nisi, inquam, præsens sit, ergò eum illi incumbat officia pastoris exercere, necessariò præsens esse tenetur: omnes enim tenentur fateri, quod pastor spiritualis tenetur jure divino, & ex ipsâ naturâ sui officii, & dignitatis, & animas subditorum regere, & curam illarum gerere, eis verbum Domini prædicare, & Sacramenta ministrare: sed qui tenetur ad hunc finem, tenetur ad media necessaria, qualis est residentia: qui enim non residet, impossibile est officium suum ergà oves fidelitèr exequatur.* Tota vis difficultatis restringitur ad minorem propositionem, nempè quod, qui non residet, non possit pascere ovile sibi commissum, vultumque agnoscere ovium suæ sollicitudini creditarum, nec illas regere, illarum curam gerere, illis verbum

(a) *Vasq Opusc. Moral de benef cap. 4. §. 2. dub. 1. n. 121. f. 446.*
(b) *Vid. supr. in hoc Tom. cap. 21. n. 18.*
(c) *Vid supr. in hoc Tom. cap. 21. n. 18.*
(d) *Vid. infr. in hoc Cap. n. 19. & 20.*

bum Domini prædicare,& Sacramenta miniſtrare. Sequentes etenim contrariam opinionem contendunt, hæc omnia exerceri poſſe per alium: adeòque hìnc non probari debitum reſidentiæ perſonalis in paſtore animarum, tamquàm de jure divino. Addit Vaſquez alias rationes, ſubdens.

13. *Secundò, quià Paſtores animarum non ſunt Domini ipſarum, ſed paſtores verè, quibus ovium cura demandata eſt: ſed miniſtri, & diſpenſatores juxtà illud Petri 5. Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei non dominantes in Cleris &c. Et illud 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores &c. Sed quo pacto dici poteſt miniſter, aut paſtor, qui gregem deſeris alteri Vicario commiſſum. Iſte neque diſpenſatoris, neque miniſtri, nec paſtoris officium præſtabit: præſtaret ſanè abſens Officium Domini, quià Dominus abſens eſſe poteſt, ſed officium paſtoris, aut miniſtri nullatenùs exequitur. Tertiò, ſi attendas formam, quâ quis in Epiſcopum conſecratur, dicitur: vade, & prædica, & non dicitur, vade mitte qui prædicent. Et Paulus ad Titum, & Timotheum: Oportet, inquit, Epiſcopum Doctorem eſſe.* Infert ex his Vaſquez, quod cum non poſſit Epiſcopus prædicare, docere, paſcere, miniſtrare, ac diſpenſare, niſi perſonalitèr ſuo populo aſſiſtat; ad reſidentiam teneatur de jure divino. Quę ratio, quià proportionalitèr habet locum etiam pro parochis; ſit, quod parochi quoque ad idem onus eodem jure tenentur. Difficultas hìc quoque apud ſequaces oppoſitæ ſententię reducitur ad minorem propoſitionem: contendunt etenim, quod paſtor, præſertim ad aliquod determinatum tempus, committens ovile ſuum alicui fido, & idoneo ſubſtituto regendum, non deſinat eſſe miniſter, & paſtor ipſiuſmet ovilis: nec ceſſet eſſe prædicator, & doctor ſuæ plebis, ſi per alium eam doceat, & benè inſtruat: hocque faciens, non tranſgrediatur jus divinum, ſed eccleſiaſticum, reſidentiam ſtrictè præcipiens.

14. Proſequitur Vaſquez. *Quartò tandèm probatur ex ſtipendio: qui enim abſens eſt, non laborat: quâ ergò ratione ſtipendium decimarum accipere poteſt? Qui enim non ſervit altari, non vivat ex illo: qui non triturat, non comedat. Quo ergò modo ille, qui paſtor eſt, ſtipendio, & ſudore ovium vivit, ſi non vult in illas officium paſtoris exercere, nàm beneficium datur propter officium. Nequè ſufficiet reſtituere fructus, aut illos non facere ſuos, quià etſi hoc fiat, à peccato non erit immunis, qui beneficium acceptans, & ſibi aſſumens officium, & obligationem miniſtrandi animabus, illam non explet. Ultimò: ſi verò abſurda conſideres, quæ in omnes ex abſentiâ paſtorum ſequi conſueverunt, ea ſola ſufficientèr indicabunt paſtorem ſub reatu mortalis teneri ad reſidentiam, ni velit ea omnia inconvenientia ſibi imputari: quæ omnia optimè enumerat Miranda, opere illo de reſidentiâ cap.11. Conſtat ergò, reſidentiam ex jure divino colligi, & ex ipsâ inſtitutione beneficiorum, quibus cura animarum incumbit. Et de Epiſcopatibus, aliiſque beneficiis curatis, idem dixit tenendum eſſe Concil. Trid. ſeſſ. illa 23. decreto de reformatione cap.1. Contrà hoc tamen ſunt aliqua argumenta appoſitæ opinionis, quæ tamen optimæ diluuntur à Torrenſi, Mirandâ, & Soto, atque Cordubâ (a).*

(a) *Gabriel.Vaſquez Opuſc. Moral. de benef. cap.4. § 2 dub. 1. n. 131.*

15. Hucuſque Vaſquez rationibus perſuaſit ſententiam de reſidentiâ paſtorum, quod ſit de jure divino. Nunc argumentis reſpondet eorum, qui oppoſitam opinionem ſequuntur, dicens. *Primum argumentum eſt, quod Epiſcopi, & Curati habent poteſtatem ſuam, non immediatè à Deo, ſed à Pontifice, ergò ab illo tantùm habent obligationem reſidendi. Hìc immoratur Torrenſis, ut probet Epiſcopos habere poteſtatem immediatè à Deo: ſed non eſt hujus diſputationis, licèt verius ſit, quod à Deo illam habeant. Ut tamen argumentum diluatur, ſufficit dicamus, quod licèt à Pontiſice Summo cæteri paſtores poteſtatem accipiant, & illam retineant, ex naturâ rei, & jure ipſo naturæ docente, ſequitur, quod teneantur officio fungi, ut ſuprà explicuimus: ex officio enim accepto cum ſtipendio, naturalis ſequitur obligatio munus exequendi fidelitèr. Sicut paſtor ovium con-*

ſtitutus

stitutus est rusticus quidam ex contractu inter ipsum, & dominum ovium, indè tamen manet naturalitèr adstrictus, ut fidelitèr, & non per Vicarium officium exequatur: aliàs dominus conquereretur. Et licèt dominus ovium cum illo posset dispensare, ut vellet, & concedere, qaod absit à grege; hoc tamen non posset efficere Oeconomus, & dispensator, si ipsum conduxisset, sine causà rationabili, & præsumptà voluntate domini. Sic etiam nec Pontifex tollere potest obligationem semel electi in pastorem, nisi rationabili ex causà, ut infrà dicemus. Verùm hæc responsio tanti ponderis non reputatur ab Auctoribus oppositæ sententiæ, ut evacnet totam vim argumenti: adeòque probet residentiam esse de jure divino: sicut in aliis pactis inter contrahentes initis, eorum observantia non est de jure divino.

16. *Secundò arguit ex cap. extirpandæ, de præbendis, ubi conceditur, quod beneficia curata sint perpetuò unita, & connexa alicui dignitati, modò per Vicarium illa beneficia administrentur. Respondetur, quod ea concessio est licita, & sancta, nec contrà jus divinum, aut ea, quæ diximus, quià ille Vicarius, qui in hujusmodi beneficiis constituitur, non est mercenarius, sed verus pastor, eo quod sit perpetuus: undè ille, ut proprias habet oves. Quod verò est contrà jus divinum, & naturale, est, quod uni incumbat officium, & obligatio ministerii in beneficio, & quod illud officium per conductitium exequatur.* Hæc quoque responsio non evacuat vim argumenti apud sequaces opinionis contrariæ, quippè multiès Vicarius, in parochiis unitis deputatus, non est perpetuus, sed ammovibilis, ut contingit in multis parochiis, quæ unitæ sunt monasteriis: adeòque rector ille non est proprius pastor, sed mercenarius: tùncque proprius pastor qui est Abbas, vel Conventus fratrum componentium monasterium, non residet, neque pascit populum illius loci.

17. *Tertiò, quià aliquandò per alium doctiorem, & sanctiorem, potest officium suum meliùs supplere, ergò eo casu non tenebitur ad residendum. Respondeo, quod lex id, quod ut plurimùm est, præcipit: & licèt aliquandò deficiat ratio legis in particulari, non deficit in communi, & ideò lex residentiæ, quæ naturalis est, obligat adhùc in eo casu, sicut lex de non fornicando etiam obligat, licèt ratio legis, quà prohibetur fornicatio, aliquandò cesset in particulari: præsertìm quod amor proprii pastoris vix potest suppleri: imò licèt suppleatur, illa tamen ratio non cessat, quà quis tenetur residere, quià, qui stipendio fruitur, laborare debet, nec jure aliquo stipendium accipit, qui non laborat per se: si enim per alium laborat, sufficit, quod per alium vivat, & comedat, stipendiumque servienti tantùm prò servitio detur. Hæc autem ratio nunquàm cessat, licèt cessent aliquandò inconvenientia, quæ ex non residentià sequuntur.* Hæc itidem responsio non paucas patitur difficultates apud sectatores oppositæ sententiæ: transitum enim facit ab actione morali, qualis est pascere populum in spiritualibus rebus, ad actionem physicam, qualis est comedere ad vitam sustentandam. Et eam probare quidèm censent quantum est de jure canonico residentiæ onus; non verò quantum est de jure divino.

18. *Quartò arguitur, si residentia est de jure divino, & naturali, ergò Pontifex non potest in illà dispensare: sed aliquandò dispensat; ergò videtur, quod sit de jure humano. Respondeo tamen, quod in residentià locum non habet dispensatio, sed sola interpretatio juris, quià interpretatur Pontifex Summus, aut Episcopus, in casibus, quibus potest, quod in eo casu, ob instantem aliam necessitatem, præceptum non obligat ad residendam, quià cum tanto dispendio non obligat: hæc autem non est juris relaxatio, sed illius interpretatio* (a). Alii non diffitentur asserere, quod verè in isto casu Papa dispenset: quippè Pontifex dispensare valeat in iis, quæ licèt sint de jure divino, vel naturali, quantum est in sè; radicalitèr tamen, & fundamentalitèr pendent ab Ecclesiæ institutione, ut est quod talis sit hìc, vel ibi Episcopus, vel Curatus (b). Utcumque res se habeat, & sivè dispen-

(a) *Gabriel Vasquez. loc. cit.*

(b) *Bonacin. tom 1. tract. de oner. & oblig. disp. 1. qua. 3. n. 1.*

difpenfando,five declarando,Pontifex procedat;parum refert. Nàm licet difpenfare, quantum ad fonum vocis importet aliquid diverfum ab interpretari: tamèn quantum ad effeƈtum,& refpeƈtu ad negotium,de quo agimus,five Pontifex difpenfet cum Reƈtore animarum fuper refidentiâ perfonali, five interpretetur,quod in tali, ac tali cafu lex non obliget Reƈtorem illum ad refidentiam; res recidit in idem,& videtur effe differentia plus quoàd nomen,quam quoàd rem fignificatam per ipfum: quippè tàm in primâ,quàm in fecundâ acceptione, fumma negotii eft, quod Reƈtor ille auƈtoritate Summi Pontificis liberatur ab obligatione refidentiæ: hancque ad aliud jus referendam effe, quam ad jus divinum, contendunt illi, qui opinantur præfatam refidentiam Curatorum non effe de jure divino, fed folùm de Pontificio.

19. Hæc Vafquez de beneficiis Epifcopalibus, & curatis, ut de jure divino exigentibus refidentiam. Quid autem dicendum fit de merè fimplicibus; fubinferat benignus leƈtor, à majori ad minus deducendo argumentum. Ingenti conatu fatagit hic Theologus probare, quod refidentię onus Beneficiariis Epifcopalibus, & curatis infit de jure divino. Hæcque fententia communis eft intèr Theologos (*a*). Attamèn res non tranfit fine contradiƈtione plurium Doƈtorum, afferentium onus refidentiæ in præfatis, non effe de jure divino, fed folummodò de ecclefiaftico. Et quamvis Concilium Tridentinum decreverit, debere animarum reƈtores oves fuas pafcere, agnofcere, ac illis Sacramenta adminiftrare &c. (*b*). Nihilominùs præfati Doƈtores opinantur hæc fieri poffe per fubftitutum, ad eaque perfonalitèr adimplenda curatos non teneri de jure divino, fed de ecclefiaftico (*c*), prout etiàm fuperiùs diximus, ubi leƈtorem remittimus (*d*). Porrò fententiam affirmativam obligantem Beneficiarios Curatos ad refidendum de jure divino tenent infiniti Doƈtores, nempè ex Canoniftis *Fagnan. in cap. ex parte de cler. non refid. num. 25. Gonzal. ad reg. 8. Canc. Glof. 24. n. 139. & Glof. 41. n. 8. & Glof. 43. n. 163. Aloyf. Ricc. prax. rer. for. Eccl. ref. 393. num. 5. Garc. de benef. p. 3. cap. 2. num. 16. Barbof. de offic. & poteft. Epifcopi p. 3. alleg. 53. num. 2. & Colleƈt. in Conc. Trid. fef. 23. cap. 1. num. 3. & de off. Paroch. cap. 1. num. 1. Ferret. conf. 32. à num. 14. Letter. de rè benef. l. 3. qu. 27. num. 37. cum aliis, à Vafquez allegatis.*

(a) *Diana par. 10. tr. 14. refol. 68. al. 66. Vel Coord. tom. 9 tr. 1. ref. 70. n. 2.*

(b) *Conc. Trid. fef. 23 cap. 1 de refor.*

(c) *Vid. Azor par. 2. lib. 7. c. 4. f. 495.*

(d) *Vid. fuprà cap. 27 num. 18.*

20. Et ex Theologis. *Barthol. de Martyr. in ftimul Paftor. par. 2. fol. 51. Valent. to. 3. difp. 10. qu. 3. pun. 5. verf. altera fententia. Leff. de juft. & jur. l. 2. cap. 34. dub. 29. num. 153. Genet. theol. moral. to. 2. tr. 1. de benef. num. 7. Thomaffin. vet. & nov. Eccl. difcipl. p. 2. l. 3. cap. 34. num. 3. & 4. Hurt. de refid. fef. 7. num. 12. Suarez to. 4. in 3. par. difp. 44. fec. 4. num. 8. Filliuc. in append. de benef. to. 2. tr. 41. cap. 6. num. 27. Caftrop. tr. 13. difp. 5. Baffæ. in flor. Theol. verb. refid. num. 4. Layman. to. 3. Theol. mor. traƈt. 1. c. 6. qu. 2. num. 3. Natal. Alex. Theol. dogm. l. 2. cap. 6. reg. 33. Charlaf. de libert. Eccl. Gall. lib. 10. cap. 7. num. 4. Reginal. prax. for. pœnit. l. 30. traƈt. 3. num. 53. Navar. in Man. cap. 25. num. 121. Sanch. de matrim. l. 8. difp. 6. num. 5. & in præcept. decal. tom. 1. l. 4. cap. 37. num. 15. Trullench. in decal. lib. 4. cap. 1. dub. 8. n. 2. Molfef. in fum. Theol. moral. traƈt. 6. cap. 11. num. 13. Vivald. in candelab. aur. in append. cap. 9. num. 6. & 7. Poffevin. de off. Curat. cap. 1. num. 1. Homobon. de Bonis in refp. quæft. moral. par. 3. refp. 28. Paul. Comitol. refp. moral. lib. 1. quæft. 59. num. 1. Eman. Sà in aphorifm. Verb. refidentia. Jo. Bapt. Conrad. in refp. caf. conf. quæf. 317. Sanƈtarel. rar. refol. lib. 1. qu. 1. per tot; cum aliis pluribus, & quidèm primæ notæ Theologis, per Vafquez memoratis.*

21. Non obftante tamèn tot Doƈtorum unifonâ voce, adhùc pro negativâ ftant perplures Doƈtores, formitèr contendentes, debitum refidentiæ non ineffe Beneficiariis curatis de jure divino, fed de folo jure pofitivo. Videatur Diana, rem ex propofito difcutiens, & dicens: *Refidentiam non effe de jure divino docent Ambrofius Catharinus Domenicanus, Archiepifcopus Campfenfis in traƈta-*

tractatione quæstionis, quo jure Episcoporum residentia debeatur: Et Thomas Campegius Episcopus Feltrensis, in tractatu de residentiâ Pastorum: hic est ille, quem Card. Pallavicinus vocat, Philippum Mariam Campegium, dicitque, quod audito decreto Concilii Tridentini (*a*), *protestava di contradirvi quanto poteva, sicome haveva fatto per l' addietro* (*b*). Prosequitur Diana dicens: *Idem docuit Alphonsus Salmeronius ex Societate Iesu, & hanc opinionem novissimè ex eâdem Societate docet Pater Andreas Gerundo, de Episcopatu, lib. 2. disp. 1. cap. 4. num. 12. ubi sic ait. Dispensatio autem in residentiâ Episcopi, licèt proprium sibi vendicatura sit locum infrà, nùnc breviter concedenda non est de jure divino, sed de humano: nàm tamesi indissolubilitas radicalis ad jurisdictionem pariter aliquo pacto radicalem subsequens eum aliquâ Ecclesiâ vagè, sit juris divini, ut lib. 1. disp. 1. cap. 4. num. 12. & 14. demonstravimus; actualis tamèn connexio cum hâc certâ Ecclesiâ hujus Episcopi, canonici, atque humani est juris, ad instar matrimonii rati vinculum, imò potest à Pontifice facilius dispensari, ut loco citato diximus, num. 11. juxtà nostram tertiam præsentis capitis conclusionem* (*c*). Profectò magna dignum est perpensione, quod passim DD. Cardinales, & Episcopi abesse cernuntur, ut officio Legati, vel Nuntii Apostolici perfungantur, & quidèm per longum tempus: vel in Romanâ Curiâ commorentur, aut apud Principes consistant, sive negotiis Reipublicæ operam dent (*d*). Hæc autem difficultatem ingerunt judicio, quod residentiæ debitum in rectoribus animarum sit de jure divino.

(a) *Concil Trid sess. 23 cap. 1. de reform.*

(b) *Card. Pallav. Istor. del Concil lib. 21. cap. 12. n 9.*

(c) *Dian p. 10. tr. 14. res. 66 fol. 289.*

(d) *Bonac. loc. cit. punct. 5. n. 9. & 10.*

22. Itàque suas oppositiones, & opponentes habet sententia, quod beneficia, curam animarum habentia, onus residentiæ personalis involvant de jure divino. Quoàd alia verò beneficia, onus quidèm residentiæ habentia, prout sunt Canonicatus, Dignitates, Mansionariæ, & alia beneficia choralia, non verò curata, citrà difficultatem esse videtur, quod eorum possessores non tenentur ad personalem residentiam *de jure divino*, sed solummodò de positivo, (& secundum aliquos etiam de jure naturali, quâ de rè infrà redibit sermo). Conveniunt in hoc Doctores (*e*), ex quibus Natalis Alexander, alioquin solitus ad rigorem propendere, statuit obligationem residentiæ in præfatis Beneficiariis esse de jure ecclesiastico (*f*), idque colligit ex Concilio Tridentino, sanciente, nè Beneficiarii ipsi à suis Ecclesiis absint quolibet anno ultrà tres menses, alioquin fructibus priventur, & alias pœnas successivè incurrant, ibi statutas (*g*). Quibus ità se habentibus, dicimus, quod si onus residentiæ, & ministerii, sive servitii personalis, in Beneficiariis curatis, non sine contradictione asseritur esse de jure divino; Rursus si idem onus in Beneficiariis choralibus, & residentialibus non curatis, communi opinione censetur, quod non sit de jure divino; quomodò quæsò contendi potest esse de jure divino in Beneficiariis merè simplicibus, qui ex generali consuetudine totius Ecclesiæ sunt à residentiæ vinculis absoluti? Numquid major, strictior, rigorosior erit obligatio personalis residentiæ in Beneficiariis merè simplicibus, quàm in Choralibus, & Curatis? Consideret benignus Lector, & judicet. Igitur prò certo statui debet, Beneficiarios merè simplices de jure divino ad nullum servitii, & residentiæ personalis debitum obligari, perperàmque à Contradictoribus prò hâc vanitate probandâ desudari, cum in eâ evidentèr oleum, & operam perdere dignoscantur.

(e) *Azor. inst. mor. p. 2. l. 7. c. 4. §. si iterum. Vasq. opusc. mor. c. 4. § 2. art. 2. dub. 1. n. 179. §. si verò.*

(f) *Natal. Alex. Theol. Dogm. & Mor. tom 2. l. 2. c. 6. reg. 47. fol 24.*

(g) *Concil. Trid. sess. 24 c. 1. de refor.*

CAP.

CAPUT XXIV.

In quo enodatur QUARTA OBJECTIO, *ex Jure Naturali proposita, ad involvendos Beneficiarios merè simplices debito personalis Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 Quarta Objectio *ex jure naturali, quod dictat pacta esse servanda: Eccle- autem vel tacitè, vel expressè pollicita sit residentiam omnium Beneficiariorum.*

2 *Ecclesia non promisit id, quod supponitur ex adverso. Promissio est quid facti, quod non supponitur, sed est probandum.*

3 *Donatio fidelium ad pias causas de se est merè lucrativa, & libera: nec Deus, & Ecclesia deterioris conditionis esse debent in donationibus, quàm sint homines privati.*

4 *Beneficia omnia præsumuntur simplicia, & ex ipsâ solâ juris præsumptione sunt libera ab onere residentiæ. Omne, quod Deo offertur, liberè offertur.*

5 *Etiàm si in donatione bonorum facta Ecclesiis appositum esset aliquod onus, adimpleri potest per alium, nisi conceptum sit cum clausulis adstringentibus personam.*

6 *Si aliqui Beneficiarii simplices onus habent peculiare, possunt id explere per alium, nisi in fundatione dicatur expressè, quod illud debeant per se ipsos adimplere.*

7 *Hanc sententiam docent passim Theologi, & Canonistæ, quià in Beneficiariis merè simplicibus non est electa industria personæ, prout in residentialibus.*

8 *Claudius de là Place volens implicare vinculis residentiæ personalis beneficia merè simplicia, debet probare, quod in illis electa sit industria personæ.*

9 *Ecclesia nunquàm spopondit prò Beneficiario de residentiâ in loco beneficii merè simplicis. Sponsiones, & obligationes non sunt supponendæ.*

10 *In personis privatis promissiones non censentur editæ, nisi de illis constet expressè. Quomodò ergò censeri debent editæ ab Ecclesiâ?*

11 *Vel si sponsio Ecclesiæ attendenda est, lex naturalis ejusdem exigens observantiam, feret, non quod ipsi Beneficiarii resideant, sed quod non resideant.*

12 *Vult Claudius de là Place, quod si non constet de voluntate fundatoris beneficii, hæc deducatur ex signis indicantibus onus residentiæ.*

13 *Multa beneficia merè simplicia talia signa habent, ex quibus dignoscitur, voluntatem fundatorum fuisse, quod Beneficiarii non ibi resideant.*

14 *Aliqua beneficia merè simplicia habent signa functionum in suis Ecclesiis exercendarum, potiùs tamèn pro arbitrio, quàm ex obligatione.*

15 *Etiàm si beneficia illa ab initio fuissent alterius speciei, sufficit, quod à multis annorum centuriis naturam beneficiorum merè simplicium adepta sint.*

16 *Nullus in sensu veritatis asseverat, Beneficiarios merè simplices ad residentiam obligari, de jure naturali. Quid de Curatis, & Choralibus?*

17 *Si non sine difficultate affirmatur, quod obligatio residentiæ personalis in Beneficiariis Choralibus sit de jure naturali.*

18 *Quæstio est, an Beneficiarii teneantur de jure naturæ ad recitandum officium. An verò de solo jure ecclesiastico.*

19 *Refertur doctrina Sanchez indicans Doctores, & motiva, faventia opinioni affirmantium esse de jure naturæ.*

20 *Probabilior est sententia negantium. Quod beneficium detur preter officium, non est conditio, sed modus: datur enim etiam ob alias causas.*

21 *Si non est de jure naturali, quod Beneficiarius officium recitet, quomodò erit de jure naturali residere in beneficiis simplicibus?*

22 *Qui non recitat officium divinum, non debet omnes fructus beneficii respondentes diei omissionis restituere, si tenetur etiam ad alia onera.*

23 *Tenetur non omnes fructus illius diei, quo non recitat officium restituere. Sed solùm partem fructuum, quæ correspondet dictæ omissioni.*

24 *Beneficiarii simplices, si tenerentur ad residentiam; ommittendo officium, non deberent restituere omnes fructus, sed partem solam.*

25 *Iidem si non arctantur ad restitutionem, fructum de jure naturali; nèc etiam tenentur ad residentiam de eodem jure.*

1. OBIICIUNT *quarto loco* Contradictores ex *jure naturali* hoc modo. Si non ex divino jure, saltèm *ex lege naturali*, Beneficiarii merè simplices ad residentiæ personalis debitum obligantur; quippè lex naturalis dictat id, quod sub aliquâ conditione susceptum est, debere conditionis complementum obtinere; & quod illi, qui dat aliquid sub determinato pacto, pactum est naturalitèr observandum. Sed bona per fideles donata sunt Ecclesiis sub conditione, quod sint, & esse debeant stipendium Ministrorum, Deo apud eas deservientium; ipsæque Ecclesiæ, sive Ecclesia recipiens præfata bona, si non expresse, saltem tacitè, pollicita est, Beneficiarios id, quod suprà dictum est, præstituros, vel saltèm ex conjecturis, & signis, quæ in Ecclesiis observantur, ità rem esse coniici potest. Ergò naturalitèr Beneficiarii, proventibus ipsorum bonorum, sub fide Ecclesiæ perfruentes, tenentur personalitèr ministrare, deservire, residere in Ecclesiis, apud quas sua retinent beneficia, uti fusiùs tuetur Claudius de là Place (*a*).

(a) *Claud. de là Place de singul. benef. c. 3. §. 2. argum. 3.*

2. Respondetur *primò*, negando suppositum, nimirùm quod bona per fideles donata sint Ecclesiæ, cum pacto, & conditione, quod Clerici, eisdem perfruentes, debeant apud Ecclesias donatarias residere, & ibi personalitèr deservire; quodque Ecclesia promiserit, vel spoponderit sic implere. Nàm quoàd suppositam promissionem Ecclesiæ, tametsi detestabilis sit in Sacris Scripturis, qui *promissa non complet* (*b*): atque in profanis quoquè dicatur, quod promissa non servans, Deos sibi reddit adversos (*c*); tamen quià promissio est quid facti, onus præferens adimplendum, non est supponenda, sed probanda: ideòque nisi expresse probetur, quod ipsa Ecclesia, Beneficiariorum merè simplicium residentiam, & servitium personale promiserit, non *illaqueata est verbis oris sui, & capta propriis sermonibus* (*d*), ut Beneficiarios ipsos residere, servire, & personalitèr ministrare compellat. Probandum est igitur primo loco istud suppositum, & posteà super ipso fundari poterit argumentum, ex quo deducatur consequentia per Contradictores intenta.

(b) *Proverb. cap. 25. num. 14.*

(c) *Plutarch. in Agesilao.*

(d) *Proverbiorum cap. 6. num. 2.*

3. Pro eoquoquè, quod spectat ad fideles donantes propria bona Ecclesiæ, nisi de opposito expresse constet, eorum donatio censetur merè lucrativa libera, atque ab omni pacto, & conditione nudata. Donatio enim vera, & propriè dicta est illa, quæ non ob aliquam causam, & pactum fit, sed quæ ex solâ libera-

litate completur (*a*), quantumvis rè verâ Donans, in principio contractus, antequàm jus quæſitum ſit Donatario, conditiones, quas voluerit, apponere poſſit (*b*). Sed eâ ſemel peractâ, nullum aliud novum gravamen ei apponere poteſt (*c*). Quarè ſicuti bona per fideles alicui privato donata, niſi evidentèr conſtet de vinculo per donantes adjecto; libera ab omni pacto, & onere reputantur; ità etiam libera cenſenda ſunt bona per ipſos fideles Eccleſiæ donata; niſi expreſsè doceatur de pacto, & conditione, ſive vinculo ſuperadjuncto, & niſi contrà omnia jura velimus, quod Deus, & Eccleſia, quibus ſit donatio ad pias cauſas, ſint deterioris conditionis, quam ſimplices homines, & privati; quod aſſerere non eſt ſapientèr loqui, ſed delirare.

4. Hoc ſanè ſi verum eſt generalitèr de cunctis vinculis, & conditionibus; multò magis verum eſt de onere reſidentiæ, à quâ ſecundùm Doctores beneficia merè ſimplicia ex ſolâ juris præſumptione juſtificantur eſſe libera (*d*), cum etiam cuncta beneficia in dubio eſſe libera præſumantur (*e*), & reputentur eſſe ſimplicia, niſi oppoſitum demonſtretur (*f*). Quinimò nedùm beneficia, ſed etiam quælibet aliæ res, Deo dicatæ, ſive donatæ, liberæ ſunt, & ab omni prorſus immunes onere ſervitutis, de quibus in canone ſcrip tum eſt: *omne, quod Domino conſecratur, ſive fuerit homo, ſive animal, ſive ager, vel quidquid ſemel fuerit conſecratum; Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum* (*g*). Ideò niſi expreſsè conſtet eſſe donata cum aliquo onere; præſumptionem pro ſe habent integræ libertatis. Legat qui vult Formulas Marculfi, aliaſque illi adjunctas: legat amplum Codicem Monaſterii Acutiani, in quibus continentur infinita exemplaria donationum, & teſtamentorum, per quæ fideles bona ſua Eccleſiis conceſſerunt, & modum quem in talibus conceſſionibus obſervarunt; nec inveniet ibi appoſitionem alicujus pacti: ſed cognoſcet bona liberè, liberalitèr, ac merè lucrativè, ſine ullo demùm onere, vel gravamine fuiſſe Eccleſiis conceſſa (*h*). Ubinàm ergò fundandum eſt onus perſonalis reſidentiæ, tamquàm ex pacto, ſi pactum nullum fuit appoſitum.

5. Reſpondetur *ſecundò*, iterùm negando aliud ſuppoſitum, nempè, quod dato etiam, ſed non conceſſo, quod fideles donantes bona Eccleſiis, injunxiſſent onus aliquod pium, apud Eccleſias ipſas exercendum; teneantur Beneficiarii onus illud adeò ſtrictè per ſe ipſos implere, ut non id facere valeant per ſubſtitutum. Nàm donatio facta Eccleſiis, continet quidem virtualitèr onus orandi, ac pia opera exercendi prò anima benefactoris (*i*): ſed quod contineat hoc, vel illud determinatum onus, niſi ſit expreſſum, & quod hoc onus ſit per Beneficiarium Eccleſiæ perſonalitèr adimplendum; hoc non ſubſiſtit. Et ſi non ſubſiſtit quoàd onus tacitum, & virtuale, profectò nec etiàm ſubſiſtit quoàd onus expreſſum, & actuale (ſi de facto in aliquibus caſibus, & beneficiis eſſet adjectum) quatenùs taciti, & expreſſi idem eſt judicium (*l*). Omninò igitur eſt neceſſarium, quod onus ſit expreſſum, & quod ſit conceptum cum clauſulis adſtringentibus perſonam, ſi debet eſſe perſonale; alioquin adimpleri poteſt per alium.

6. Adeòque tametſi aliqui Beneficiarii merè ſimplices, ex pacto expreſſo, per Fundatorem appoſito, tenerentur ad miſſas aliquas celebrandas, vel ad anniverſaria perſolvenda, feſta ſolemnizzanda, eleemoſynas diſpenſandas, vel alia pia opera exequenda; quoties in fundatione, ſive pacto convento non eſt appoſita clauſula *per ſe ipſum*, ſeu alia dictio equivalens, perſonalitatem concernens, nunquàm Beneficiarius ex juſtitiâ, & æquitate adſtringi poteſt ad onus illud ex ſe perſonalitèr adimplendum (*m*); cum illud valeat pro ſuo arbitrio per alium à ſe ſubſtitutum obire: prouti declaravit pluries Sacra Congregatio, & præſertim hoc decreto: *Capellaniam habens non tenetur promoveri ad Sacerdotium, niſi in fundatione cautum ſit, at Capellanus per ſe ipſum miſſas in Eccleſiâ celebret, ſed debet curare, ut per alium Miſſæ in illâ celebrentur* (*n*). Et alibi: *Capellaniam obtinens non poteſt compelli ab Epiſcopo, ut ipſemet celebret, licèt in ejus ſun.*

(a) *Barboſa tr. var. Appell. 83. nu. 1. Fagnan. in c. prudentes n. 5. de Donat. l. 3.*

(b) *Gratian. diſcept. for. c. 82. n. 33. Barboſ. repert. pract. concluſ. V. Donans.*

(c) *De Luca de Donat. diſc. 38. n. 13.*

(d) *Lotter. de re benef. l. 2. qu. 4. n. 40.*

(e) *Verol. dec. 130. n. 2. p. 2. Mant. dec. 388 n. 3. Barboſ. jur. Eccleſ. univ. l. 2. c. 4. n. 42.*

(f) *Ludoviſ. dec. 185 n. 3. Barboſa in c. 3. n. 3. de Cler. non reſid.*

(g) *Cap. nulli 3. canſ. 12 qu. 2.*

(h) *Vide ſuprà to. 3. ſ. 16. n. 14. 16. 17.*

(i) *De Luca de Donat. diſc. 14. num. 13. § Clarius.*

(l) *L. cum quod ff. ſi certum petatur. l. ult. ff. de legat. l. item quia ff. de Pact. Covar. in c. quamvis pactum de pact. l. 6. p. 2. n. 6. Barboſ. Axiom. 218. n. 1.*

(m) *Vid. Borel. ſum. deciſ. to. 2. tit. 10. nu. 6. & tit. 20. n. 93. & 253.*

(n) *Sac. Cong. apud Garciam de benef. p. 7. c. 1. n. 87. et 93. Barboſ. ſum. Apoſt. deciſ. collect. 121. n. 13.*

fundatione disponatur, quod Capellani celebrent: quod istis oneribus rectè per substitutos satisfit (a). Alia decreta similis tenoris suprà retulimus; undè illùc benignum Lectorem remittimus (b).

7. Hancque sententiam inconcussè tuentur passim Theologi, & Canonistę, & præsertim Tabienna, Armilla, Selva, Lapus, Innocentius, Gratianus, Borellus, & alii apud Perez de Larâ, de Capellaniis, qui quæstionem hanc ex proposito pertractat (c), eidem rationi innixi, quod onera hęc optimè valent per substitutum adimpleri. Et ratio hujus rationis est, quia ad hęc onera adimplenda non est electa industria personæ, cum sufficiat ea per alium impleri, quasi utroque modo satisfiat menti, & animę disponentis (d). Ubi ex opposito id non habet locum in beneficiis residentialibus, & curatis, qui tenentur propria officia per se ipsos personalitèr exercere, quià in illis electa est industria personæ, prouti decrevit Concilium Parisiense hâc sanctione: *Rectores Ecclesiarum, quorum singularis electa est industria, compellantur per suffraganeos nostros, quoàd fieri potest ad personalem residentiam: neque cum illis de non residendo, nisi causâ probabili intercedente, dispensetur &c.* (e). Et ità Argumentum in objectione positum ad summum probat pro beneficiis, & Beneficiariis curatis, choralibus, aliovè titulo residentialibus, quorum electa est industria, ut personalitè r administrent, atque deserviant Ecclesiis, in quibus eorum erecta sunt beneficia.

8. Per quod etiam corruit opinio Claudii de là Place ex adverso allegata, dicentis: *existimo autèm, dato mihi quovis judice idoneo, nec præjudicati quicquam in contrarium afferente, idem planè convinci, & comprobari posse, de beneficiis omnibus, curam animarum non habentibus, sive ut vocant simplicibus, puta Abbatiis in commendam perpetuam datis, Prioratibus, Capellaniis, & aliis similibus, quod de Canonicatibus, & beneficiis duplicibus est demonstratum, eâdem nimirùm ratione, & lege naturæ pro utrisque militante, quam ex pactis, conventisque fundationum, & fide, & munere necessariò beneficiorum repetivimus, statuentes, nemine reclamante, beneficium dari propter officium* (f). Petitâ veniâ dicimus, quod errat, sive hallucinatur supponendo in beneficiis merè simplicibus pacta, & onera, quæ non sunt: & si quæ adsunt, non sunt personalia, nisi expressè talis personæ industria requiratur. Itèm supponendo, quod officium, propter quod eis datum est beneficium, consistat in operibus personalibus præcisè apud Ecclesias suas exercendis, & non in recitatione Divini Officii ubilibet complenda, prouti suprà fusiùs ostendimus. Errat, inquam, hæc supponendo, quæ sunt probanda, sed nunquàm probari poterunt. Neque currit paritas inter Beneficiarios curatos, chorales, & residentiales, cum Beneficiariis merè simplicibus, quià in illis electa est industria personæ, ut ex se personalitèr, & non per interpositam personam debeant munera propria adimplere: in istis verò industria personæ non est electa; ideòque illi tenentur ad residentiam, & personale servitium, non verò isti.

9. Respondetur *tertiò*, denuò negando aliud suppositum, quod est tertium, & retorquendo argumentum, supponitur enim (prout suprà tetigimus in primâ responsione) quod Ecclesia spoponderit pro Beneficiario de serviendo, residendo, & personalitèr ministrando in loco, ubi erectum est beneficium; quod non est: nec Ecclesia unquàm hoc spopondit, neque id spondere fortè somniavit. Profectò ad hoc ut promissio sit obligatoria, non sufficit, quod sit solo animo concepta, sed debet etiam verbo, aut nutu, aut alio externo signo esse declarata (g): quià homines non obstringunt se aliquâ obligatione, nisi humano modo, qui est per consensum alteri declaratum verbo, vel nutu, vel alio signo externo, vel interventu alicujus rei. Homines enim, qui tantùm vident ea, quæ parent (h), non agunt inter se solis consensibus internis, qui naturâ suâ latent, sed consensibus exterius declaratis (i). Quapropter nisi intervenerint signa exteriora, quæ patefecerint mentem Ecclesiæ obligandi Beneficiarios ad residentiam, &

(a) *Sac. Congr. apud Gonzal. ad reg. 8 Canc. glos. 5 n. 84. Barbos. loc. cit. n. 11.*

(b) *Vide suprà in hoc tom. cap. 16.*

(c) *Perez de Lara de Capellaniis fol. 198 num. 7.*

(d) *Lapus alleg. 35. Gratian. disc. for. c. 73. n. 10 & c. 133. num. 2. Barbos. in c. significatum 11. n. 4. de præb. tom. 2.*

(e) *Conc. Paris. ann. 1528. can. 21.*

(f) *Claud. de la Place de singul. benef. c. 3. §. 1. argum. 3.*

(g) *Vid. S. Thom. 2. 2 qu. 88 art. 1. Sanchez de matrim. l. 3. disp. 3. num. 5.*

(h) *1. Regum c. 16. num. 7.*

(i) *Reginal. l. 25. c. 6. sect. 2. n. 74.*

& perſonale ſervitium in locis, in quibus erecta ſunt beneficia, in vanum laboratur pro hâc promiſſione fundandâ. Nàm ſi promiſſio, ſponſio, fidejuſſio in rebus civilibus, & profanis non ſupponuntur: quomodò ergò ſupponi poſſunt in rebus Eccleſiaſticis, atque ſacris?

10. Rursùs ipſę promiſſiones à perſonis privatis non cenſentur editæ, niſi de illis conſtet expreſsè: quomodò igitur cenſendæ ſunt editę ab Eccleſiâ, ſi de illis nullum documentum detur expreſſum? Admitterentnè Contradictores hanc ſuppoſitam ſponſionem Eccleſiæ in præjudicium beneficiorum ſuorum, ſi ipſi eadem poſſiderent? Submitterentnè ſe oneri perſonalis ſervitii, & reſidentię, ſolo fundamento præfatæ ſomniatæ ſponſionis, ſi ipſi beneficia merè ſimplicia, & libera retinerent? Nèc facit ad rem, ſi fortè ſcriptum ab aliquo reperitur, quod Eccleſia recipiendo bona, ſe tacitè adſtrinxerit tali ſponſione, & victualitèr promiſerit ſervitium perſonale Beneficiariorum merè ſimplicium; nàm hę ſunt cantilenæ gratis pronuntiatæ, quę vel reſolvuntur in cavilloſas ſpeculationes; vel in politicas adinventiones, ad impetrendam libertatem eccleſiaſticam excitatas. Vel fortè erunt pię meditationes ab aliquo viro ſimplici excogitatę ad compungendos Beneficiarios, non verò ad juris, & rei veritatem ſinceris terminis exponendam. Eccleſia etenim, bona Deo dedicata ſuſcipiens, nihil donatori ſpondet, nihil benefactori promittit, niſi ad ſummum victualitèr, pro benefactore Deum orare (a). Nèc pollicetur bona ipſa applicare juxtà intentionem in mente dantis latentem, ſed juxtà patentem illius voluntatem, ſi eam expreſſit: ſi verò non expreſſit, ſolùm pollicetur eademmet bona applicare juxtà regulas, ab ipsâ Eccleſiâ ſtatutas, & obſervatas.

(a) *Card. de Luca Domat. diſc. 34. num. 3. & Clarius.*

11. Quo poſito retorquetur argumentum adverſus Contradictores: Nàm ſi attendi debet ſponſio facta ab Eccleſiâ in acceptione bonorum, Deo à fidelibus oblatorum; cum tota Eccleſia, per totum orbem diffuſa, ità recipiat præfata bona, in beneficiis merè ſimplicibus convertenda, ut (niſi aliud expreſsè à donatore caveatur in contrarium) Beneficiarii merè ſimplices iiſdem perfrui valeant ſine ullo onere ſervitii perſonalis, & reſidentię, Eccleſiis exhibendę, ubi erecta ſunt beneficia: & ità decernant Canones, ità Concilia, ità Sacrę Congregationes: ità demùm ferat uſus generalis, & ſtylus, quo Eccleſia ſe regit, quem frequentat, cui inhęret, cujus obſervantiam cuſtodit; Sequitur, quod Eccleſia, ſuſcipiendo ipſa bona, non ſpopondit onus reſidentię Beneficiarii, ſed potius ejuſdem exemptionem ab onere reſidentiæ. Et cum lex naturalis expoſcat, ut pacta, & ſponſiones editæ obſerventur, evenit, quod ex lege naturali, Beneficiarii merè ſimplices ſunt à reſidentię, & ſervitii perſonalis debito immunes.

12. Reſpondetur *quartò*, rurſus retorquendo argumentum adverſus Contradictores, reſpectu ad ſigna, & conjecturas, quibus utuntur: nimirùm quod ſi deſunt publica inſtrumenta erectionis beneficiorum ſimplicium, quæ reſidentiam Beneficiariorum ſpecificent; perpendatur, an adſint baſilicæ, ædes ſacrę, altaria, nolę, æneæ, cœmeteria, domus, ædificia, eorumve ruinæ, aliæque notæ, ſumptę ex Claudio de là Place, qui hac apoſtrophe ſimplices Beneficiarios effatur: *Hæc ſunt ſigna jam, & monumenta certa, quod Fundatores illic te beneficiariè ſimplex ſacris operari, miniſteria tua præſtare, ſtipendia tua mereri voluerunt, non in urbibus primariis, in aulâ, in alienis ejuſmodi occupationibus, gratioribus, commodioribuſque, quibus certè nemo unquàm affingat, imputetque, quod voluerint illi te ſuis ſtipendiis ſervire, aut comitatum præbere, & de ſuo luxuriari, & ſuperbire, aut ſuis certè commodis, aut privatis negotiis (nàm minima de malis præſcribo) ſpretâ, & violatâ tuâ voluntate ſufficere: de ſuo, inquam, quod illi piè ad ſacros uſus Divini cultus, precum, auxiliorum ſpiritualium, bonę converſationis, exempli, vel ædificationis ſuorum, vel civium, vel ſubditorum, ac vicinorum, Deo voverunt, ac dedicarunt* (b).

(b) *Claudius de la Place de ſingular. beneſ. c. 3. §. 2. argum. 3.*

13. Retorquetur inquam argumentum. Nàm de factò major pars beneficiorum merè simplicium erecta sunt non in Ecclesiâ suâ peculiari, sed in aliquo ex pluribus altaribus alicujus Ecclesię, vel in aliquâ Ecclesiâ campestri, & solitariâ, non habente domum adjacentem, non cœmeterium, non campanam, non sepulturas, non baptisterium, non tabernaculum, non pulpitum, & similia; neque ut plurimùm beneficium tot reditus fructificat, quot sufficiunt ad alendum congruè Sacerdotem, aut Clericum illius possessorem, juxtà sui status convenientem rationem: Rursus, quantitas ministerii ibi præstandi, vel nullum esse constat, vel satis exiguum, uti est celebratio unius missæ quolibet anno, vel singulis mensibus; solemnizzatio unius anni festi &c. Si hæc ergò signa, & notæ sunt attendendę; profectò inferendum est, quod Fundatores noluerunt, ut Beneficiarii personalitèr inibi ministrarent. Et si Fundatores id noluerunt; non est contrà legem ullam, quod Beneficiarii non resideant; Sed potius quod urgeantur ad residendum, id est contrà legem naturæ deposcentis nullum onerandum esse pondere, quod non habet.

14. Et licèt è contrario aliqua etiam beneficia merè simplicia sint, quæ habent propriam Ecclesiam, urbanam, vel ruralem, commodam, & decentem, cum ædibus adjacentibus, campanâ; & fortè cum sepulturis, etiam vel tabernaculo, aut pulpito, notisque similibus; tamèn hęc non sunt signa onus residentię, & servitii personalis convincentia, sed solum, quod ibi munera, per illas notas indicata, possint, vel debeant pro arbitrio, vel ex obligatione, cum debitâ respectivè licentiâ, exerceri. Vix attamèn plura ex his fient ex obligatione, quippè eo ipso, quod Ecclesiæ illæ subsunt alicui Parochiali, in quâ Sacramenta ministrantur, Verbum Dei prædicatur, Christianorum cadavera tumulantur, & aliæ sacrę functiones adimplentur; non est necessarium, quod hæc eadem in propriâ Ecclesiâ per Beneficiarios quoque merè simplices exerceantur; quinimò perplura ex præfatis muneribus, quæ spectant ad officium parochiale, liberè non valent sine ipsius parochiæ, vel illius superioris, auctoritate compleri. Et utcumque sacræ istæ functiones ibi debeant exerceri, non sunt tales, quæ à Beneficiario ità personalitèr sint adimplendę, ut non possint per alium ab eo delegatum obiri. Etenim ex tristissimâ regulâ, qui per alium facit, per se ipsum facere censetur (*a*); cur autèm Axioma istud, legale, theologicum, ethicum, morale, ac politicum, in præfatis functionibus locum non habebit?

(a) *Vide jura, & DD. ap. Barbos. tract. par. Axiom. 92. n. 1.*

15. Præterquàmquod sive beneficia illa ab initio fuerint erecta in beneficia merè simplicia, sive in alterius speciei; hoc unum est, quod jàm ab immemorabili, & à multis annorum centuriis, vel transierunt, vel alio modo pervenisse noscuntur ad naturam beneficiorum merè simplicium: eorum conditionem induerunt, adeòque ipsorum etiam legibus subiiciuntur, quę Beneficiarios merè simplices ab onere ministrandi personalitèr, & residentię personalis debito prorsus absolvunt, dummodò Divinum Officium recitent, & si quas alias obligationes habeant, vel exequantur ex se ipsis, vel faciant per substitutum fideliter adimplere. Spatium quadraginta annorum sufficit ad præscribendum statum beneficii (*b*): talitèr ut de unâ ad aliam transeat conditionem (*c*). Cur autèm non sufficient nedùm quadraginta, sed imò centum, ducentum, trecentum anni, & ultrà, ad pręscribendum statum beneficiorum merè simplicium cum suis qualitatibus, tametsi fortè ab initio talia non fuissent? Corruit ergò totalitèr vis argumenti, contendens esse de jure naturali, quod Beneficiarii merè simplices, residentiæ personalis vinculis implicentur. Non sine difficultate transit, an Beneficiarii curam animarum exercentes teneantur ad residentiam personalem ex præcepto juris naturalis: Nàm Paulo Suavi obloquenti de Concilii Tridentini decreto, edito circà residentiam Curatorum, & dicenti, quod Synodus, *pronunziò solo quel, ch'era chiaro, essendo evidente per legge naturale, che niuno si può assentare dal suo uffizio, se non per legitima cagione*; Cardinalis Pallavicinus

(b) *Fuseus de visit. l. 2. cap. 16. n. 14. Sanch in præcept. Decal. lib 7. c. 29. n 16. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 3. c. 4. n 46*

(c) *Lotter. de benef. l. 3 qu 8. n. 110. Barbos. loc. cit. n. 44. cum aliis.*

ità

ità respondet: *dove hà trovat'egli quel si chiaro divieto della legge naturale, che niuno s'assenti dal suo offizio senza legitima cagione? Quanti uffizii sono, che s'amministrano bene anco in assenza, sopraintendendo con le informazioni, e con le ordinazioni, ed'operando per sustituti (a)?*

(a) Card. Pallavic. Istor. del Conc. lib. 21. cap. 13. n. 18.

16. Non plenâ ergò facilitate, nec sine aliquâ ambiquitate statuendum erit, quod Beneficiarii curam animarum habentes, ad residentiam personalem obligentur ex præcepto juris naturalis. Multò minus id ponendum est de Beneficiariis merè simplicibus. Et sanè vix ullus ex Doctoribus (nisi fortè aliquis nimio zelo raptus) eo usque in verbo progressus est, ut doctrinalitèr, ac partes veri Theologi, vel Canonistæ, seriò scribentis agens, in sensu veritatis affirmaverit, Beneficiarios merè simplices, ex jure naturali, ad personalitèr serviendum, ministrandum, & residendum apud Ecclesias beneficiorum, quæ possident, obligari. Aliqui hoc dixerunt habere locum in beneficiis Episcopalibus, Parochialibus, & quocumque nomine nuncupentur, curam animarum habentibus; contendentes eorum retentores, & Beneficiarios ad residentiam, & servitium personale jure naturali obligari (b). Alii hoc idem onus ingerunt etiam beneficiis choralibus, sive aliâ ratione residentialibus, adeò ut nedùm Curati, verùm etiàm Canonici, Archidiaconi, Prępositi, Mansionarii, Capellani &c. choro addicti, vel alio personali onere adstricti (c), teneantur ad residentiam de jure naturali. Verùm hęc ultima pars sine difficultate magnâ non transit, ut ex ipsâ lectura Gabrielis Vasquez, in margine citati, enitescit; cum Beneficiarii chorales non ex jure naturali, sed ex solo jure canonico videantur ad residentię personalis debitum obligati.

(b) Vasquez opusc. mor. de benef. c. 4. §. 2. art. 2. dub. 1. f. 454 cũ aliis suprà relat. in hoc tom. c. 23. n. 19. & 20.

(c) Natal ab Alex. Theol. dogmat. tom 6. l. 2. c. 6. reg. 33.

17. Nàm si Beneficiarii chorales ad residentiam personalem tenerentur ex præcepto juris naturalis; non posset Pontifex cum illis dispensare, prout facit interdum. Imò illum nec etiam dispensare in pręcepto naturali dicunt Doctores, quando cum Beneficiario curato super debito residentię personalis dispensat (d). Rebusque ità se habentibus, nos ponderamus, quod si de jure naturali, sive lato modo, sive strictè considerato, vel non est, vel ægrè, ac non sine difficultate dicitur, quod sit obligatio residentię personalis in Beneficiariis choralibus: hique propterea non valent arctari ad onus ministerii, ac servitii, & residentiæ personalis, *ex lege naturali*; quomodò quęso ex eâdem lege ad id arctare poterimus Beneficiarios merè simplices, qui de naturâ suâ, & de more per totam Ecclesiam observato, ab omni residentiæ debito sunt exempti? Nunquid majus est onus Beneficiariorum merè simplicium, quam choralium, & residentialium? Nunquid strictiùs, onerosiùs, & efficacius est jus naturæ quoàd illos, quàm quoàd istos? Perpendat benignus lector, & judicet.

(d) Diana p. 10. tr. 14. res. 68 vel 66 & in coord to. 3. tr. 3. res. 70.

18. Nec pigeat attendere indictioni, quam hìc opportunè subjungimus. Quæstio est inter Theologos, an Beneficiarii teneantur de jure naturæ ad recitandas horas canonicas, & non eas recitando, ad restitutionem fructuum obligentur, stando in solo jure naturæ, antè decretum Concilii Lateranensis V. quod sic præcipit: *statuimus, quod quilibet habens beneficium cum curâ, vel sine illâ, si post sex menses ab obtento beneficio Officium Divinum non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciant pro ratâ omissionis recitationis officii, & temporis, sed eos, tamquàm injustè perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur &c.* (e). Et quia in dubium vocabatur, an sanctio ista esset usu recepta (f): Dubium sustulit S. Pius Papa V. suâ expresîâ constitutione super hoc editâ (g). Veruntamèn utraque sanctio Lateranensis, & Diana obligant quidem ad id Beneficiarios, tàmquàm leges ecclesiasticæ, non verò ut de jure naturali statuere id videntur. Itàque ad quæstionem divisa est sententia Doctorum, aliis affirmativam, aliis verò tuentibus negativam: quâ de rè sic habet ex proposito Sanchez.

(e) Concil. Later. V. sess. 9. § statuimus.

(f) Sotus de just. & jur. l. 6. qu. 1. ar. 6. ad 1. Sanch opusc. mor. lib 1. c. 2 dub. 82. n. 2. & 8.

(g) S. Pius V. Papa Const. 135.

19 Du-

19. *Duplex est sententia. Prima dicit teneri restituere etiam stante jure naturali. Probatur, quià beneficium datur propter officium cap.fin.de rescript.in 6. Sed officium maximè proprium Clerici est recitare horas canonicas, ergò qui id non præstat, tenetur jure naturali restituere quod illi datum est propter hoc. Sic Sotus lib.10. de just. qu.5. art.6. Covarruvia lib.3.var.cap.131.num.10. Jul.Clar. pract.crim.lib.5.§.fin.qu.73.vers.paritèr etiam. Calderin.cap.1. de celebrat.Missarum, Dominicus cap.fin. de rescript.in 6. & ibi Francus num.4. Baldus l.1.C. de his, quibus ut indig. in 1. Jason.l. scriniarios C. de testam.milit.num.6.Decius cap. cum omnes de const. Ripa l.fin.C. de revoc. donat.qu.66. Angelus Verb.Hora num.11. Adr. 4. materia de restit. qu. an Clericus teneatur restituere, quod ultrà victum de reditibus beneficii consumpsit. Vers. Prò responsione. Et hanc sentit tutiorem glossa pragmat. sanction.tit.qualitèr horæ canonicæ sint dicendæ. Licèt enim ferè omnes hi Doctores non explicent, quod jure naturali teneatur Beneficiarius non recitans restituere; at dicunt teneri restituere, & non meminere decreti Concilii Lateranensis: Undè videntur sentire antè tale decretum, stando in jure naturali, teneri restituere. Idem tenuere quidam docti Neoterici in suis scriptis. Idem de habentibus beneficium simplex tenet Navarra l.2. de restit. c.2. num.197. Secùs de Curatis, quià habent alia ministeria. Et cum naturâ tenet Aragonius 2.2.qu.83.art.13.f.867. (a).*

(a) *Sanchez opusc mor l.2.cap.2.dub.8. num.2.*

20. Ità Sanchez, referens opinionem affirmativam. Deindè prosequitur. *Secunda sententia dicit, quod stando in jure naturali, & secluso decreto Concilii Lateranensis, non tenetur restituere fructus Beneficiarius non recitans. Probatur, quià nullus textus id præcipiebat, & nulla est ratio id convincens: quod enim beneficium detur propter officium, id non convincit, quià respondet optimè Sylvester ubi infrà, primò quod beneficium non datur simplicitèr, & omninò propter officium, sed etiam ut Clericus assumptus in partem Domini, de patrimonio Domini vivat, & non mendicet cap. Diaconi 93. dist.c.1. de præb. Item quià non solum horæ canonicæ sunt officium, propter quod datur beneficium, sed ministratio Sacramentorum, Consiliorum, & Verbi Dei, & decantatio divinorum, tempore quo populus confluit, & deniquè ut Beneficiarius celebret, & faciat cætera ordinis Sacerdotalis. Itèm beneficium non datur propter officium, ità ut propterea importet conditionem, sed importat modum, & sic illo non adimpleto, non sunt restituendi fructus. Hanc tenent Præpositus in Summâ 44. Driedo l.2. de libert. Christ.cap.4.pauld post princip. Navar.cap.quando cap. 7.num.31.&cap.10. Hisp. num.37. & Lat. cap. 21.num.58. Sylvest. verb. Hora in fin. & verb. Clericus 4. qu.23. Panorm. & Cardin.cap.1. de celeb.Miss. Felyn. cap. postulasti de rescript. num.7. Rosel. Clericus 4. num. 23. Tabien.beneficium 3. num.11. & V. restitutio num. 19. Arm. V. beneficium num.69. & V. Clericus num.27. D. Antonin. 2.p. tit.2.cap.4.fine & plures alii DD. quos refert Sylvest. ubi suprà dicent, esse ferè omnium. Et hæc est communis sententia, ut docet Covar. ubi suprà. Itèm tenuere nonnalli valdè docti recentiores. Et hæc sententia est probabilior (b).*

(b) *Thomas 31. Sanchez. loc.cit.n.2.*

21. Igitùr communis sententia, & probabilior, ac ferè omnium est, quod Beneficiarii non teneantur ad horas canonicas persolvendas, & restituendos fructus omissioni respondentes, de jure naturali, sed solùm de jure ecclesiastico, per Concilium Lateranense V. & S. Pium Papam V. præfatos edito, sive declarato, cum hoc anteà in jure expressum non esset (c). Si autèm res ità se habet, quomodò quæso firmari potest, quod sit de jure naturali residere, & servire personalitèr in Ecclesiis beneficiorum? Principalius onus Beneficiarii est Divinum Officium persolvere, quàm residere, quià ab hoc aliqui eximuntur; ab illo verò nullus. Ergò si illud, quod est principalius, de jure naturæ non est; nec etiam erit hoc, quod est minus principale. Et si res ità se habet quoàd beneficia residentialia, quid àmabo dicemus de Beneficiariis merè simplicibus? Profectò cæteris paribus videretur magis contendendum, esse de jure naturali in Beneficiariis

(c) *Sanchez opusc. mor.l.2.cap.2.dub.58. num.1.*

ciariis merè ſimplicibus Officium Divinum perſolvere, & non perſolvendo; fruƈtus reſtituere, quam reſidere, & ſervire perſonalitèr, quià beneficium ſemper, & indiſpenſabilitèr datur propter officium (*a*), quod præcipuè in ſacrâ pſalmodiâ conſiſtit (*b*); reſidere verò, & ſervire perſonaliter in loco determinato, non ſemper injungitur, ſed ſolùm ubi, & quotiſè eſt eleƈta induſtria perſonæ, quod non accidit in Beneficiariis merè ſimplicibus. Ergò ſi de jure naturali non eſt, quod Beneficiarii merè ſimplices horas canonicas recitent &c. multò minus erit, quod perſonalitèr reſideant, & miniſtrent.

(a) *Cap.ſin.de reſcr. in 6. Barboſa jur.Ecclef.univ.lib.3.Cap.4. n.14.cum aliis ibi.*

(b) *Garc. de beneſ. p.1.c.2.nu.60. & p.7. c.11.nu.1.Barboſ.loco cit.&c. & ſum.Conſt. Apoſt.Colleƈt.64. n.5.*

22. Et quià de fruƈtuum reſtitutione ſermonem habuimus; ponderemus nùnc aliam diſputationem, quæ fieri ſolet inter Doƈtores: an Beneficiarius non recitans Divinum Officium, teneatur fruƈtus beneficii reſtituere integros, an verò pro illâ ſolâ parte, quæ correſpondet præfatæ recitationis, deduƈtâ aliâ parte, vel partibus, quæ correſpondent aliis obligationibus, ſi quas habeat ipſe Beneficiarius. Et quamquàm pauci quidam ad reſtitutionem integram, ac totalem proventuum inclinare videantur (*c*); Tamèn meliùs, probabiliùs, & communiùs, docent Auƈtores, ut inquit Sanchez, *quod non tenetur reſtituere omnes fruƈtus Beneficiarius non recitans, quando beneficium habet aliud miniſterium, ut reſidentiam, vel obligat ad aliquot ſacra facienda, vel ad curam animarum &c. Sed deducenda eſt illa pars, quæ judicio prudentis correſpondet aliis miniſteriis, & cæteri fruƈtus ſunt reſtituendi pro ratâ omiſſionis. Probatur, quià cum beneficium illud detur non tantùm propter officium illud recitandi horas canonicas, ſed etiam propter alia miniſteria; ratio ipſa poſtulare videtur, ut ob id, quod non recitat, non teneatur omnes fruƈtus reſtituere, ſed tantùm qui arbitrio prudentis correſpondent illi miniſterio recitandi: ergò Concilium Lateranenſe ſic eſt intelligendum* (*d*).

(c) *Suar. de Relig. l.4.de hor.canon. c.30. n. 6. Navar. in ſum. c.25.num.111.*

(d) *Sanchez conſc. mor. l.2. c.2. dub 83. num 3.f.140.*

23. Ità pro negativâ ſuggerit, & quidem fundatiſſimè Sanchez: deindè roborat ſententiam ipſam his, quæ ſequuntur, validiſſimis rationibus. *Confirmatur. quià ipſummet decretum Concilii Lateranenſis affert hanc rationem ad obligandum Beneficiarium non recitantem ad reſtituendum fruƈtus, quod beneficium datur propter officium: ergò quando eſt aliud officium, debet deduci, quod correſpondet illi. Itèm quià pœnæ ſunt reſtringendæ juxtà cap. odia de reg.jur.in 6. Sed iſta eſt pœna; ergò reſtituenda eſt ad modum diƈtum: maximè quià talis reſtriƈtio eſt nimis conformis juri naturali. Itèm probatur, quià nemo militat ſuis ſtipendiis unquàm, & jus naturæ poſtulat, ut laboranti detur merces. Itèm probatur, quià Concilium dicit, quod amittat fruƈtus non recitans: ſed fruƈtus intelliguntur in jure, qui remanent deduƈtis expenſis, ut dicunt, omnes juris periti ex l. 1. C. de fruƈt. & litium expenſ. Navar. ſum. cap.17.num.25.215.216. Sylveſt.& Summiſtæ V. fruƈtus. Covar. alios referens l.1.var.cap.3.num.3. Pinellus l.1. C. de bonis mater. 2. p. num.14. ergò fruƈtus, quos parochus tenetur reſtituere ob omiſſionem horarum, non comprehendunt illos, qui propter aliàs impenſas, & miniſteria debentur. Idem tenet Nerina in ſum. l.1.cap.14.§.11. Idem Enriquez de excommunicatione cap.13.num.2. Manuel.1.tom.Summæ c.143. n. 4. Idem Aragonius 2.2. qu.83.art.12.& alii.*

24. Quibus relatis, & ſeriò ponderatis, Sanchez pronuntiat ſententiam ſuam ſub hâc formâ: *Sit concluſio. Hæc ſecunda ſententia eſt multò probabilior, & ampleƈtenda, ut patet ex ejus rationibus, & Authoribus. Nec obſtat motus proprius Pii V. quià licèt ille obliget ad reſtituendum etiam pro unâ die, imò etiam pro qualibet horâ, quæ omittatur poſt ſex menſes à collatione beneficii, ut reƈtè probat Suarez ſuprà num. 10. 11. & 12. non tamen eſt receptus in hoc rigore, ut obliget ad reſtituendos omnes fruƈtus beneficii, ſeu beneficiorum: Sed ſolùm ad eos, qui correſpondent recitationi, & qui propter illam dantur, ut teſtantur multi viri doƈti, & praxis timoratorum* (*e*). Hęc Sanchez, non arbitrariè loquens, ſed fundamentis innixus tàm rationis, quàm auƈtoritatis Doƈtorum, quæ probabilita-

(e) *Thomas Sanchez loco cit.n.3 f.141.*

litatem opinionibus inferunt, tùm intrinsecam, tùm extrinsecam. Beneficiarii ergò simplices, horas canonicas non recitantes, tenebuntur ad integram restitutionem fructuum, quià prętèr Divinum Officium ad aliud non adstringuntur, per se loquendo, nisi fortè per accidens, ad aliquod aliud opus pium, ex particulari pacto in erectione, vel alitèr legitimè apposito, teneantur. Si autem velimus, quod etiam teneantur ad residentiam personalem; sequetur, quod, intermittendo Divinum Officium, non tenebuntur ad restituendos cunctos fructus, sed partem tantùm illorum. Hoc autem non videtur adeò de facili concedendum.

25. Qui sanè Beneficiarii, si ad restitutionem fructuum non arctantur ex jure naturali, tametsi teneantur de jure ecclesiastico, uti superiùs ostendimus; sequitur, quod nec etiam de jure naturali teneantur ad onus residentiæ, servitii, & ministerii, personalitèr exhibendi Ecclesiis, sive altaribus, sive locis, in quibus eorum erecta sunt beneficia. Si igitùr volumus sincero animo veritatem fateri, supervacaneus, & inanis est conatus Contradictorum, volentium, quod de jure naturali Beneficiarii merè simplices ad residentiæ debitum coarctentur, quos tot rationes, in præsenti Capitulo congestę tuentur, & illa præsertim, quod nec etiam ipsi Beneficiarii, alioquin residentiales, ad residendum, serviendum, & ministrandum personalitèr adstringuntur, tamquàm de jure naturali. De quo jure cum plura alia supersint sequenti Capitulo differenda; subsistimus jàm nùnc, & calamum temperamus, ac pausam aliquam facimus, ut ea, quę supersunt, breve post intervallum temporis prosequamur.

§ § §
§ §
§



CAPUT XXV.

In quo evacuatur QUINTA OBJECTIO, *paritèr ex Jure Naturali proposita, ad obligandos residentiæ personalis onere, merè simplices Beneficiarios.*

SUMMARIUM.

1 Quinta Objectio, *quod fructus beneficii sunt merces, quæ de jure naturali non debetur nisi operanti: hoc autem non faciant Beneficiarii simplices.*
2 *Reditus Beneficiorum merè simplicium sunt merces operantium personalitèr quoàd recitationem DiviniOfficii, & per sè, vel per alium quoàd alia onera.*
3 *Sunt merces diverso respectu quoàd onera beneficii debita operanti, vel personalitèr, vel per substitutum.*
4 *Populi tribuunt Regi Vectigalia, tamquàm regiminis mercedem, & tamèn Rex non semper populos ex se regit, sed etiam interdùm per suos substitutos.*
5 *Multi Reges, & Principes, habent Regna, & Provincias, nunquàm ab illis visas, & tamèn indè percipiunt exactiones, tamquàm mercedem sui regiminis.*
6 *Reditus beneficii merè simplicis sunt merces Beneficiarii, non tamquàm servientis Ecclesiæ beneficii, sed Ecclesiæ ut sic, generalitèr sumptæ.*
7 *Beneficiarius simplex potest ordinari pro servitio aliarum Ecclesiarum, diversarum ab illâ, in quâ erectum est ipsum beneficium.*
8 *Ad fruendum privilegio fori sufficit, quod Clericus alicui Ecclesiæ deserviat, etiam non designatæ ab Episcopo, quià omnes Ecclesiæ sunt una Ecclesia.*
9 *Negatur suppositum suppositi, nempè quod reditus beneficii dentur Beneficiario propter solum laborem personalem, quem exerceant.*
10 *Satis laborant Beneficiarii simplices, quotièt laudabilitèr vivunt, studiis litterarum incumbunt, eleemosynas faciunt, Ecclesias frequentant, orationi operam dant &c.*
11 *Satis quoquè laborant, si Horas Canonicas modo quo debent persolvant: hoc enim est opus laboriosum, mercedeque dignum.*
12 *Quantitas mercedis debitæ Clericis non est commensuranda stipendiis bajulorum, sed meritis, & officio, quod exercent.*
13 *Habenda est quoque ratio præbendarum, & dotis, ac loci earum. Episcopi non sunt majores, vel minores, pro diversitate redituum.*
14 *Non subtrahendi sunt reditus pingues Ecclesiæ diviti, quià Ecclesiæ magis tenui minores reditus sufficiant. Episcopus ditior super pauperiorem quid habeat.*
15 *Idipsum dic de Beneficiariis merè simplicibus, habentibus reditus magis lautos, vel magis tenues: differentia inter eos in quo sit.*
16 *Non omnibus æqualis quantitas redituum sufficit ad congruam ejus statum. Scientiâ, & insigni nobilitate præditis, majores proventus necessarii sunt. Idem dic respectu ad loca.*
17 *Dicta quantitas regulanda est arbitrio boni viri, nec est indivisibilis, sed reci-*

recipit latitudinem. Ex eàque si quid parce vivendo detrahitur, Beneficiarii est.

18 *Una est Ecclesia per totum orbem distributa. Satis operantur Beneficiarii merè simplices, si in aliquâ Ecclesiâ opera bona exerceant, & præsertìm si Romanæ Curiæ deserviant.*

19 *Cum Beneficiarii merè simplices multiformitèr operentur, etiam si non resideant; debent posse ipsos reditus adipisci.*

20 Jus naturale *est conceptio indita homini, quâ dirigitur ad agenda ea, quæ recta sunt, & ad fugienda ea, quæ rationi dissentanea sunt.*

21 *Si obligatio oritur à naturâ rei; præceptio, aut prohibitio ejus spectat ad jus naturale. Si verò oritur à voluntate jubentis: tùnc spectat ad jus positivum.*

22 *Ea quæ juris naturalis sunt, seu aliqua ex eis, interdùm ità mutari possunt, ut desinant esse juris naturalis: aliqua verò non.*

23 *Quodnam discrimen sit intèr ea, quæ cum sint de jure naturali, variationem non admittunt: & intèr ea quæ eandem paritèr admittunt.*

24 *Residere apud Ecclesias suas non incumbit Beneficiariis tamquàm de jure naturali; Etsi esset de jure naturali, esset de illis rebus juris naturalis, quæ variationem admittunt.*

25 *Vel est de illâ specie rerum juris naturalis, quæ jus positivum facere potest ut liceant, prout est præscriptio in rebus civilibus.*

1. OBIICIUNT *quinto loco* denuò Contradictores *ex jure naturali*, hoc modo: Fructus beneficiorum merè simplicium, sunt merces, & stipendium Beneficiariorum. Sed merces de jure naturali non debetur nisi operantibus, nec stipendia debentur nisi laborantibus; Beneficiarii autem non residentes non operantur, neque laborant; ergò vel eis non debentur beneficia, eorumque reditus, vel ipsi tenentur in eisdem beneficiis residere, ac personalitèr deservire. Ità de jure naturali Beneficiarios simplices ad residendum teneri firmat Claudius de là Place (*a*). Consonatque textus in Decretalibus sanciens: *Cum secundum Apostolum qui altari servit, vivere debet de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede: patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet, cum Cleros, quod est sors, vel hæreditas, Clerici appellentur; quià in sui ordinatione, vel assumuntur in hæreditatem Domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso, ut verè possint psallere cum Prophetâ dicente: Dominus pars hæreditatis meæ: dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis substententur, in quâ, & per quam, divinis obsequiis adscribuntur* (*b*).

2. Respondetur *primò* negando suppositum, nimirùm quod fructus beneficiorum merè simplicium sint merces, & stipendium Beneficiariorum personalitèr operantium aliquid aliud, quàm recitationem ecclesiasticæ psalmodiæ. Nàm Clerici, beneficia præfata possidentes, vel tenentur ad solum divinum officium persolvendum, vel ad aliquid aliud ulteriùs, ut est celebratio missarum, aut quid simile. Si primùm, fructus beneficiorum sunt merces, & stipendium totale solius recitationis divini officii. Si secundùm, ipsi fructus sunt merces, & stipendium partiale tàm recitationis divini officii, quàm celebrationis missarum, & si quod aliud onus habent: ità ut merces illa, & stipendium considerari debeat, proportionalitèr, distributivè, & relativè ad cuncta illa onera (*c*). Ipso nàmque rectè rationis lumine dictante, merces, & stipendium debent oneri correspondere. Itàque reditus beneficii sunt merces operantium diverso modo, secundùm diversa: nempè operantium personalitèr quoàd ea, quæ personalitèr sunt adim-

(a) *Claud. de là Plac. de singul benef. cap. 3. §. 2. argum. 3. & 4.*

(b) *Cap. cum secundum 16. de præbend.*

(c) *Sanchez. Opusc. mor. lib. 2. c. 2. dub. 33. num. 2. Bonacin tom. 1. de Hor Canon. disp. 1. qu. 5. pun. 3. n. 2.*

adimplenda: & operantium vel per sè, vel substitutum quoàd ea, quæ possunt etiam per alterutrum adimpleri.

3. Prò eâ ergò parte, quæ respicit recitationem divini officii, cum hoc sit onus personale, procùldubiò Beneficiarii merè simplices non valent licitè percipere mercedem, & stipendium, sive reditus beneficiorum, nisi personalitèr operentur, nempè personalitèr officium divinum persolvant(*a*): deficiendoque ab hoc opere, non faciunt fructus suos, & ad eorum restitutionem tenentur (*b*): quià recipiunt mercedem operis, quod non exercent: injustum est autem quod præmium, & mercedem recipiat, qui opera mercedi respondentia non adimplet. At pro eâ parte, quæ respicit celebrationem missarum, & alia onera, si quæ adsunt (nisi expresè sit electa industria eorum personæ, quæ in dubio non supponitur, nisi clarè de illâ constet, atque in erectione beneficii sit cautum) fructus beneficiorum sunt quidèm merces, & stipendium servitii: sed non personalis servitii, cum onera illa valeat Beneficiarius per alium, pro suo libito, & libertate adimplere, uti pluriès in hoc opere demonstravimus.

(a) *Molfes. Sum p. 1. tract. 5. c. 3. n. 22. & alii passim de horis Canon.*

(b) *Concil Later. V. sess. 9. §. statuimus S. Pius V. Constit. 135. 12. Kal. Octobr. 1571. Navar. manual. c. 25. num. 22. Bonac. tom. 1. de Hor. Canon disp. 1. qu. 5. pu. 2. n. 1.*

4. Eo modo, quo Principi, aut Regi tribuuntur à populis vectigalia, & tributa, velùt merces, & stipendium regiminis, quod illis præstat, & nihilominùs non est necessarium, quod Rex, & Princeps populos sibi subjectos personalitèr regat, cum id facere valeat, & solitus sit etiam per Vicereges, Præsides, Proprincipes, Gubernatores &c. Imò ecquot Regna sunt, quæ proprius Rex nunquàm personalitèr visitavit? Regnum Neapolitanum post Fridericum, Ferdinandi I. filium, nullus Regum, qui eidem præfuerunt, usquè ad hęc postrema tempora invisit, prætèr Carolum V. Imperatorem, & Ferdinandum V. ejus Avum, qui per exiguum tempus ad Regnum ipsum, sive ad urbem Neapolis appulerunt, proùt & nupèr fecit Catholicus Philippus V. dùm eidem Regno præesset. Regnum Siciliæ ultrà Pharum, quisnam ex ejus Regibus post Alphonsum I. personalitèr, & non potiùs per Proregem gubernavit, vix aliquibus eorum illùc accedentibus, & per paucos dies consistentibus. Reges Hispaniæ à tempore præfati Ferdinandi V. Catholici usque ad hanc diem, vastissimis Regnis in Americâ imperarunt, & adhùc ea moderantur, absque eo quod quisquam eorum illùc fuerit commoratus. Reges Lusitaniæ amplissimis Regnis, & Provinciis dominantur in utrâque Indiâ Orientali, & Occidentali: citrà lineam Alexandrinam (*c*), de quâ Geographi (*d*): nec tamen quisquam eorum illùc resedit, imò & nec fuit, & nequè probabilitèr unquàm est ibi personalitèr, saltèm ad longum tempus, commoraturus.

(c) *Alex. PP. VI. Constit. 2. § 6.*

(d) *De là Mote Scuola de Prencipi, & Cavalier nella Geografia*

5. Idem dici potest de aliis Regibus, & Principibus, qui varias Provincias, Principatus, & Regna possident, nunquàm ab illis ocularitèr visa, nedùm non personalitèr habitata, & tamèn ab illis percipiunt vectigalia, tributa, & exactiones, sibi velut stipendium, & mercedem regiminis debitas. Quarè? Quià regimen non est officium personale, sed tale, quod potest optimè per ministros, & personas interpositas adimpleri. Eodem ergò modo tametsi reditus beneficiorum merè simplicium pro eâ parte, quæ respicit debitum celebrandi missas, vel alia similia onera complendi (à divino officio diversa) sint merces, & stipendium ipsorum onerum; tamèn quià ipsamet onera non sunt personalia, ideò Beneficiarii ad illa personalitèr exercenda, & ad residentiam non tenentur, sed optimè valent eadem per alium exercere. Multoque fortiùs ad residentiam non tenentur, si præfatis oneribus careant. Argumentum igitur deficit in supposito: itàque corruente, illius quoque vis corruit, & hebescit.

6. Respondetur *secundò*, iterùm negando aliud suppositum, nempè quod reditus cujusque beneficii merè simplicis sint merces, & stipendium Beneficiarii, tamquàm servientis illi Ecclesiæ particulari, ubi erectum est beneficium. Nàm nulla lex, nullus canon id præcepit, nullaque sanctio ecclesiastica hoc præscribit, loquendo de beneficiis merè simplicibus, tametsi aliud sit de beneficiis

Cura-

Curatis, quorum Rectoribus injunctum est onus pascendi, & regendi populos (*a*): Ac de Beneficiariis choralibus, vel alia ratione residentialibus, quibus injunctum est Horas Canonicas, aliave officia solemnitèr persolvere per se ipsos, in locis individuè designatis (*b*), quatenùs in eis est electa peculiaritèr industria illorum personæ. Hâc ratione cessante, ac extrà casum beneficiorum, de sui naturâ residentialium, res alitèr se habet, proventusque beneficiorum merè simplicium non sunt merces, & stipendium servientium personalitèr ex debito præciso, alicui determinatæ Ecclesiæ, sed Ecclesiæ ut sic in generali, seu Ecclesiis universalitèr consideratis. Et ità in Concilio Generali III. Lateranensi, dicitur, *eorum, qui Ecclesiis dignè valeant deservire, volumus ecclesiasticis beneficiis indigentiam sublevari* (*c*), ubi nota, quod sanctio non asserit, *qui Ecclesiæ, sed qui Ecclesiis*, ut innueret sufficere, quod Beneficiarius alicubi, & alicui ex Ecclesiis famuletur, etiam si non ei Ecclesiæ deserviat, in quâ erectum est simplex illud, quod possidet beneficium.

(a) *Bonac. tom. 1. de ober. benef. disp. 5. pu. 3. num. 1.*

(b) *Idem loc. cit. n. 8 & de Hor. Canon. disp. 1. qu. 1. punt. 1.*

(c) *Conc. Later. III. can. 14.*

7. Ità se habet res de generali praxi totius Christianitatis, quam sequentes, si velimus dicere, quod suo debito non satisfaciant; oportebit etiam concedere, quod major pars Clericorum in statu damnationis vivat, & post obitum ad tartara condemnetur, cùm interìm circà hoc se gerat eo modo, quo tota se gerit Ecclesia: sicque Clerici ad inferos damnabuntur sub fide publicâ: quod asserere, non est sapere, sed delirare. Quis enim condemnet Clericos agentes, quod agendum esse universalis Doctorum cohors indigitat: quod ipsi Clerici timoratæ conscientiæ peragunt: quod tota demùm per totum orbem frequentat Ecclesia? Et quod res etiam ità se habere debent, patet aliundè ex facto, quià de facto Clerici beneficiis simplicibus insigniti, possunt ordinari ad titulum ipsorum beneficiorum, pro servitio aliarum Ecclesiarum, diversarum ab illis, in quibus eadem erecta sint beneficia; ergò non est necessarium, quod resideant, & personalitèr ministrent apud Ecclesias suorum beneficiorum, sed sufficit, ut alicubi, & alicui Ecclesiæ serviant; pro ut eorum qualitas, & conditio poscit, vel est eis superiorum auctoritate commissum.

8. Quod & similitèr patet aliâ inductione, sive paritate. Concilium Tridentinum præscribit, quod ad hoc ut Clericus valeat privilegio fori ecclesiastici potiri, debeat *clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inservire* (*d*): Nihilominùs si Clericus non fuerit per Episcopum alicui Ecclesiæ adscriptus (*e*): vel si alicui Ecclesiæ inserviat, sed non de mandato Episcopi (*f*): aut si demùm alteri famulatur Ecclesiæ, diversæ ab eâ, quam illi Episcopus præfinivit (*g*); imò & si nulli Ecclesiæ prorsùs deserviat, concurrantque alioquin aliæ circumstantiæ Clerico faventes; optimè fruitur fori privilegio (*h*). Quarè? Quià omnes Ecclesiæ materialitèr sunt una Ecclesia formalitèr (*i*): Ideòque sufficit, quod Clericus alicubi, & alicui Ecclesiæ quomodocumque deserviat, & vitam ecclesiasticam in Clericali habitu agat. Eodem ergò modo etiam ad fruendum proventibus beneficii sufficit, quod Clericus alicui Ecclesiæ quomodocùmque deserviat, & vitam ecclesiasticam agat, tametsi determinatæ illi Ecclesiæ nullatenùs famuletur, in quâ ecclesiasticum possidet beneficium: dummodò faciat adimplere per alium Missas, Anniversaria, & si quæ alia sunt onera, intrà illius Ecclesiæ limites adimplenda.

(d) *Conc. Trid. sess. 23 cap. 6.*

(e) *Sac. Congr. in Valentina 19. Jun. 1628. Riccius p. 4. dec. 111. num. 5. dec. 154. nu. 1. Barbos. ad Conc. loc. cit. n. 31.*

(f) *Sac. Cong. in Nulliùs 28. Mart. 1628. Barbos. loc. cit.*

(g) *Genuens. prax. Archiep. Neapol. c. 7. num. 1. cum aliis. Barbos. Sum. Apost. decis. collect. 157. n. 12.*

(h) *Vid. Decr. Sacr. Cògr: ap. Barbos. Sum. Decis. Apost. collect. 157. n. 1 & 9.*

(i) *Innoc. in cap. quàvis dist. 21. S. Antonin. Sum par. 3. c. 1. §. 13. tit. 15. f. 163.*

9. Respondetur *tertiò*, denuò negando aliud suppositum; Imò negando etiam suppositum hujus suppositi, & retorquendo argumentum, suppositum est, quod Beneficiarii merè simplices, non residendo apud Ecclesias suorum beneficiorum, non operentur, neque laborent, adeòque percipere non valeant proventus beneficiorum, qui naturali jure solis operantibus, & laborantibus debiti sunt, uti merces, & stipendium suorum operum. Suppositum posteà suppositi est, quod reditus beneficiorum dentur Beneficiariis propter solum laborem personalem (extrà divinum officium) quem in loco beneficii exerceant. Falsum autem

tem eſt utrumque: Nàm falſum eſt ſuppoſitum ſuppoſiti propter ea, quæ diximus capitulo præcedenti (*a*). Falſum quoque eſt ſuppoſitum, nempè quod Beneficiarii merè ſimplices non laborent, neque operentur, quippè ſatis laborant quotiès albo Clericorum adſcripti, habitu eccleſiaſtico induti procedunt. Sicut aliqui famuli Principum, tametſi penè nunquàm Dominum ſuum perambulantem comitentur, nec in Aulâ ſe recipiant, ibique cum ſuis Coaulicis operentur; Si albo tamèn Aulicorum adſcripti ſunt, & habitu ſui Domini, quo circumamicti permeant, ab aliis ſe diſtinguant, ſatis laborare dicuntur, ut ſtipendium percipiant, ſibi ab ipſo Domino deſignatum.

(a) *Vid. hic cap. præced. n. 10. c. 25. n. 9. 10. 33. 38. c. 35.*

10. Satis quoque Clerici, beneficiis merè ſimplicibus inſigniti, laborant quotiès laudabiliter vivendo, modeſtè ſe gerendo, ſtudiis honeſtis, & utilibus incumbendo, fructus ſuperfluos congruo ſuo ſtatui, in uſus pios, vel pauperes impendendo; Deo ſerviunt, & in Eccleſiâ Dei operantur, tametſi apud Eccleſias illas particulares, in quibus eorum erecta ſunt beneficia, perſonaliter non reſideant. Undè benè D. Antoninus, poſtquàm firmavit, Beneficiarios merè ſimplices immunes eſſe ab onere reſidentię; reſpondens Objecto, quod iſti non deſerviant, ait: *abſens, & præſens ſervire intelligitur, dummodò benè vivat, & benè expendat quod indè percipis* (*b*): Si autem hoc non faciant, cogi poſſunt ad id fidelitèr exequendum, juxtà canonicas ſanctiones, non ideò tamen licitè arctari valent ad reſidentiam perſonalem, quam eorum beneficia non exigunt.

(b) *S. Antonin. Sum. par. 3 tit. 1 ſ. c. 2. §. 13.*

11. Intèr labores quoquè Clericorum, beneficia merè ſimplicia poſſidentium, hìc poſſet non incongruè computari debitum ſervandi cælibatum, & ab ipſis etiam nuptiis alioquin juſtiſſimis abſtinendi, quas nulli laicorum ſacra lex voluit eſſe prohibitas. Ad hæc nonnè labor eſt, vel pars, aut ſpecies laboris, obligatio multa peragendi, ad eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia, & à multis aliis abſtinendi, ad quæ laici non tenentur, & quæ in eis reſpectivè tolerantur, vel permittuntur, in Clericis verò puniuntur. Hęc, inquam, intèr horum labores poſſent non incongruè computari, ſed quià communia ſunt cunctis Clericis, tùm beneficia merè ſimplicia poſſidentibus, tùm eiſdem carentibus; ſufficiat ipſamet attigiſſe. Addentes quod demùm ſatis laborant Clerici beneficiis merè ſimplicibus decorati, ſi Horas Canonicas piè, ac devotè recitent; quippè hoc ipſum opus pſallendi eſt opus laborioſum, congruâ mercede dignum, ſine quâ nemo tenetur ad hujuſmodi pſalmodiam, prouti de facto Clericus carens ordine ſacro, vel beneficium habens, ſed reditibus denudatum, ad Horas Canonicas perſolvendas nullatenùs obligatur (*c*), quià beneficium datur propter officium (*d*): quià obligatio recitandi prefatas horas conſurgit ex accepto ſtipendio (*e*): quià juſtum non eſt, quod onus ſuſtineat is, cui mercedis utilitas denegatur (*f*): quià non eſt alligandum os bovi trituranti (*g*): quià tandèm qui altari ſervit, de altari vivere debet (*h*). Et ità Beneficiarii merè ſimplices ſatis laborant, ſi Horas Canonicas, modo, & tempore per Eccleſiam deſignato, perſolvant.

12. Quod ſi dicas nimium lautam eſſe mercedem, & ſtipendium, centum, ducentum, trecentum, & plurium aureorum pro ſolâ recitatione divini officii; repetimus, quod hæc pro ſolâ recitatione divini officii non dantur, ſed pro aliis quoque oneribus, quæ mox tetigimus. Deindè dicimus, quod labores, & ſtipendia Clericorum non ſunt commenſuranda eodem cubito, & ultrà, quâ menſurantur labores, & ſtipendia famulorum (*i*), ſed eâ proportione, quâ inter ſe configurantur merita, & officia Clericorum, atque opportunitas præbendarum. Videmus duos famulos æquè laborantes, & tamèn unum vix quolibet menſe tres, aut quatuor aureos acquirentem, quià ſervit homini privatæ fortunæ, vel in officio humili: alterum verò adipiſcentem ſingulis menſibus triginta aureos, & ultrà, quià ſervit Principi, vel in officio inſigni: nun- quid

(c) *Gonzal. ad reg. 8 Cancel. gloſ 55. nu. 27. Garcia p. 3. c. 9 nu 44. Bonac to. 1. de Hor. Canonic. diſp. 2. qu. 6. pu. 3 num 6.*

(d) *Cap. quia per ambitioſam 15. de reſcript.*

(e) *Sanchez Opuſc. mor. l. 2 cap 2. dub 66, § ſecunda n. 2.*

(f) *Idem loc. citat. dub. 72. n. 4.*

(g) *1. Corinth. cap 9. num 9.*

(h) *1. Corinth. c. 9. num. 13.*

(i) *Vid. ſupr. in hoc Tom. c. 20 n 7. 8 9.*

quid est nimiùm triginta aureorum stipendium pro secundo; quià primi merces quatuor aureos non excedit? Non quarè. Quià si habeatur ratio sortis, quæ obtigit secundo, serviendi in officio insigni, vel Principi, cujus servitus viginti aureos mensuales fructificat: invenietur hoc stipendium esse pro illo famulo justum, qui pro alio famulo, serviente in viliori officio, vel apud alium dominum, esset profusissimè exuberans. Perpendamus alia. Videmus, quod figulus totâ die laborans, vix lucratur duos julios. Pictor verò excellens unâ diei horâ laborat, & lucratur viginti aureos. Miles gregarius portat pondus diei, & æstus, vixque paucos asses lucratur. Dux verò exercitus in papilione sedens, lucratur qualibet die multos aureos. Numquid sunt incongruę mercedes istæ adeò dissimiles, personis præmemoratis? Non. Quarè? Quià præmium, & merces non est commensuranda labori materiali, sed exercitio, & personis utrobique operantibus.

13. Itidèm habenda est ratio præbendarum, & dotis earum, dignitatis quoquè Ecclesiarum, & locorum, ac regionum, in quibus sunt. Sunt enim alicubi Beneficia merè simplicia, Canonicatus, Parochiæ, Capellaniæ, Dignitates &c. magis abundantes: alicubi magis inopes. Quid plura. Hæc diversitas occurrit in ipsis Episcopatibus:cernimus enim pauperculum Episcopum vix reditus quingentorum ducatorum quolibet anno percipientem,prout alicubi succedere dicitur in Regno Neapolitano, ubi Episcopatuum nimiam frequentiam conjunctam esse cum paupertate affirmat Cardinalis de Lucâ (*a*). Alterum verò Episcopum percipientem triginta,& quadraginta mille aureos,& ultrà,ut in Siciliâ, Hispaniâ, Germaniâ, & etiam alibi contingit, dignitas autem Episcopalis in utroque est eadem; officium, & onus Episcopale in utroque est idem, & ut optimè declarabat S. Hieronymus ad Evagrium scribens: *Ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sibi Eugubii; sive Constantinopoli, sive Rhegii; sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt* (*b*).

14. Nunquid ergò subtrahenda sunt tot aureorum millia reditus annui Episcopis Siciliæ, Hispaniæ, Germaniæ &c. quià pauperculo Episcopo Regni Neapolitani non fructificat Ecclesia plusquàm quingentos ducatos; & quià congrua portio proventuum Episcopo assignanda, sufficit quod ad mille perveniat? (*c*). Non certè. Quarè? Quià reditus Episcopatuum non mensurandi sunt à solâ quantitate laboris Episcopalis, sed etiam à dotatione jam diù factâ Ecclesiarum, quibus sua jura, sui proventus, sui reditus servari debent intacti. Et cum inter utrumque Episcopum divitem, & pauperem, æqualis debeat esse sollicitudo, & labor Episcopalis; hoc ampliùs habebit ditior Episcopus suprà pauperiorem, quod ditior plùs tenebitur de superfluis congruo suo statui in usus pios, atque in subsidium pauperum erogare (*d*). Ac uti declamabat è Vaticano throno S. Pontifex Gregorius: *qui plùs cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernitur ab auctore mundi; graviùs indè judicabitur* (*e*).

15. Totus autem hic sermo congruè adaptetur Beneficiariis merè simplicibus, & argumenti habebitur dissolutio. Nàm sive beneficia, quæ ab his possidentur, quinquaginta aureos, exempli gratia, fructificent, sive mille; Beneficiarii prætèr ea, quæ diximus num.9. 10. & 11. ad nullum alium adstringuntur laborem, quàm ad solas Horas Canonicas persolvendas; pro quibus tametsi congruum stipendium sint quinquaginta aurei in Clerico mediocris conditionis, qui tantundèm solummodò percipit; in alio tamen altioris ordinis,qui mille percipit, non sunt congruum stipendium quinquaginta, sed mille, tùm ratione dignitatis, ac meriti personæ, illo beneficio insignitæ, tum ratione præbendæ; quæ cum sit ditioribus reditibus decorata, non ei debent detrahi proventus, quos à suâ fundatione est sortita. Hæc nihilominùs differentia inter utrumque Beneficiarium

(a) *Card. de Luc. annot. ad Conc.Trid. cap.2. n.23.*

(b) *S.Hier.epist.85. ad Evagr.tom.2.*

(c) *Conc.Trid sess.24. cap.13.de refor.*

(d) *Conc.Trid sess.25 cap. 1. Soto de just. qu.4.art.3 Bonac.to.2. de oblig benef. disp.4. pun.2.n.2.*

(e) *S.Gregor.homil. 9. in Evangel.*

rium intercedet, quod qui habet tantummodò quinquaginta aureos, ad ſuum victum neceſſarios, ad nihil aliud prætèr ſacram pſalmodiam tenebitur; qui verò mille percipit; prætèr Horas Canonicas, ad multas etiam tenebitur eleemoſynas, & opera pia exercenda de iiſdem beneficii fructibus, qui congruo ſuo ſtatui ſunt ſuperflui (*a*). Hæcque ſi adimplet, ſatisfacit obligationi ſuæ: Si verò non adimplet; rationem Deo reddet ſuæ omiſſionis: non tamen adeò ſuperaddendum eſt illi onus reſidentiæ, quod non habet: nec eſt gravandum beneficium onere inſolito, quià Beneficiarius illius fructibus abutatur.

(a) *Azorius pu. 2. lib 7. c. 8. & 10. Laym. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. Navar. de redit. monit. 4. qu. 3. Bonac. loc. cit.*

16. In quâ congruitate, & ſuperfluitate aſſignandâ, non poteſt quantitas imprevaricabilis aſſignari, quippè habenda eſt ratio qualitatis, & dignitatis perſonæ, loci quoque, temporis, & earum contingentiarum, quæ occurrere poſſunt, & differentiam exigere. Scientiâ namque, & inſigni nobilitate fulgentibus, major quantitas debetur (*b*): hujuſmodi etenim conditionis viri non ſunt cogendi vivere cibo pauperum (*c*). Major quoque portio neceſſaria eſt in Civitate, quàm in villâ: uberior in Civitate præcipuâ, quàm in mediocri: Lautior in loco, ubi eſt aula Regis, quàm ubi deeſt. Opulentior demùm, ubi eſt annonæ inopia, quàm ubi eſt ejus ubertas (*d*). Sicut enim non eſt par omnium conditio; Ità juſtum non eſt, ut æqua ſit omnium in expertis ſibi occurrentibus modificatio, & menſura.

(b) *Cap. de multa de prabend.*

(c) *Cap. non cogat. diſt. 41.*

(d) *Bonac. loc. citat. num. 7. cum aliis ab eo allegatis*

17. Porrò aliqui, & quidèm optimæ notæ Doctores (*e*), in aſſignandâ quantitate cuilibet Beneficiario ſufficiente, ait Bonacina: *hanc rationem habuerunt, ut videlicèt pro Beneficiario infimæ ſortis ea quantitas ſufficiat, quà ipſe, famulus unus, coquus, & equus ali poſſit. Prò Beneficiario Doctore, aut ſimili, ea quantitas ſat ſit, quà ipſe, famuli duo, coquus, & equus, juxta patriæ morem, ſuſtentari queat. Prò Beneficiario nobiliori ea quantitas ad victum aſſignetur, qua ipſe famuli tres, vel quatuor, equi duo, cum curru, coquo, & rhedario ali poſſit, & ſic de cæteris, habitâ ratione qualitatis perſonæ, aliarumque circumſtantiarum (nomine victus, & ſuſtentationis accepitur id, quo Beneficiarius indiget, ad sè, familiamque ſuam honeſtè ſuſtentandam, ut ſunt cibus, veſtitus, habitatio, & medicinæ) Cardinalibus verò aliqui Doctores mille aureos in ſingulos menſes ſufficere arbitrantur, exceptis Cardinalibus Principibus, & Nepotibus Summorum Pontificum, à quibus mille aureos in ſingulas hebdomadas ad ſui, & familiæ ſuſtentationem tutâ conſcientiâ inſumi poſſe nonnulli Doctores arbitrantur. Ego verò hanc rem arbitrio boni, & prudentis viri definiendam cenſeo; ſpectatis circumſtantiis &c. Obſervandum tamèn cenſeo, partem, ſeu quotam, quæ cuiquam aſſignari poteſt; ad congruam vitæ ſuſtentationem, non conſiſtere in indiviſibili, ſed latitudinem habere: Sicut enim pro rè vendibili triplex pretium conſtituitur, infimum, medium, & ſupremum, quorum quodlibet eſt juſtum, ità eàdem ferè proportione in conſtituendâ fructuum parte pro congruâ Beneficiarii ſuſtentatione ratiocinari poſſumus: quamobrèm ſi trecenti nummi aurei, exempli gratia, ſunt infima quantitas ad congruam Beneficiarii, & ipſius familiæ ſuſtentationem; trecentos, & quinquaginta dicimus eſſe mediam, quadringentos ſupremam quantitatem: conſequentèr Beneficiarius poteſt quadringentos nummos ad ſui, ſuæque familiæ ſuſtentationem expendere, & ſi aliquid parce vivendo ex quadringentis ſubtrahat, & trecentos ex: gr: in ſe, familiâque ſuſtentandâ ſolùm inſumat, reliquos centum ad ſui libitum diſponere poteſt, quia liberam illorum habet adminiſtrationem, & dominium. Ideò ſi Beneficiarius ex beneficio mille nummos aureos ex: gr. colligit, & quadringenti ſolùm ſufficiunt ad ipſum, & ad ipſius familiam alendam, non poteſt ſexcentos, qui congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, pro ſuo arbitratu diſtribuere, cum illam tantummodò partem ad libitum expendere poſſit, quę congruæ ſuæ ſuſtentationi reſpondet, reliquam verò &c. in pios uſus erogare debet* (*f*).

(e) *Navar. de Orat. in Miſcel. 26. num. 7. Azor. p. 2. l. 6. c. 10 qu. 9. Filliuc. to. 2. tr. 41. cap. 7 qu. 4. n. 20.*

(f) *Bonac. to. 2. de oblig benef. diſp. 4. pu. 2. num 8 f. 742.*

18. Serviunt inſupèr ſatis Beneficiarii, ſi in aliquâ orbis parte opera bona

exer-

exerceant in servitio alicujus Ecclesiæ, quippè ut suprà tetigimus, omnes Ecclesiæ una Ecclesia sunt, *nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est*, inquit D. Hieronymus. *Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ Nationes, unum Christum adorent, unam observant regulam veritatis* (a). Hocque magis verum est si Beneficiarii Romæ morentur, officiis Aulæ Curiæ, vel Sedis Apostolicæ incumbentes, quippè hi servire dicuntur Ecclesiis universis, quatenùs ad Romanam Curiam ex omnibus Orbis partibus fit recursus: & ibi negotia ad totum Orbem pertinentia tractantur, ac expediuntur. Ideò pro ipsius Curiæ servitio interdùm etiam Beneficiarii Curati, & Chorales à residentiæ debito dispensantur (b). Undè inibi famulantes Beneficiarii merè simplices satis laborant, atque Ecclesiæ suæ deservire cognoscantur, dum Ecclesiæ universali deserviunt (c).

(a) *S. Hier epist. 85. ad Evagr. cap. legimus dist. 93.*

(b) *Cap. cum dilectus 14. de Cler. non resid.*

(c) *Abb. Panorm. in d. cap. cum dilectus num 2. not. 2. Barbos. ibid. n. 2.*

19. Quibus ità se habentibus, jam retorquetur argumentum adversus Contradictores. Nàm si de jure naturali est, ut mercedem, & stipendium ecclesiasticum, sive beneficia, & eorum reditus percipiant ii, qui in Ecclesiâ operantur, & laborant; cum ex firmatis, multiformitèr laborent, & operentur Beneficiarii merè simplices, divinas laudes debito modo, & tempore persolventes, ac respectivè apud Sedem Apostolicam, vel alibi, officia laudabilia exercentes, ecclesiasticè viventes, studiis literarum incumbentes; & alia, quæ diximus numero 9. 10. & 11. adimplentes; sequitur, esse de jure naturali, quod reditus ipsos assequantur, & suos faciant, quantumvis apud peculiares illas Ecclesias nullatenùs allaborent, in quibus eorum erecta sunt beneficia; Et ità intelligendus est textus Canonis, ex adverso, in Objectione allegatus (d), si ad significanda beneficia merè simplicia pertrahatur, quamquàm rè verâ non de hujusce speciei beneficiis sermonem habeat, sed de Choralibus, & Curatis, aliove titulo residentialibus.

(d) *Cap. cum secundum 16. de præbend.*

20. Cæterùm quantum ad id quod dicitur, esse *de jure naturali*, ut Beneficiarii merè simplices resideant personalitèr, & ministrent apud Ecclesias suorum beneficiorum, attendendum est, quod jus naturale est conceptio, naturalitèr indita homini, quâ ipse dirigitur ad convenientèr agendum in propriis actionibus (e), seu ad ea agenda, quæ rationi consentanea sunt, ad eaque vitanda, & prætermittenda, quæ sunt rationi dissentanea (f): hæcque conceptio provenit à lumine illo divino, intellectui cujuslibet hominis impresso, de quo in psalmis: *signatum est super nos lumen vultus tui Domine &c.* (g). Et in hujusmodi acceptione *jus naturale*, secundum S. Isidorum, *est commune omnium Nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non aliquâ constitutione habeatur* (h). At quià multimodè solet à multis æquivocari, in eis statuendis, quæ rè verâ juris positivi sunt, cum tamen exaggerentur esse juris naturalis, operæ pretium ducimus hìc inserere quædam, à Ludovico Molinâ, prout sequitur, exarata.

(e) *S. Thom. 1. 2. qu. 91 art. 2. & qu 96. art. 2. ad 3. ac alibi.*

(f) *Natal. Alex. Theol Dogm tom 9. l. 4. c. 1. art. 2. § 2.*

(g) *Psalm. 4. num 7.*

(h) *S. Isidor. libr. Origin. c. 6.*

21. *Regula*, inquit, *generalis ad dignoscendum, nàm aliquid ad jus naturale, an ad positivum pertineat, hæc est. Si obligatio oritur à naturâ rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, quià videlicèt in se est necessaria ut fiat, ut est subvenire extremè indigenti: vel quià in se est illicita, & mala, ut furari, adulterari, mentiri; tùnc præceptio, aut prohibitio pertinet ad jus naturale. Si verò obligatio non oritur à naturâ rei, quæ præcipitur, aut prohibetur, sed à præcepto, & voluntate prohibentis, esto ex parte rei sit congruitas, & exigentia quædam, ut præcipiatur, aut prohibeatur; pertinet ad jus positivum. Ejusmodi sunt jejunium quadragesimæ, confessio annua, susceptio baptismi &c.* (i). *Quià ergò jus naturale à rerum ipsarum naturis, quæ præceptæ, aut prohibitæ sunt, oritur, eo quod in sè illicitæ, aut necessariæ sint ut fiant, si virtus falsa debeat consistere: natura verò quemadmodùm indidit nobis semina quædam*

(i) *Ludovic. Molina de just. & jur. to. 1. tr. 1 disp. 4 n 3.*

ad cognoſcendum ex rerum ipſarum naturis veritates ſpeculativas non ſolùm principiorum, ſed etiàm concluſionum, quæ ex ipſis deducuntur; ſic quoque dedit igniculos ad cognoſcendas ex naturis earundem rerum veritates practicas, non ſolùm principiorum, ſed etiam concluſionum, quæ ex eis deducuntur; indè oritur, ut dici conſueverit jus naturale eſſe, quod natura ipſa nos docet. Adverte tamèn naturam non ità diſtinctè nos docere ea, quę juris ſunt naturalis, quin in deducendis aliquibus concluſionibus ex principiis, facile error ſurrepat, præſertìm quando concluſiones ejuſmodi remotè, obſcurèque ex primis principiis colliguntur: quo fit, ut circà ea, quæ juris ſunt naturalis, error poſſit aliquandò evenire.

22. Proſequitur Molina eloquium ſuum, dicens: Dubium tamen eſt circà rem præſentem, an ea, quæ juris ſunt naturalis, poſſint aliquando ità mutari, ut eſſe deſinant de jure naturali. At quod reſpondent Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 7. & D. Thomas 2. 2. qu. 57. art. 2. ad primum poſſe interdùm mutari: non tamen omnia, ſed aliqua. Ut enim inter res naturales quædam ſunt neceſſariæ omninò, quæ variationem non patiuntur, ut ignis ità eſt calidus, ut eſſe nequeat frigidus, & homo ſuaptè naturà ità vim habet ad intelligendum, ut nequeat eà privari: & quædam ſunt ità ſuaptè naturales, ut poſſint aliquandò alitèr ſe habere, ſicut licèt dextera manus naturalitèr fortior ſit quàm ſiniſtra; interdùm tamen ſiniſtra evadit fortior, quàm dextera; ità in rebus moralibus; quędam ſunt de jure naturali ejus conditionis, ut nequeant non eſſe, cujuſmodi ſunt, quæ in Decalogo præcipiuntur, eo modo quo præcipiuntur, in quæ ſic ſpectata nè divinà quidem potentià cadit diſpenſatio, ut 1. 2. qu. 100. ar. 8. latè oſtendimus. Alia verò ità ſunt de jure naturali, ut poſſint aliquandò deficere, & non eſſe de jure naturali. Hoc modo licèt reddere depoſitum ſit de jure naturali, ſi tamen rei depoſitæ dominus in furiam incidat, periculumque ſit, ne ſè, vel alium eà interficiat, de jure naturali eſt contrarium, nempè dum periculum illud imminet, rem depoſitam ei non reddere.

23. Eſt tamèn notandum latiſſimum diſcrimen intèr variationem eorum, quæ ſunt de jure naturali, & eorum, quæ ſunt de jure poſitivo. Variatio namque eorum, quæ ſunt de jure naturali, non evenit propter variationem, aut mutationem, quæ in lege naturali fiat, ſed proptèr adventum circumſtantiæ, quę extrahit objectum à numero eorum, quæ lex ea comprehendebat: quarè fit ſine ullà diſpenſatione, aut mutatione legis, lumine intellectus dictante, & interpretante, quod perſiſtente lege in ſe, ut anteà erat, non intelligatur in eo eventu, talique ſuperveniente circumſtantià. Nequè enim unquàm de jure naturali fuit ut enſis depoſitus redderetur furioſo illum petenti, quin potiùs contrarium ſemper naturale jus præcepit. Undè efficitur, ut univerſim verum ſit id, quod eſt de jure naturali eo pacto, quo objectivè cenſetur eſſe juris naturalis, ubique, & apud omnes habere eandem vim, ut Ariſtoteles 5. Ethic. cap. 7. definivit. Variatio autem eorum, quæ ſunt de jure poſitivo, evenire poteſt non ſolùm factà variatione ex parte objecti, ut ſi is, qui die Veneris à carnibus abſtinere tenebatur, in febrim incidat; Sed etiam factà mutatione, & variatione in ipsà lege, eam abrogando omninò, aut in eà diſpenſando. Cum enim obligatio illius non ex naturà objecti, ſed ex voluntate pendeat legislatoris; pro illius arbitrio eam abrogantis, aut in eà diſpenſantis; deſinit vel omninò, vel ex parte obligare. Quo fit ut meritò Ariſtoteles loco citato ea quæ juris ſunt poſitivi menſuris vini, aut tritici comparaverit, quę pro hominum arbitrio mutantur, nequè ſunt eadem apud omnes. Prędictis ſi adjungas poſitivum jus, hominumque voluntatem poſſe interdùm proponere ex parte objecti circumſtantiam, quà id quod ſeclusà tali circumſtantià eſſet juris naturalis, deſinat ad jus naturale pertinere: intelliges multa, quę aliquibus ſolent multum negotii faceſſere &c. Exemplum accomodatum habemus in lege præſcriptionis, quà ei qui bonà fide poſſedit aliquod alienum tanto tempore dato ad præſcribendum, fas eſt tranſacto eo tempore retinere illud, eſto

ſciat

sciat fuisse alienum, quod tamen seclusâ lege præscriptionis, esset contrà jus naturale &c. Nam *Princeps potestatem habens jure naturali spoliandi subditos dominio rerum suarum, illudque in alios transferendi, quando id bono Reipublicæ viderit expedire; eo ipso quod ad rescindendas lites, & quasi in pœnam negligentiæ propriorum dominorum, ne id inposterùm publicam tranquillitatem turbaret, legem justam præscriptionis condidit, quâ statuit, ut qui bonâ fide rem aliquam certò quodam tempore possideret, compararet dominium illius, priorque dominus illud amitteret; apposuit circumstantiam ex parte objecti, qua id quod seclusâ eâ lege esset alienum, ac proindè cujus retentio esset contrà jus naturale, stante eâ lege, neque alienum sit, neque illius retentio sit contrà jus naturale (a).*

24. Ex toto ergò ratiocinio Molinæ patet, quod residere personalitèr apud Ecclesias, in quibus erecta sunt beneficia merè simplicia, non incumbit de jure naturali Beneficiariis, tùm quià ex naturâ rei residentia non est necessaria ut ibi fiat: tùm etiam quià ejus omissio naturalitèr non est illicita: cum de facto per multa sæcula, & chiliadas annorum, hæc residentia nullibi fiat, nullibi per totam Ecclesiam observetur, à nullo tandèm ejus omissio pro rè illicitâ reputetur. Et quatenùs etiam per hypothesim ipsa residentia in præfatis Beneficiariis esset de jure naturali, tamèn esset de illo genere rerum juris naturalis, quæ variationem admittunt, & ità à suâ conditione deficere possunt, ut cessent esse de jure naturali, propter circumstantias extrahentes ipsam residentiam à numero earum rerum, quas lex naturalis comprehendit, uti Molina exemplificat de deposito (b).

(a) *Ludov. Molina ubi supr usque ad n.7.*

25. Vel esset de illo genere rerum juris naturalis, quæ jus positivum humanum efficere potest, uti liceant ob aliquam circumstantiam appositam ex parte objecti, quantumlibet secluso tali humano jure, & circumstantiâ, esset contrà jus naturale: uti succedit in præscriptione, quâ possessor bonæ fidei retinere potest rem alienam, quam retinere, seclusâ dictâ præscriptione per tempus à lege definitum productâ, esset contrà jus naturale (c). Cujus præscriptionis indulto sine dubio gaudet immunitas Beneficiariorum merè simplicium ab onere servitii personalis, & residentiæ: cum nedùm per tempus ad præscriptionem necessarium, sed etiam per tempus decies, & quindecies prolixius, bonâ fide, atque observantiâ per totum orbem jugitèr frequentatâ, eâdem immunitate, & exemptione potiti sint: quarè toto negotio sincero intuitu considerato enitescit, quod residentia, & personale servitium in præfatis Beneficiariis merè simplicibus, nec est, nec esse dici debet de jure naturali, uti perperàm contenditur ex adverso.

(b) *Idem Molin. loco cit. n.3 in fin.*

(c) *Ipsemet. Molina loc. cit. n.7.*



CAPUT XXVI.

In quo expenditur SEXTA OBJECTIO, *proposita ex quibusdam Auctoribus, contendentibus esse de Jure Naturali, quod Beneficiarii merè simplices Residentiæ, & Servitii personalis onere constringantur.*

SUMMARIUM.

1 Sexta Objectio *ex Auctoribus contendentibus esse de jure naturali residentiam Beneficiariorum merè simplicium.*

2 *Mens Auctorum haberi non potest ex frustulo illorum doctrinæ, sed ex totâ summâ eorum, quæ scripserunt. Claudius de là Place quid verè sentiat de hâc exemptione Beneficiariorum merè simplicium.*

3 *Ubi Auctor hìc favere videtur Contradictoribus, loquitur non ut Theologus, sed ut Declamator, ea, quæ majorem perfectionem continent, proponens.*

4 *Etiàm Sancti Patres interdùm talia declamatoriè protulerunt, quæ in rigore Theologico non subsistunt. Ponitur exemplum Sancti Joannis Chrysostomi. De là Place declamatoriè loquitur.*

5 *Claudius de là Place vult Beneficiarios simplices ad residentiam teneri eâ ipsâ lege naturæ, quâ tenentur possidentes beneficia duplicia, & curata.*

6 *Ex instrumentis fundationum colligendum censet onus residentiæ: quod si instrumenta sunt perdita, ad conjecturas recurratur.*

7 *Conjecturas indigitat hic Auctor, ex quibus deduci debeat mentem Fundatorum fuisse, ut Beneficiarii merè simplices in tali loco resideant.*

8 *Ex titulis Abbatum, Prioratuum &c. deducitur beneficia illa exigere residentiam. Sunt tamen causæ legitimæ justificantes absentiam.*

9 *Se profitetur idem Claudius non esse primum Auctorem hujus opinionis, excludentis immunitatem Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ.*

10 *Consuetudinem non residendi asserit nullatenùs excusare, quià contrà jus divinum, & naturale non potest consuetudo prævalere.*

11 *Consuetudinem hanc ait esse corruptelam, frustràque rationi opponi consuetudinem, & Beneficiarios simplices non residendo esse in peccato.*

12 *Eos contrà jus naturale, ait peccare in materiâ gravi. Iste tamen Auctor non theologicè, sed emphaticè, ac declamatoriè loquitur.*

13 *Doctori dubitativè loquenti non defertur: vel qui sibi contradicit, vel cum suppositis falsis effatur, nullatenùs est attendendus.*

14 *De rebus ille semper meliùs judicat, qui est in illis expertus. Agesilai responsio Philosopho eum carpenti de quadam re.*

15 *Quid de Cardinali Balve, militaria tractante, dixerit armorum Dux. Judicium de rebus dandum est à viris, in ipsis rebus expertis.*

16 *Semper in Ecclesiâ fuerunt Clerici probi, veritati, & justitiæ, proprium interesse postponentes. Trajanus ensem Tribuno præbens, quid dixerit?*

17 *Claudius de là Place, fuit etiam in sensu, quod habens de proprio patrimonio, non possit de reditibus ecclesiasticis vivere, contrà omnia jura id admittentia.*

18 *Tantùm valent dicta Doctorum, quantùm rationes, quibus innituntur. Quid sibi velit hoc, quod beneficium datur propter officium?*

19 *Voluntas Fundatorum non spernitur, sed servatur à Beneficiariis merè simplicibus, qui non resident. Nec jus naturæ in hoc violatur.*

20 *Claudius de là Place exilibus innititur fundamentis, supponit quod probandum est, tollitque differentiam, quæ est inter beneficia diversa.*

21 *Opinio dicti Claudii caret probabilitate tàm intrinsecâ, tùm extrinsecâ, estque singularis.*

22 *Est demùm illius opinio contrà communem. Cur autem omnium doctrina illius opinioni est postponenda?*

23 *Non omni opinioni adhærendum est, sed illi, quæ habet pro se legem, & consuetudinem. Ab opinione communi recedere non licet.*

24 *Opinio Claudii de là Place non est magis tuta: Et quatenùs etiam esset magis tuta, non ideò est necesse illam sequi.*

25 *Censuit D. Bonaventura debere eum, qui peccavit, statim confiteri, & hoc est tutius: non tamen ideò sic facere necesse est.*

26 *Si non est certum, quod Beneficiarii curati, & chorales teneantur ad residentiam de jure naturali, minus certum est de Beneficiariis simplicibus.*

27 *Bernardus Van-Espen ex adverso allegatus dubitativè loquitur, & consultivè: illiusque verba alioquin parùm ad rem faciunt.*

28 *Nonnisi conjecturalitèr loquitur Van-Espen, & satisfit ejus doctrinæ per Beneficiarios merè simplices etiam non residendo.*

29 *Beneficia simplicia, idest choralia, vel similia, prout contradistinguuntur à duplicibus, alia exigunt residentiam præcisam, alia causativam.*

30 *Innuit Van-Espen beneficia merè simplicia esse à residentiæ debito exempta. Non standum est iis, quæ Concilium in votis habuit, sed quæ decrevit.*

31 *Van-Espen admittens distinctionem inter beneficia residentialia, & merè simplicia, non favet profectò Contradictoribus.*

32 *Doctrinę du-Hamel ex dictis est satisfactum. In Beneficiariis merè simplicibus non est electa industria personæ, ut in residentialibus.*

1. ARGUUNT *sexto loco* Contradictores ex pluribus Auctoribus, contendentibus, esse *de jure naturali*, quod Beneficiarii merè simplices, onus habeant servitii personalis, & residentiæ apud Ecclesias, in quibus eorum erecta sunt beneficia. Et pręsertim Claudius de là Place, verbis plenis stomachi, & quęrelarum excandescit, quod *quasi jure publico contrà jus naturæ, justitiam, & religionem testamentorum putetur fraudem impunè coràm Deo fieri piæ, & sacrosanctæ illorum voluntati, ut doceatur, in beneficiis, per corruptionem disciplinæ ecclesiasticæ, & violatam fidelibus defunctis fidem, dum ignaviæ, & cupiditati nostræ mos geritur, ex duplicibus, novâ nomenclaturâ, simplicibus factis, nullam residentiam requiri, sed tantùm ut ubivis breviarium Beneficiarius utcumque recites, esse satis. Id verò nemo vir bonus, & sapiens, spectatis superioribus tabulis, & juris naturæ argumentis, æquo animo ferre potest &c.* (a). In eandem sententiam it Zegerus Bernardus Van-Espen (b), Du-Hamel (c), & alii. Ergò, inquiunt Contradictores, de jure naturali est, quod Beneficiarii merè simplices sint residentię personalis onere adstricti.

(a) *Claud. la Plac. de singul. benef. c. 3. §. 2. argum. 3.*
(b) *Van-Espen. jur. Eccl. univ. p. 2. tit. 18. num. 13.*
(c) *Du-Hamel. de præcept. decal. l. 2. c. 3. num. 3.*

2. Respondetur *primò*, opinionem Doctorum non esse desumendam ex frustulis, & fragmentis earum rerum, quas scripserunt, sed ex toto simul complexu illorum doctrinæ, conferendo priùs scripta cum posteriùs dictatis, & alterum eorum cum altero concordando: alioquin nedùm vera mens Auctorum nunquàm habebitur, sed & Auctores ad id firmasse pertrahentur, quod rè verâ nunquàm sen-

ſenſerunt. Porrò Claudius de là Place ex adverſo allegatus, rotundis literis contrarium docet eorum, quæ dixiſſe proponuntur, dùm paulò anteà taliter eſt locutus: *Ex ejuſdem conditionis neceſſitate ſequitur 2. omnia beneficia ſub gravi peccato ad reſidentiam obligare (exceptis fortè quibuſdam beneficiis ſimplicibus, de quâ exceptione mox dicemus) quotquot videlicèt onus impoſitum habent, quod per ſe ipſos Beneficiarii exercere debeant, in loco, ut ità dicam majorum, hoc eſt in ſuo quiſque beneficio* (a). Vides quod Auƈtor loco in Objeƈtione poſito, non loquitur de beneficiis merè ſimplicibus, ſed de curatis, & choralibus, ſive aliâ ratione reſidentialibus; quâ de rè ne dubium oriri poſſet, ſubjungit immediatè: *Talia ſunt beneficia curata &c. Canonicatus, & Præbendæ omnes in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis conſtitutæ &c.* (b). Quæ beneficia, utpote reſidentialia, id expoſcunt, ut eorum poſſeſſores ad ſervitium perſonale, & reſidentiam teneantur; declaratque ipſe Auƈtor disertè, quod ab hoc onere excipiantur beneficia ſimplicia.

(a) *Claud de la Plac. loc. cit. c. 3. §. 2. arg. 3. num. 4.*

(b) *Idem loco citat.*

3. Undè patet eum optimè agnoviſſe veritatem, & juſtitiam ipſius exceptionis, & quod in eâ fuit, vel rationabilitèr in eâ debuit eſſe opinione, quæ immunitati Beneficiariorum merè ſimplicium favet ab onere reſidentiæ, dùm de beneficiis agens, ad eam obligatis, beneficia ſimplicia excepit expreſſiſſimè à talis debiti ſervitute, quod non faceret, ſi res ità non eſſet. Nihil relevante quod ſucceſſivè, introduƈto de ipſis beneficiis merè ſimplicibus ratiocinio, multa cumulet, plura exaggeret, nihil non introducat, utcumque ſuo intentui favens, ut ſi poſſit, velit etiam Beneficiarios merè ſimplices reſidentiæ perſonalis laqueis implicare. Nàm ex toto illius eloquio, ſi æquanimitèr ponderetur, liquet, quod ibi ſeveriore quodam ſpiritu duƈtus, ac uberrimo zelo incitatus, per exceſſum quodammodò locutus eſt, more declamatoris, prędicatoris, ſermocinatoris, emphaticè perorantis, nec talia proferentis, quę pondus, & nervum contineant Theologicæ veritatis, in praxi neceſſariò ſequendæ, ſed quæ majorem perfeƈtionem inſinuent, ab iis obſervandam, qui ferventiori ſpiritu ad rigorem propendunt. Quâ in rè honoranda eſt ſic agentium devotio, laudanda pietas, celebrandus animi fervor: ſed neque illorum faƈta, neque ſcripta, dant regulam ab univerſis Chriſtifidelibus imprevaricabilitèr obſervandam.

4. Accidit hoc non ſolùm in Doƈtoribus noſtræ ætatis, ſed etiam in Sanƈtis Patribus, qui, ut obſervat Vincentius Lirinenſis, talia quandòque in ſuis ſcriptis, declamatoriè, atque concionatoriè protulerunt, quæ in rigore non ſubſiſtunt, nec ſunt in eo ſenſu emphatico intelligenda, quem præſeferunt, uti tamquàm ex zelo quodam, & hyperbolicè diƈta: *Sic verbi gratia dùm S. Joannes Chryſoſtomus. ſuum concionando hortatur populum ad aſſiduam Sacræ Scripturæ leƈtionem; non eſt voluiſſe cenſendus, ſicut eum voluiſſe perperàm cenſent noſtri temporis Hæretici, ut omnes indiſcriminatìm etiam indoƈti, & inſtabiles, etiam rudes, & ignaræ mulierculæ, Divinæ Scripturæ vacarent, ſub pœnâ ſalutis &c.* Sed eam legendam voluit *à ſapientibus, & peritis, audiendam verò ab aliis rudibus, & indoƈtis: vel ſi legendam, cum debitâ licentiâ legendam* (c). Alibi alios Patres, qui aliquando per exceſſum locuti ſunt, notavimus (d): Illùc Leƈtorem remittimus. Itàque dicimus, quod Claudius de là Place non Theologicè, neque Legalitèr, & Doƈtrinalitèr locutus eſt, ſed declamatoriè, & per exceſſum, quando geſtiit onus reſidentiæ merè ſimplicibus Beneficiariis ingerere: Quod inferiùs etiam cernemus alio in loco Auƈtorem hunc peregiſſe (e). Interim verò ne videamur illi perperàm imputarę; audiat benignus leƈtor illius verba, fortè aliquantò prolixa, ſed hic per extenſum neceſſariò referenda.

(c) *Petrus Annati Appar ad poſit. Theol. lib. 4. art. 4. n. 4. f. 263.*

(d) *Vid. ſupr. tom 3. cap 4. n. 13. & cap 11. n. 1. 2. 3.*

(e) *Vid. infrà in hoc tom cap. 38 à n. 17.*

5. *De beneficiis ſimplicibus videndum modò eſt, quorum exceptionem diximus fortè faciendam à generali ſententiâ de obligatione ſub gravi peccato ad reſidentiam, & officium perſonale omnium Beneficiariorum. Hic verò interpello fidem, & æquitatem leƈtorum ſapientium, modò non ſint ex eorum numero, qui ſimplicia*

hujuſ-

hujusmodi beneficia habeant, & hoc ipso quod vulgò ad residentiam nullam, & ad aliud nullum præterquàm, Breviarii privatim recitandi munus pro fructibus, & bonis perceptis obligari putentur, in eorum vel ambitione, & cupiditate adhùc avidè inhiant, vel beatâ possessione molliter, & delicatè incubant; Stulti, illius divitis in morem, qui dixerat animæ suę, anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Tales enim Judices recuso; qui in reatu eodem sunt: qui nolunt ad residendum, & Deo, atque Ecclesiæ beneficiis suis serviendum, ratione ullâ, sermone ullo adigi. Existimo autèm, dato mihi quovis Judice idoneo, nec præjudicati quidquam in contrarium adferente, idem planè convinci, & comprobari posse de beneficiis omnibus curam animarum non habentibus, sive ut vocant simplicibus, puta Abbatiis in commendam perpetuam datis, Prioratibus, Capellaniis, & aliis similibus: quod de Canonicatibus, & beneficiis duplicibus, & curatis est demonstratum, eâdem nimirùm ratione, & lege naturę pro utrisque militante, quàm ex pactis, conventisque fundationum, & fide, & munere necessario Beneficiariorum repetivimus, statuentes, nemine reclamante beneficium dari propter officium, quale cujuscumque esse debeat, non solùm lege illâ, sive consuetudine ecclesiasticâ Breviarii recitandi definitur, continetur-que, ad quam Pius V. Bullâ suâ 138. quam suprà citavimus, Præstimonia, Prę-stimonialesque portiones (cujusmodi multa esse in Hispaniâ Scriptores testantur, & conferuntur, ut plurimùm Clericis adolescentibus ad prosequenda studia literarum, vel in subsidium Terræ Sanctæ, ut ait Rebuffus, & sicut portiones quædam fructuum ab ecclesiasticis reditibus abstractæ) & quallacumque alia beneficia, etiam nullum omninò (tale videlicèt) habentia; cum aliis omnibus beneficiis obligari voluit, obligavitque; verùm etiàm altero, eoque primario statuto conventionum, & conditionum, quibus ipsa beneficia fundata sunt: & Ecclesię, prò Beneficiariis stipulanti, ex pacto, conventoque donatione, vel legato, data, atque accepta fuerunt (a).

6. *Perquirantur itàque, & exhibeantur instrumenta ipsa fundationum beneficii cujuscumque simplicis: recitentur illa, & persequantur. Quis dubitat ex his talibus, ac monumentis publicis, apertè constiturum esse de voluntate Fundatorum, & certo ministerio ecclesiastico Beneficiariis istis præscripto, & constituto: certisque in locis, aut illis certè ipsis locis præstando, fideliter explendo; ubi prædicta bona pii Fundatores in stipendium hujus muneris, atque ministerii juxtà se, & in ædificationem regionis suæ, urbis, aut pagi, perpetuò assignata, atque attributa voluerunt? Sed estò, deperdita nonnulla, aut combusta sint instrumenta illa, & tabulæ fundationis beneficiorum simplicium (quod pro asserendâ quidem residentiâ, muneribusque ecclesiasticis per se ipsos exercendis, vellent Beneficiarii fortè non pauci ubique ità esse: prò enumeratione prędiorum, bonorumque recuperandorum, si quæ fuerint adempta, profectò nollent) utamur eâdem viâ, ad istam voluntatis Fundatorum notitiam, munerisque sui, ac ministerii legem, & conditionem investigandam; quà Jurisconsulti tradunt perveniri ad internoscendum in dubio de quibusdam bonis Ecclesiæ, an Ecclesiastica sint, atque ad Clericos, tamquàm beneficia pertineant, an solùm ad laicos homines, quibus fruenda conceduntur, ob munera, laboresque certos ab ipsis exequendos, puta ob nolarum ænearum pulsationem, & alia huic similia ministeria, quæ non dicuntur propriè beneficia ecclesiastica.*

(a) Claud. de la Plac. de Clericor. Sanctimonia opusc. 1. de necess. unius uni Clerico ecclesiastici benef. singular. c. 3. §. 2. argum. 3.

7. *Quotiès dubitatur (inquit Duarenus) an reditus illi ad spirituale, sacrumque ministerium constituti, destinatique sint, nec ne? quià facti quæstio est magis, quàm juris, vulgò traditum est, ad signa, notas, & conjecturas recurrendum esse. Itàque si Basilica, sive ædes sacra, altare, tintinabulum, cœmeterium, & alia id genus, in eo, de quo quæritur, loco reperiantur. Sacrum, ac spirituale beneficium esse judicabimus, nisi contrarium appareat. Perspiciamus rudera prędii ipsius ecclesiastici (de quo nullo jàm modo dubitatur, quin sit beneficium, sa-*

crique

erique ministerii fundus, & possessio) an non ibi ædes sacra fuerit, vel sacellum, & vicina domus, quam incalendam sacro istius ædis, ac beneficii ministro Fundatores construi curarint: aut siquidèm in urbe, in oppido, in vico, vel pago aliquo celebrandi in æde sacrâ, & Ecclesiâ Parochiali, Collegiatâ, vel hujusmodi aliqua loci illius, alteriusve. Hæc sunt enim signa jàm, & monumenta certa, quod Fundatores illìc te (beneficiarie simplex) sacris operari, ministeria tua præstare, stipendia tua mereri voluerint: non in urbibus primariis, in aulâ, in alienis ejusmodi occupationibus gratioribus, commodioribusque: quibus certè nemo unquàm affingat, imputetque, quod voluerint illi se suis stipendiis servire, aut commitatum præbere, & de suo luxuriari, & superbire, aut suis certè commodis, ac privatis negotiis (nàm minima de malis perstringo) spretâ, & violatâ suâ voluntate sufficere. De suo, inquam, quod illi piè ad sacros usus Divini cultus, precum, auxiliorum spiritualium, bonæ conversationis, exempli, atque ædificationis suorum, vel civium, vel subditorum, ac vicinorum Deo voverunt, ac dedicarunt: Ecclesia acceptavit, & fore semper spopondit. Furibus semper aliquid excidit ad judicium dixit alicubi Tertullianus; ità semper ex ruderibus ipsis prædiorum ecclesiasticorum, simplicibus istis Beneficiariis, velint, nolint, relictum est plusquàm satis signorum, conjecturarum, monumentorum, voluntatis, & consilii suorum Fundatorum, ut in suis beneficiis fidem præstent sacri sui ministerii, atque in id operis assiduì resideant, incumbantque.

8. *Quid urgebo nomina, titulosque Abbatum, Prioratuum, & hujusmodi, quorum manifesta sunt instituta prima, pia, religiosa, & residentiæ, fidelitatisque maximæ: undè ad hodiernam demùm licentiam, abusum, abominationem detorta sunt, deflexeruntque, non sanè in melius, atque ad publicam Ecclesiæ utilitatem, & necessarium gloriæ divinę bonum, aut studiosiorem curam oviam Christi, & pauperum rusticorum, quibus non est, qui frangat panem! Non enim adeò morosi sumus, ac difficiles, quin ut justâ, eâque validè necessariâ de causâ, nonnihil interdùm de voluntate Fundatorum in meliùs commutari agnoscamus convenire: quin ut etiam fateamur, à residentiâ assiduâ, perpetuâque reperiri excusationes, quas Patres Tridentini agnoverunt, habere locum posse, & occurrere: Cum, videlicèt, Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesię, vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquàm abesse postulat. Verùm ut impunè, palàm, & publicè voluntati Fundatorum præscribatur, illudaturque, ut quasi juri publico contrà jus naturæ, justitiam, & religionem testamentorum putetur fraudem impunè coràm Deo fieri pię, & sacrosanctę ipsorum voluntati: ut doceatur in beneficiis, per corruptionem disciplinę ecclesiasticę, & violatam fidelibus defunctis fidem; dùm ignavię, & cupiditati nostrę mos geritur, ex duplicibus novâ nomenclaturâ simplicibus factis, nullam residentiam requiri; sed tantùm ut ubivis Breviarium Beneficiarius utcumque recites, esse satis: Id verò nemo vir bonus, & sapiens, spectatis superioribus tabulis, & juris naturę argumentis, ęquo animo ferre potest: Beneficium enim datur propter officium, & (ex Paulo quoque Apostolo) hominis confirmatum Testamentum, nemo spernit, aut superordinat. Vultu sępè lęditur pietas, quemadmodùm proverbiali sententiâ à sapientibus celebratum est: quid de isto ingrati animi scelere, atque injuriâ Beneficiariorum in pios benefactores suos vita functos? Aut abi, aut exuere; inclamat (ingratè) tibi profana antiquitas: aut si non abis, spartam nactus, hanc exorna; & esto vir.*

9. *Nec ità statui debere dicimus de necessariâ jure naturę in loco beneficii residentiâ, onerisque, ac ministerii per seipsos persolvendi obligatione, omnibus Beneficiariis, curam animarum non habentibus, quasi hujus sententię Auctores simus, solique Doctores etiam inter modernos. Omninò enim priscis Patribus, & veteri Jure Canonico inauditum fuit, ut quisquam unquàm esset ordinatus ad aliquod ministerium in Ecclesiâ, deque bonis, alicui ministerio attributis, vesceretur, aut*

susten-

sustentaretur: qui nequè in ipso degeret, aut resideret, nequè per sè ministraret, & officio suo fungeretur. Non itò fascinavit omnes Doctores hujus Saeculi Theologiu accomodans, atque assentans, quin viri magni nominis idipsum docuerint: Vasquez id tradidit: Navarrus tradidit: Azor srudidit: cum Angelo, Sylvestro, & aliis à Vasquezio citatis, iisque nobiscum rationibus, eodemque fundamento, ac prineipio naturali, Beneficium datur propter officium. Nèc alii Doctores valdè discrepant; dum dicunt quidem naturalitèr, & fundamentalitèr teneri ad residentigm, & onus beneficii sui per se ipsos persolvendum ex jure positivo, humano, atque ecclesiastico ob institutionem (verbi gratia) recitandi in Choro, & persolvendi divina officia in tali Ecclesiâ, quemadmodùm ex dispositione Juris Canonici, atque adeò etiam Concilii Tridensini definitum, & constitutum habetur. Veruntamèn residentiam, personalemque ministerii sui functionem in suis beneficiis teneri, atque obligari fatentur, ac docent, quia positâ illâ institutione, ac disciplinâ ecclesiasticâ, naturali (inquit) consecutione consurgit obligatio residendi in loco beneficii, ut officio satisfaciant, sicut famulus factâ laborandi cum Domino conventione, jure naturae tenetur laborare, quamvis primaria obligatio ex humanâ conventione consurgat.

10. *Nèc in eo diversam esse rationem Capellanorum, simpliciumque Beneficiariorum, Canonicorum item, Dignitatumque ab habentibus beneficia Curata, nisi quod hi strictiùs obligentur, nempè propter obligationem ex jure divino accedentem naturali, illi tantùm propter obligationem ex jure naturali consurgentem; quodque in his nulla dispensatio, nisi justâ, gravique de causâ, à Summo Pontifice concedi possit, ut illis posse putent: quae sententia Bonacinae fuit, & eorum, quos ipse citat: quamquàm argumento Beneficiariorum simplicium respondens, excusationem suo peccato praetexentium ex consuetudine communi, quae omni memoriâ vetustior sit, quâ dicunt itò in usu esse, ut etiam sinè stimulo conscientiae omnes beneficia simplicia habentes in illis non resideant; Nobiscum ille cogitur sentire contrà consuetudinem ipsam, sinè pravam, & damnandam, quod minimè excuset, quià juri naturali (inquit) saltem secundariò adversatur: non potest autem induci consuetudo contrà jus naturae, nisi adsit justa, gravis, & sufficiens causa; cujus gratiâ, & pondere neglectus, & omissio residentiae compensetur, & cohonestetur. Deniquè Juri positivo, humano, longâ consuetudine derogari potest; Divino, naturalique non potest. Quarè? Quià non solùm humano jure positivo, sed etiam naturali beneficia simplicia residentium (ut vidimus) requirunt. Pace tamen Bonacinae dixerim, & Auctorum ejus, non magis videri dispensationem dari posse in beneficiis simplicibus, quam duplicibus, sinè justâ, & gravi causâ: nimirùm ex eâ parte, quae juris est naturalis, & ex virtute Justitiae obligat, sicut in onere Breviarii, quod non nemo videt.*

11. *Addo verò idem sentiendum esse de hâc consuetudine, quod Concilio Tridentino visum est de simili consuetudine immemoriali sentiendum, prò non residentiâ in gratiam Beneficiariorum Curatorum. Nàm Decreto de residentiâ edito, ubi prohibuit excusationem illam ab Episcopo admitti quovis privilegio, statuto, auctoritate, & consuetudine immemorabili confirmatam: istam potiùs censendam esse corruptelam declaravit, quam consuetudinem. Si quis objecerit nobis (inquit Gullielmus Parisiensis) de Ecclesiis, in quibus non compellitur fieri residentia; dicimus quod non est libertas ex constitutione, & fundatione, sed ex longâ consuetudine, & usurpatâ Clericorum malitiâ. Inobduratam autem istorum Beneficiariorum conscientiam, qui nulla metu tremendorum Dei judiciorum terrentur, rationisque sibi oculum, ac mentem in hac rè, non propter Christum, & charitatem Fundatorum sui beneficii, sed sui dumtaxat commodi gratia excaecarunt; cum B. Cypriano exclamare libet. Consensere jura peccatis, & caepit licitum esse quod publicum est. Rationem tamen consuctudo impedire non debet (ait idem Martyr) & Dei veritatem, non hominum consuetudinem sequi oportet.*

Denique consuetudo frustrà rationi opponitur, quemadmodùm dixit B. Augustinus: multò minùs talis corruptela! Discant tandem se, infideles isti, atque ingrati Beneficiarii plurales, in gravi peccato esse, quod non resideant, nec personali functione ministerium suum præstent, qui stipendia illius per se accipere, & absumere nihil verentur; veritate revelatâ, consuetudinem sibi cedere oportet ex B. Augustino.

12. Subductis igitur exactè rationibus omnibus de *residentia,& functione Beneficiariorum simplicium:quià parum nostra hic interest,utrum primariò,an secundariò tantùm jure naturæ, ad eam obligentur; alterutro autem adeò strictè obligantur, ut sinè justâ, gravique causâ, dispensatio ab eâ nulla valeat; nec ulla quantumcumque longa consuetudo ipsi præscribere possit. Denique tàm simplices isti, quàm duplices Beneficiarii ex hac parte, graviter peccant non residendo, quià faciunt utrique contrà præceptum juris naturalis in materia gravi: propterea comprobatam habemus generalem istam propositionem, omnia beneficia, nequidem simplicibus exceptis, sub gravi ex naturâ suâ peccato, obligare ad residentiam, personalemque ministerii sui functionem, ex eo quod beneficium axiomate juris, luminisque naturalis evidentissimo, detur propter officium: Æquè, certè, ac obligantur ad quotidianam recitationem officii ecclesiastici, sivè Breviarii, generali sententiâ, & propositione, ex eodem axiomate consectaria, quemadmodùm exploratum, convictumque à nobis abunde est &c.* Hi sunt sensus, hæc verba Claudii de là Place, Contradictorum Achillis: quis autem cordatus vir, ea legens, non deprehendit, Auctorem hunc, severiore quodam raptum spiritu, non theologicè, non legalitèr, non doctrinalitèr, sed emphaticè, declamatoriè, ac piâ quadam exaggeratione per excessum esse locutum, adeòque illius theoricam nihil prorsùs afficere ad revolvendam praxim totius Christianitatis, contrarium docentis, & oppositum sine ullo peccati scrupulo ubilibet observantis? Illius motiva per totum præsens opus abundè disposcuimus; undè superfluum erit eisdem hic minutatim ex sufflandis iterùm incubare: Nihilominùs,

13. Respondetur *secundò*, quod si Claudius de là Place in mente habuit loqui theologicè, non verò declamatoriè, illius doctrina deficit in pluribus, multasque patitur exceptiones, quæ ipsi omnem detrahunt firmitatem. Nàm in in primis loquitur non constantèr, & absolutè, sed modo ancipiti, ac dubitativo, ut ex lecturâ patet eorum, quæ ex illius scriptis toto huic Capitulo inseruimus. Doctori autem dubitativè loquenti proculdubiò non defertur (*a*). Nèc potest ejus doctrina prævalere adversùs sententiam plurimorum aliorum firmitèr, & assertivè contrarium edocentium. Secundariò Auctor hic sibi per diametrum contradicit: nam in primo loco excipit Beneficiarios simplices ab onere residentiæ (*b*), & in secundo, totus est, ut eos, non minùs ac residentiales, ad servitium personale, ac ad residentiam coarctet (*c*). Doctor autem qui sibi contradicit, nullatenùs est attendendus (*d*). Præterea loquitur cum suppositis valdè insubsistentibus, de quibus in sequenti responsione diffusiùs. Doctorem autem cum falsis, & insubsistentibus suppositis procedentem, nullus providus, & sapiens sequi tenetur (*e*).

14. Omittimus insulsam illam protestationem, quam Innectit, se nolle pro Judice habere ullum, qui possideat beneficia merè simplicia: quo brevi eloquio excludit judicium Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, & Clericorum majoris, & minoris categoriæ, & ferè omnium illorum, quibus utitur Ecclesia ad judicandas causas beneficiales, cum isti omnes utplurimum beneficiis merè simplicibus sint instructi. Quid ergò? Standum né erit judicio Astrologorum, vel Ruricolarum, aut Militum, vel Artificum? Absit. In judiciis ferendis, semper eligendi sunt homines de rè, quàm judicare debent experti: Undè Poeta: *Navita de ventis, de bobus narrat arator, enumerat Miles vulnera, Pastor oves.*

(a) *Card. de Luca de Donat. disc. 35. n. 8. & 9.*

(b) *Claud de là Place de sing. benef. cap. 3. § 2 arg 3. n. 4.*

(c) *Idem ibi num. 5.*

(d) *Bos. el. art. 3. num. 23. apud Card. de Luca.*

(e) *De Luca de Testam. disc. 23. n. 11. de Servit. disc. 103. n. 9. de Emphit. disc. 3. n. 4.*

Equi-

Equitabat Agesilaus intrà spatia suæ domus, more puerorum, super arundinem, ut morem gereret filiolis suis eadem formâ equitantibus, & patrem ad id faciendum urgentibus: Hoc videns Philosophus quidem severioris observantiæ, ac gravitatis eum carpsit, quasi sè in rebus puerilibus exerceret Dux tanti nominis, Agesilaus verò interrogans Philosophum, an filios haberet, à quibus unquàm fuisset ad tales sive condescentiones, sive ineptias incitatus, auditâ negativâ responsione, subjunxit: Vade, & quando similes habebis filiolos, te ad talia sollicitantes, de hoc actu meo judicabis (*a*).

15. Cum Jacobus de Balve Cardinalis, & Episcopus Andegavensis prævaleret in gratiâ Ludovici XI. Galliarum Regis, omnibusque rebus pro suo libito manum apponeret, ac militaribus quoque negotiis se misceret; Comes Damartini Militiæ Dux Generalis, Regem oravit, ut sibi facultatem faceret Clerum Andegavensem congruè reformandi: cui petitioni, non sine risu auditæ, Rege non annuente, quià nesciret laicus, & miles de rebus ecclesiasticis judicare; Comes subjunxit: At quomodò militaria pertractat Cardinalis de Balve Episcopus Andegavensis, qui nescit de militaribus judicare (*b*)? Illorum ergò semper judicium est petendum, qui de illâ rè, quæ judicanda est, magis instructi sunt, & in illâ experti. Quarè de contractibus melius judicant negotiatores bonæ mentis, & conscientiæ, quam Monachi, & Eremitæ, tametsi docti. De votis, & rebus Claustralibus melius judicant Regulares, quàm Laici, & Clerici Sæculares tametsi docti. In rebus forensibus melius judicant Juris periti, quàm Theologi (*c*), & sic de aliis rebus. Non benè igitur Claudius de là Place excludit judicium omnium, beneficia merè simplicia possidentium, cum potiùs illorum deberet judicium postulare, illorum tamen, qui sunt candidæ, & illibatæ conscientiæ, tamquàm rei benè peritorum, & justitiæ, ac veritatis amantium.

16. Numquid enim inter tot Ecclesiæ Proceres, & Prælatos, Presbyteros, & Clericos, non multos invenisset, qui contrà exemptionem Beneficiariorum merè simplicium sententiam protulissent, si eos tali exemptione potiri non debere agnovissent? Nos qui hæc scribimus, nullum possidemus beneficium merè simplex, & tamen pro memoratâ exemptione pugnamus, quià justitiam, & veritatem sit deposcere cogitamus. E contrà censemus, quod multi essent Ecclesiæ Prælati, aliique beneficia merè simplicia tenentes, qui reddendo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo (*d*), ingenuè supradictam exemptionem condemnarent, si condemnandam esse judicarent, nec lucrum redituum, integritati propriæ conscientiæ præferrent: Imò ipsi, conscientiæ stimulis agitati essent primi in hâc rè proscribendâ, condemnandâ, evellendâ, & sententia contrà sè proferendâ, eâ puritate justitiæ, quâ Trajanus Imperator, Tribunum deputans, ei ensem porrexit, & ait. Cape ferrum hoc, & si quidèm rectè Imperium gessere pro mè, sin alitèr, contrà mè eo utere (*e*). In Ecclesiâ Dei nunquàm defuerunt, & nunquàm deerunt Clerici probi, atque sancti, qui veritati, & justitiæ proprium etiam interesse postponant.

17. Cæterùm perpendendum est, quod Claudius de là Place alibi in suo opere animum suum illùc inclinat, ut censeat, non licere de beneficiis, & reditibus ecclesiasticis vivere, illi qui sufficiens patrimonium habet, quo de proprio possit vivere. Doctrina perfectionem quidem promovens, & laudem conciliàns cuicumque velit ità se gerere; sed doctrina talis, quæ theologicè non subsistit, & sub conceptu formali obligationis posita, potiùs videtur esse contrà jus divinum, præscribens, non esse alligandum os bovi trituranti (*f*): nec debere quemquam stipendiis propriis militare (*g*): Omninòque contrà communem sensum est, tàm Theologorum (*h*), quàm Canonistarum (*i*), unâ voce asserentium, licitum esse cuilibet, etiam proprium patrimonium habenti, beneficium, de quo vivat, accipere, atque retinere. Undè si Claudius de là Place rem

(a) *Manutius in Apophtegm.*

(b) *Forest. Map. Hist. in Lodov. II. Re Franc.*

(c) *Pignatel. tom. 1. Consult. 182. n. 28 Card. de Luca de Jurisd. disc. 52. n. 8.*

(d) *Matthæi cap. 22 num. 20.*

(e) *Dio. in Trajano.*

(f) *Deuter. cap. 25. num. 4. 1. Corinth. c. 9. num. 9.*

(g) *1. Corinth. c. 9. num. 7.*

(h) *Molin. de Just. & Jur. tr. 2 disp. 145. Bonac. tom 1. disp. 4. de oblig. benef. pun. 2 n 6.*

(i) *Covar. c. 1. de testam n. 2. Navar. de redit qu. 1. monit. 32.*

rem adeò tritam, & evidentem, atque paſſim per totam Eccleſiam ubilibet frequentatam, non expavit in dubium revocare; quid mirum ſi aſſeruit, Beneficiarios merè ſimplices teneri ad onus reſidentiæ perſonalis, ſub pœnâ gravis culpæ, quam ipſe tantoperè exaggerat, eſſe juri divino, ac naturali contrariam: cum nos è contrà multiformitèr uſque nunc patefecerimus, in hâc rè nullam prorſus eſſe culpam, & nec divinum, neque naturale jus hâc reſidentiæ intermiſſione violari?

18. Reſpondetur *tertiò*, Doctores ex regulâ generali tantùm in eorum aſſertioribus prævalere, quantùm ſonant rationes, quibus innituntur, & auctoritates, quas allegant (*a*), Claudius autem de là Place innititur rationibus, quæ ad rem non faciunt, uti mox demonſtrabimus, & conſequentèr attendendus non eſt (*b*): Et nedùm non allegat anctoritates intentum ſuum probantes, ſed imò loquitur contrà textum juris expreſſum, tum Concilii Tridentini (*c*), tùm Decretalium (*d*), in materiâ clarâ, & rutilante, quæ non admittit interpretationem oppoſitam, adeòque illius aſſertio nullius eſt ponderis, & momenti (*e*). Et quidem allegat pro authoritate juridicum illud proloquium, quod beneficium datur propter officium; auctoritas vaga, generalis, & vel ad rem non faciens, vel alia concernens diverſa ab onere reſidentiæ, uti centies in hoc opere demonſtratur. Verum eſt, quod beneficium datur propter officium, ſed non datur propter ſolum officium divinum. Datur enim etiàm ut Clericus aſſumptus in partem Domini, de patrimonio Domini vivat (*f*): Et datur propter alias cauſas, ac labores, quibus ad ſe adſtringit, incumbens vitę clericali, proùt ſuprà tetigimus (*g*). Quarè divini officii recitatio non eſt cauſa totalis, ſed partialis exhibitionis beneficii. Imò ſecundum plures Doctores ipſa officii recitatio non importat conditionem, ſed modum in collatione beneficii (*h*), adeòque ipſamet non erit cauſa finalis, ſed modalis. Et utcumque res ſe habeat; etiàm ſi beneficium daretur propter ſolam Breviarii recitationem; non indè benè deducitur obligatio reſidendi apud Eccleſiam beneficii, quippè divinum officium optimè recitari poteſt, non ſolùm apud illam Eccleſiam, ſed etiàm alibi: ſubſtantia namque actus præcepti conſiſtit in recitatione. Quod autem hęc fiat hìc, vel illìc, in unâ, vel in aliâ Eccleſiâ, nil refert, niſi reſpectu ad illos, quorum electa eſt induſtria perſonæ, & quibus aſſignata eſt per Superiorem Baſilica, in quâ fiat recitatio, ut contingit in Canonicis.

19. Allegat quoque pro auctoritate verſiculum Apoſtoli ad Galatas, *homines confirmatum teſtamentum, nemo ſpernit, aut ſuperordinat* (*i*), quaſi violetur voluntas fundatorum, dum per Beneficiarios non exibetur reſidentia perſonalis: in quo ſuppoſito etiàm unam ex ſuis rationibus fundat, cum rè verâ hoc non ſubſiſtat, nec per defectum reſidentiæ lædatur ullo modo præfata voluntas: De quâ ſi non conſtat; certè illam lædi dici non poteſt, cum pro libertate beneficiorum ſit præſumendum (*l*). Si verò conſtat, & reſidentiam non exigit, profectò Beneficiarii ſimplices hanc omittendo, non ſunt prævaricatores voluntatis fundatoris, ſed eam ſerviant. Et in dubio præſumendum eſt fundatorem voluiſſe voluntatem ſuam uniformare diſpoſitioni juris, quæ Beneficiarios ipſos eximit ab onere reſidentiæ, præſertim accedente obſervantiâ centenariâ, & pluſquàm quingentenariâ. Similitèr allegat pro ratione, quod non reſidendo, ingrati animi ſcelere, injuria piis benefactoribus fiat; juſtitia lædatur; & alia committantur, per quæ jus naturæ lædatur; cum tamen cuncta gratis aſſerantur, ſine fundamento aſſerantur, exaggerativè aſſerantur, fuerintque per totùm hoc opus non ſemel, & bis, ſed centies confutata. Nèc hic habet quid faciat jus naturale, quod eſt lex à naturâ mentibus hominum indita (*m*), & lex immobilis, ac immutabilis (*n*). Quippè lex reſidentiæ mutari poteſt, ac ſuper eâ diſpenſari; nec natura, ideſt Deus, ſeu natura naturans (*o*), quidquam indidit menti hominum, quod Beneficiarii reſideant, vel non reſideant. Sed potiùs

(a) *Card. de Luca de jure patron. diſc. 10. nu. 7. de Uſur. diſc. 29. nu. 13. & de fideicom. diſc. 96. n. 11.*
(b) *De Luca de fideic. diſc. 27. n. 11.*
(c) *Conc. Trid. ſeſ. 6. cap. 2. ſeſ. 24. c. 17. & c.*
(d) *Cap. Clericor. 17. de Cler. non reſid. cap. gratia 7. de reſcript. in 6.*
(e) *De Luca de Emptione diſc. 52. ſub n. 2.*
(f) *Vid. hic ſupr. c. 24. num. 20.*
(g) *Vid. hic ſupr. cap. 25. n. 9. 10. 11. 18.*
(h) *Driedo de libert. Chriſtian. c. 4. Navar. in cap. quando cap. 7. nu. 11. Vid. alios ſupr. hic c. 24. n. 20.*
(i) *Galat. cap. 3. n. 13.*
(l) *Mantic. dec. 358. num 3. Barboſ. jur. Eccleſ. univ. l. 3. c. 4. n. 42.*
(m) *Barboſ. in cap. jus naturale 7. num 8. diſt. 1.*
(n) *Inſtit. de jur. natur. §. ſed & naturalia. Cap. ult. diſt. 6.*
(o) *Auguſt. Barboſ. loc. cit. n. 8.*

tiùs lumen cunctis impressit dictans non esse sine causâ tollendam libertatem illi, qui libertate potitur, nec esse alicui onus ingerendum, quod non habet.

20. Mirum est, opportunè hìc dici potest cum Antonio Charlas, quomodò *levissimè rationes sensui*, Claudii de là Place *faventes, argumenta invictissima videantur. Demonstrationes contrariç argumenta probabilia non existimentur, quià earum vis non percipitur, neque etiàm ad eam attenditur. Miseret me virorum cçteroqui gravium, cumeos video aliquandò in sententiis, aut certè falsis, aut plurimùm dubiis ità defixos, ut veritatem se deffendere jurarent &c. Alii levioribus, alii minùs levibus argumentis cedunt, proùt minùs, magisque inflammatis cupiditatibus incitantur, aut minoribus, majoribusve pollent ingenii viribus &c.* (a). Uno verbo Claudius de là Place (petitâ illius veniâ sit dictum) non rationibus, sed ratiunculis pugnat: non motivis veris, & fundamentalibus innititur, sed apparentibus, & nullius momenti. Supponit quod probandum est: urget Beneficiarios simplices iisdem inductionibus, argumentationibus, & fundamentis, quibus Beneficiarii curati, & chorales appetuntur: quasi nulla facienda sit distinctio inter beneficia residentialia, & non residentialia, quamquàm à praxi à veritate, atque à Juribus approbata: plurima tandem commiscet, exaggerat, coacervat ad rem non facientia, ut suam suadeat opinionem, sed perperàm: cum nec audientium aures, nec legentium mentem in suum sensum captivet; quippè non veritati servit, sed novitati. Parcendum est nihilominùs ferventi ejus zelo, quo Beneficiarios merè simplices declamatoriè ad perfectionem allicere çogitavit. Sed non omnes ei deferre tenentur, quià nullus ad id sequendum adstrictus est, quod est magis perfectum: *unusquisque* enim *proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic* (b).

(a) *Anton. Charlas de Opin delect. cap. 30. in princip.*

(b) *1. Corinth. c. 7. num. 7.*

21. Respondetur *quartò*, Opinionem Claudii de là Place esse opinionem improbabilem, & singularem, contrà communem aliorum Doctorum sensum, adeòque nec attendendam, nec necessariò sequendam. Est improbabilis, quià caret probabilitate, tùm extrinsecâ, tùm intrinsecâ. Caret probabilitate extrinsecâ, quià non habet Doctores, à quibus inconcussè, atque seriò defendatur, nec opinionem probabilem reddit sola authoritas unius Doctoris, si in contrarium sit communis opinio (c), imò & neque authoritas duorum, vel trium; quippè vox communis præfertur dictis paucorum (d). Valetque in eorum refutatione id, quod sapientissimè quondam D. Augustinus asseruit: Scriptores non Canonicos *ità lego, ut quantâ libet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideò verùm putem, quià ipsi ità senserunt, sed quià mihi per alios Auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt* (e). Caret quoquè probabilitate intrinsecâ, quia innititur falsis fundamentis, ac suppositis subsistentibus, de quibus pauló superiùs, numeris præcedentibus, actum est. Pariter est opinio singularis, quià præter ipsum Claudium de là Place, nemo, qui ad nostram notitiam venerit, assertivè illam defendit.

(c) *Fagnan. in cap. ne innitaris num. 431. de Constit lib. 1.*

(d) *Prosp. Fagnan. loc. cit. n. 414.*

(e) *S. August ep. 19. ad Hieron cap ego solis 5. distl 9.*

22. Est tandèm contrà communem, quià tàm Theologi, quàm Canonistæ, quorum notabilem numerum, superius recensuimus, unisonâ voce pro libertate Beneficiariorum merè simplicium decertant: adeò ut pro unico Claudio de là Place sic sentiente (qui adhùc fluctuat, ut in responsione primâ præsentis Capituli patefecimus) inveniantur infiniti alii Doctores optimæ notæ, contrarium sustinentes, quorum doctrina sine ambiguitate est communis; inhærens manifestis Scripturç testimoniis, jurisque sanctionibus, ac naturalis rationis principiis, immemorabilique Consuetudini, de quibus nos in toto præsenti Tomo. Nèc hi sunt Scriptores levis momenti, ac qui rem delibaverint perfunctoriè, atque superficialitèr, quippè sic nutaret eorum fides (f): opinio enim communis non est dijudicanda à numero, sed à pondere Auctorum (g): Alioquin si unus alium

(f) *Fagnan. loc. cit. num 435. & alii ibi.*

(g) *Idem Fagnan. num. 348.*

cæcâ

cæcâ mente sequatur; corruente Antesignano cuncti simùl diruuntur (*a*). Sed sunt Doctores Classici, Theologi, Scolastici, & Morales, Canonistæ, ac Jurisperiti, uti dicebamus optimæ notæ, qui quæstionem seriò examinarunt, & fundamenta, tùm favorabilia, tùm opposita, maturius discusserunt, quorum omnium auctoritatem quis adeò despiciat, ut postponat opinioni unici Claudii de là Place? Quis constituit hunc Auctorem Judicem totius Christianitatis, ut ea facienda sint, quæ ille solus docuit, & alia contemnenda, quæ infiniti alii docuerunt? Quarè illius solius opinio, omnium aliorum est opinioni præferenda? Quodnam est illius privilegium, ut nihil attentis infinitis Doctoribus, contrarium sentientibus, neque Scripturæ, neque Canones, neque Decreta Sacræ Congregationis, neque Rotę Decisiones, nec quidquam aliud sit attendendum, sed cuncta novæ illius opinationi sint postponenda?

23. Legimus centies, quod opinioni, vel magistro cuilibet non est credendum (*b*). Quod opinio illa semper est præferenda, quæ habet pro sè legem, vel probatam consuetudinem (*c*). Quod in judicando, & consulendo, amplectenda est opinio probabilis, & communis (*d*). Quod ab opinione communi recedere non licet, nisi habenti pro sè rationem certam, & convincentem, quę in casu nostro nec per umbram occurrit (*e*). Quod opiniones singulares non sunt Jurium, & Decretorum constitutionibus præferendæ (*f*). Quod demùm opinionem alicujus Magistri eligens contrà manifestum Scripturę testimonium, sive contrà id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem non potest ab erroris vitio excusari (*g*). Quomodò ergò Claudii de là Place opinioni, exemptionem Beneficiariorum simplicium à residentiæ onere diruenti, adhęrere poterimus, si hæc Scripturis, Canonibus, Consuetudini; sensui Ecclesię, communi tandem Doctorum consensui obsistit, & si, ut veritatem fateamur, non est nisi opinio insubsistens, ac singularis, & ex nimiâ severitate animi, aut zelo, aut quadam velut levitate dimanans (*h*).

24. Nec dicatur, quod opinio Claudii de là Place est tutior, quatenùs tutius est, quod Beneficiarius merè simplex resideat, & personalitèr operetur in loco sui beneficii, quam ut alibi consistat; adeòque hæc opinio potius sit sequenda, quàm contraria oppositum docens; Nàm respondemus, quod tùnc opinio tutior est sequenda, quando res dubia est, non verò quando est certa, & inconcussa (*i*). Talis autem est illa, de quâ loquimur, non est enim dubium, an Beneficiarii simplices teneantur residere nec nè, sed est certum, quod non tenentur; & sic non habet locum debitum eligendi tutiorem opinionem; Vel si eligenda est tutior opinio, sequenda est illa, quæ eximit Beneficiarios ipsos ab onere residentiæ: quippè rè verâ hęc est tutior, utpotè Scripturæ, Canonum, Conciliorum, Consuetudinis, praxis generalis Ecclesię, & communis sensus Doctorum Auctoritati subnixa, quibus tantis, ac talibus fundamentis inhærens, proculdubio tutior est, quam contraria, iisdem fundamentis opposita. Prætèrquamquod non semper opinio tutior est sequenda, nisi ubi periculum est animæ manifestum, quod in casu nostro non adest. Et licèt laudabile sit semper id sequi, quod magis perfectum est, non tamen ad id homines sunt ex necessitate obligandi, cum satis sit quod ab illis fieri, & exerceri, quod bonum est, ac tutum, atque in praxi communitèr observatum (*l*).

25. Nota est opinio Sancti Bonaventurę, sentientis, quod, qui mortalitèr peccavit, præsertim si Religiosus sit, teneatur statim ac potest, de commisso crimine confiteri (*m*): Quæ sine dubio est opinio tutior, ac id quod perfectius est promovens, quià tutius, & perfectius est citò à se mortale crimen excutere, quàm diutiùs in animâ retinere. Nihilominùs S. Thomas contrariam tenuit opinionem, tametsi minùs tutam, atque minùs perfectam (*n*): ac eum secuta est communis Doctorum consensio: jamque hæc opinio nullam difficultatem admittit. Non ergò eo ipso, quod opinio est tutior, oportet eam sequi, sed lici-

(a) *De Luca de Pension. disc. 81. sub n. 19. & Conflict. obser. 24.*

(b) *Fagnan. in cap. per suas n. 6. de sent. excom. l. 5.*

(c) *Idem in cap. nè innitaris n. 21. de Constit. l. 1.*

(d) *Idem Fagnan. loc. cit. n. 275.*

(e) *Fagnan. loco cit. num. 461.*

(f) *Ipsemet Fagnā, ubi supr. n. 2.*

(g) *Prosp. Fagnan. loco cit. n. 20.*

(h) *Fagnan. ubi suprà n. 22. & 269.*

(i) *Idem loc. cit. n. 57*

(l) *Fagnan. in cap. nè innitaris num. 455 de Constit. lib. 1.*

(m) *S. Bonav. in 4. dist. 17 quæst. 2. art. 2.*

(n) *S. Thom. in 4. dist. 17 quæst. 3 quæstiunc. 4. in corp. & quodlib. 1. art. 11. in corp.*

licitum est ab eâ declinare, atque contrariam sectari, quando hęc tuta est, & communis. Itâ igitùr judicandum est de opinione Claudii de là Place, sentientis, quod Beneficiarii merè simplices teneantur personalitèr residere: hujusmodi opinio demus, quod fortè tutior (sed non sine difficultate, ex suprà relatis) dici possit & perfectior, non tamen ideò est de necesse illam sequi, tum quià contrariæ opinioni, fortissimis, ac firmioribus fundamentis innixę, adhærent unanimitèr Doctores, quos non est credibile velle & se, & totam Ecclesiam in discrimen perpetuę damnationis innjicere: tùm etiàm, quià uti superius innuimus, nemo tenetur, sub pœnâ peccati gravis, id facere, quod est tutiùs, & perfectiùs, sed sufficit si faciat quod satis tutum est, & bonum, atque communitèr frequentatum; alioquin nimia inconvenientia sequerentur, & anxietates, ac scrupuli, atque perturbationes, quę totam inquietarent Ecclesiam.

26. Itàque per ea, quę usquè nùnc allegata sunt, ad confutandam doctrinam Claudii de là Place, patet quod totus ejus conatus nihil prævalet ad probandum, quod Beneficiarii merè simplices ministerii, ac residentię personalis vinculis alligentur, ut sic: multò minùs autèm prævalet ad id probandum, tamquàm ex jure naturali, tùm propter rationes in hoc præsenti capitulo recensitas, tùm propter allatas in aliis duobus capitulis præcedentibus, quibus brevitèr addimus non esse sine perplexitate, quod Beneficiarii Curati teneantur ad personale ministerium, & residentiam de jure naturali, cum possint populo deservire per substitutum. Esse verò probabiliùs, quod Beneficiarii Chorales non adstringantur onere servitii personalis, & residentiæ, de eodem jure naturali, sed solùm de jure ecclesiastico (*a*), quippè aliàs non posset Ecclesia cum utrisque dispensare ad tempus, vel in perpetuum, ne resideant: Ecclesia siquidèm non valet in jure naturali dispensare (*b*). Si autem residentia non est de jure naturali in Beneficiariis alioquin residentialibus; multò minùs de jure naturali erit, quod ad illam teneantur Beneficiarii merè simplices. Et hęc dicta sufficiant quoàd Claudium de là Place.

(a) *Vid. Ambros Cathar. de resid. Bonac. to. 1. de oblig. benef. disp. 5. pun. 3. n. 3. & 9. Azor. inst. mor. par. 2. lib. 7. c. 4. Dian. par. 10 f. 227.*

(b) *Fagnan. in cap. ex parte n 60 de Cler. non resid. & in cap. quid in tantum nu. 11. de præbend. lib. 3.*

27. Quoàd Bernardum Van-Espen, respectu ad loca ex adverso allegata in Objectione præsenti, dicimus, illum non firmitèr, sed dubitativè profari; non præceptivè, sed consultivè; neque rigorem veritatis insinuando, sed quod magis perfectum esse cogitat proponendo, ut ex lecturâ ipsius verborum patet, quæ sic se habent, & si benè considerentur vix, vel parum ad rem faciunt eo, quià nimium vagè loquantur: *Cum dubitarì nequeat, quià Ecclesiæ, atque fundatorum intentio sit, ut hujusmodi beneficia conferantur iis, qui sè tamquàm ministros Ecclesiæ exhibeant, nec proventus ecclesiasticos otiando consumant; indubiè potioni, & Collatores similium beneficiorum allaborare debent, ut hujusmodi Clericis conferantur, de quibus verisimilis saltèm spes apparet, quod operam suam utilitèr Ecclesiæ impendent, & digni erunt, qui de proventibus Ecclesiæ vivant* (*c*). Et infrà: *Ulteriùs observandum est, admodùm verisimile esse Capellanias has primitus fundatas, & in titulos beneficiorum erectas, ut earum possessores tamquàm veri titulares hujus, illiusve Ecclesiæ, perpetuò ibidèm residerent, atque ibidem officia beneficiis annexa per sè explerent &c. Sicuti enim primis sæculis ordinatio ordinatum Ecclesię alicui particulari adstringebat; ità juxtà recentiorem disciplinam beneficium adstringit, & incorporat possessorem Ecclesiæ, in quâ beneficium illud est fundatum, eâ nimirùm ratione, ut huic Ecclesię tamquàm ejus minister, juxtà officium beneficio annexum deserviat* (*d*).

(c) *Van-Espen. Jur. Eccl. univ. p. 2. tit. 18. num 23.*

(d) *Idem loc. citat. num. 27.*

28. Vides quod Auctor loquitur verisimilitudinariè, conjecturalitèr, divinando, dubitando, nec demùm exigendo, nisi quod Beneficiarii Ecclesię deserviant juxtà officium beneficio annexum, quod satis exequuntur recitando divinas horas, & alia officia, si quæ sunt, adimplendo, vel per sè, vel per alios.

Illę

Illæ quoque responsiones, quas in præsenti Capitulo produximus ad confutandam opinionem Claudii de là Place, congruè adaptatæ diruunt mox relatas allegationes Bernardi Van-Espen, si quidquam sit in eis, quod rè verâ exemptioni Beneficiariorum merè simplicium derogat à debito residentiæ personalis: Sed nè ullatenùs dubitari possit de hujusce Auctoris mente; audiatur quid ipse verbis disertissimis proloquatur: *Itàque*, inquit, *ex decretis Concilii Tridentini concludendum est beneficia esse incompatibilia, si residentiam personalem requirant: idque sivè residentia ratione curæ animarum, sive ratione servitii requiratur, uti notat Fagnanus ad cap. cum jam dudùm* 10. *de præbend. num.* 39. (*a*). Admittit ergò beneficia compatibilia, residentiam non requirentia ex mente Concilii Tridentini: quæ autem sunt hujusmodi beneficia, nisi illa quæ vocantur merè simplicia?

(a) *Van-Espen. Jur. Eccl. univ. p.* 3. *tit.* 20. *num.* 31.

29. Sequitur idem Bernardus Van-Espen: *Hæc tamèn dicta de incompatibilitate Beneficiariorum simplicium residentiam requirentium, intelliguntur communitèr, quando requiritur residentia præcisa, & simplex, non autem de casu, quo residentia non est præcisa, & simplicitèr obligatoria, sed causativa, ità post alios Canonistas Gonzales ad regulam* 8. *Cancel. glossa* 15. *num.* 20. *vocatque residentiam præcisam, & simplicem, quando requiritur sub pænâ privationis tituli: Non simplicitèr autem, sed causativè requiri dicit, quando solùm requiritur respectu privationis fructuum; ut mirùm, ut, non residendo, privetur quidèm fructibus, sed nequaquàm privetur titulo. Deindè num.* 23. *testatur, sæpiùs judicatum fuisse, quoàd Incompatibilitatem beneficiorum simplicium, inspiciendam esse residentiam præcisam, & non sufficere causativam, quod & praxis communis declarat. Exemplum occurrit in Capellaniis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri hìc Lovanii, quæ residentiam ratione servitii in choro requirunt, sed tantùm causativam, id est privationis fructuum, non autem tituli: quarè & Theologi pluries hujusmodi Capellanias obtinentes, & earum titulo ad ordines promoti, postmodùm ad Ecclesias parochiales assumpti, eas unà cum parochiali, tamquàm simplex beneficium residentiam non requirens retinent; licèt nullos, non residentes, fructus percipiant.*

30. *Beneficia omnia, etiàm simplicia de jure communi requirere personalem residentiam suprà notatum fuit, unaque observatum posterioribus sæculis sensìm quædam simplicia beneficia à residentiâ fuisse absoluta; atque ità tandèm invaluisse distinctionem inter beneficia residentiam requirentia, & non requirentia. Hanc distinctionem quamvis nonnulli è Patribus Concilii Tridentini, tamquàm antiquis Ecclesiæ decretis incognitam, abolitam vellent, tamèn eam penitùs abolere Concilium conveniens, prò temporum conditione, non judicavit, sed eam apertè in suo decreto supposuit, atque in declarandâ beneficiorum incompatibilitate, & pluralitatis proscriptione usa est, atque eatenùs, ob stabilitam per consuetudinem disciplinam, à Jure communi non nihil recessit* (*b*). Supponit hic Auctor, quod Concilium Tridentinum in animo habuerit exemptionem beneficiorum merè simplicium à residentiæ debito abolere, quod non supponendum est, sed probandum. Et quatenùs etiam probaretur, id nihil afficeret, quià non judicandum est per ea, quæ Concilium in votis habuit, sed per illa, quæ in suis decretis expressit; Expressit autem satis, & abundè, atque approbavit exemptionem præfatam. Imò non Concilium, sed solùm *nonnulli è Patribus Concilii* sensum aliquem de abolitione dictinctionis inter beneficia residentialia, & merè simplicia, habuerunt. Et eo ipso quod reliqui Patres in multo majori numero, totumque Concilium eam abolere decretavit, quinimò eandem synodalitèr approbavit, & in suis decretis supposuit; jam patet, quod ex Concilio nihil habetur quod diruat, sed potius quod adstruat distinctionem ipsam, & consequenter immunitatem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.

(b) *Idem loc. citat. num.* 14. 15. 16.

31. Ut

31. Ut autèm ad Bernardum Van-Espen redeamus, occurrit ponderandum, quod si Auctor hic promptè defert, ut deferre omninò tenetur Concilio Tridentino, quod apertè admittit distinctionem inter beneficia residentialia, & merè simplicia: Et in quo (tametsi à nonnullis optaretur, ut abolitio fieret distinctionis inter beneficia residentiam requirentia, & non requirentia, per quod expungeretur immunitas beneficiorum merè simplicium à debito residentiæ) Patres id sancire omni modo recusarunt; quis integrâ mente preditus audeat contendere, Zegerum Bernardum Van-Espen exemptioni resistere Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ, nisi velit ejus verbis ità vim facere, ut illa distorqueat ad sentiendum oppositum ejus, quod exteriùs manifestissimè sonant. Profectò si nova metodus nostris temporibus non emersit, intelligendi in sensu negativo distinctiones affirmativas, vel è contrà; Si non supponimus, quod hic Auctor in suo libro per Antiphrasim sit locutus; Si demùm ex solo fragmine sermonis ejus, aliorsum tendentis, non est intelligenda substantia totius ejusdem locutionis; nùmquàm pertrahi poterit ad resistendum præfatæ exemptioni.

32. Superesset aliquid respondere anthoritati Du-Hamel ex adverso allegati (*a*), sentientis pastores *jure naturali* teneri ad residendum, quià dignus est operarius cibo suo; Et qui non vult operari, non manducat, quæ ratio eandem vim habent in omnibus beneficiis juxtà Sotum (*b*), & Salzedum (*c*). Sed cum ad hæc ex prædictis jam pateat responsio: isque Doctor, sive Doctores, loquantur de Beneficiariis curatis, in quibus electa est industria personæ, quod non succedit in Beneficiariis merè simplicibus (*d*), superfluum censemus hisce allegationibus, ad rem non facientibus, & extrà casum, de quo agimus, proloquentibus, confutandis diutiùs immorari: Lectorem remittentes ad ea, quæ in responsionibus ad Objectiones hùcusquè propositas uberrimè peroravimus.

(a) *Du-Hamel. de precept. Decal l. 2. c. 3 num. 3 / 2. c. 17. n. 12.*
(b) *Sot. de just. & jur. lib. 10 qu. 3. art. 3.*
(c) *Salzed. de leg. polit. l. 2. c. 17. n. 12.*
(d) *Barbosa in cap. significatis 11. de preb. n. 4. l. 3.*





RESPONSIO OBJECTIONIBUS

EX JURE CANONICO, ET EX ALIIS MOTIVIS CONTRA PRÆFATAM

IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERÈ SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT XXVII.

In quo examinatur Septima Objectio, *desumpta ex Jure Canonico, adversus exemptionem Beneficiariorum merè simplicium ab onere Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 Septima Objectio *ex pluribus Canonibus jubentibus, vel explicite, vel implicitè residentiam Beneficiariis merè simplicibus.*

2 *Isti Canones non loquuntur de Beneficiariis, & beneficiis merè simplicibus, sed ad summum de beneficiis residentialibus.*

3 *Ergò excluduntur merè simplicia: quâ responsione utitur D. Antoninus, dicens, excepta censeri beneficia in prohibitione non expressa.*

4 *Exceptio est de regulâ, debetque aliquid operari. Canones residentiam exigunt à solis Beneficiariis Choralibus, & Curatis.*

5 *Objectio ex utroque latere claudicat, & parum probat, ubi loquitur de beneficiis residentialibus, nimium verò probat, ubi loquitur de officiis, vel Clericis, quorum duplicem speciem enumerat Isidorus.*

6 *Inutile est velle ex Canonibus obscuris residentiam ingerere Beneficiariis simplicibus, quos Canones clari eximunt ab hoc debito.*

7 *Quan-*

7 *Quandò Canones sunt contrarii, debent jura juribus concordari, si patiuntur inter sè antinomiam: & posterioribus sanctionibus standum est.*
8 *Canon objectus non loquitur de Beneficiis merè simplicibus, sed de Dignitatibus, & Personatibus. Nec semper valet argumentum ab officio ad beneficium.*
9 *Personatus est beneficium duplex, non tamèn Dignitas, Concilium Tridentinum ad residentiam non adstrinxit Beneficiarios merè simplices.*
10 *Alius Canon ex adverso allegatus, loquitur de Prælatis, si moniti non redeant ad suas Ecclesias. Prælatorum nomine qui veniunt.*
11 *Canon hic non complectitur beneficia merè simplicia, quæ de jure non exigunt residentiam, ut Choralia, in quibus electa est industria personæ.*
12 *Tertius Canon loquitur de Canonicis, & Præbendariis Choralibus, quos non excusat à debito residentiæ tenuitas reditus sui beneficii.*
13 *Exiguitas redituum eximere potest Beneficiarios merè simplices à recitatione divini officii, non verò Beneficiarios residentiales.*
14 *Quartus Canon loquitur de Dignitatibus, & Animarum Curis, Canonicatibus, & Beneficiis residentialibus, quæ pueris non sunt danda, sed viris idoneis ad residendum, & ministrandum.*
15 *Septennium satis erat olim ad beneficium: nùnc vi Concilii Tridentini exiguntur* 14. *anni, nisi fundator minorem ætatem sufficere admittat, vel Papa super defectu ætatis dispensat.*
16 *Duo beneficia residentialia obtinere non est fas in duabus Ecclesiis disjunctis, quia unus homo non potest utrique servire.*
17 *Quintus Canon in Objectione notatus, loquitur de adscriptis servitio alicujus Ecclesiæ, & ad patrimonii titulum ordinatis: Estque intelligendus secundum sua tempora.*
18 *Probat nimium, quià laici quoque, & mulieres tenerentur ad residentiam. Clericis non erat injunctum Ecclesiam adire ratione beneficii, sed ratione ordinis Clericalis.*
19 *Satis conveniunt ad Ecclesiam Beneficiarii merè simplices, si aliquam Ecclesiam frequentent, tametsi non eam, in quâ erectum est beneficium.*
20 *Sufficit ut Beneficiarii simplices aliquandò ad aliquam Ecclesiam conveniant, Chorales tamèn Beneficiarii habent Ecclesiam sibi assignatam.*
21 *Alii Canones Objectionis, partim loquuntur de beneficiis curatis, & hoc nihil ad nos, qui loquimur de beneficiis merè simplicibus. Partim de Clericis beneficio carentibus, & nimium probant.*
22 *Unus ex præfatis Canonibus jubet ne Clerici, festis præcipuis ab Ecclesiâ discedant, quod plura Concilia decernunt etiam de Laicis.*
23 *Cæterùm hi Canones non agunt de residentiâ Beneficiariorum, sed de illorum fixatione in Ecclesiis, ubi residentialia possident beneficia.*
24 *Argumento, quod beneficium detur propter officium, satis est, vel negare suppositum, vel illud retorquere adversus Contradictores.*
25 *Mala ex adverso exaggerata, succedunt etiam in Beneficiariis residentialibus, ergò residere, mala ista non tollit.*
26 *Corrigantur itàque abusus, si qui sunt in beneficiis merè simplicibus: tollatur error si adest: At non exigatur residentia à Beneficiariis merè simplicibus, qui ab ejus onere sunt exempti.*

1. ARGUUNT *feptimo loco* Contradictores adverfus exemptionem Beneficiariorum merè fimplicium à debito refidentię perfonalis, *ex Jure Canonico*, hoc modo. Sacri Canones præcipiunt perfonalem refidentiam, & minifterium, vel explicitè, vel implicitè Beneficiariis merè fimplicibus, ergò ifti ad illam tenentur. Probatur antecedens. Sacri Canones alicubi dicunt, quod fingula officia in Ecclefiis affiduitatem exigunt perfonalem (*a*). Alicubi, quod qui deferunt Ecclefias, vel præbendas fuas, nifi ad illas redierint, eifdem priventur (*b*). Alicubi, quod Clerici Beneficiati refidere tenentur, etiam fi ex beneficio vix viginti folidos percipiant (*c*). Alibi dicunt, non effe idoneos ad præbendas pueros, & Beneficiarios illos, qui non poffunt in Ecclefiâ defervire (*d*). Decernunt alibi, quod Clericus deponatur, qui quotidiè ad pfallendum non convenit in Ecclefiâ, horis matutinis, & vefpertinis (*e*). Itidèm alibi jubent; ne Clerici ad aliam Ecclefiam tranfeant, & à propriâ Ecclefiâ non defint (*f*). Alibi profitentur, quod beneficium ecclefiafticum datur propter officium (*g*). Alibi tandèm exaggerant mala, quæ ex defectu refidentię Beneficiariorum oriuntur (*h*). Hęc autem quid fibi volunt, nifi vel implicitè, vel exprefsè, refidentiam à Beneficiariis etiam merè fimplicibus poftulare?

2. Refpondetur *primò*, negando fuppofitum, nempè quod Canones, in Objectione allegati, decernant, difponant, vel quidquam loquantur de beneficiis, & Beneficiariis merè fimplicibus, cum de neutris, neque explicitè, neque impicitè fermonem habeant. Quod ut manifeftè comprehendatur, fufficit ipfos Canones aliquantò attentis oculis perluftrare, quippè illorum elocutio diferta eft. Aliquos ex eis nos fuperiùs memoravimus, cunctofque paulò inferiùs fingularitèr percurremus, undè piget hic eofdem figillatim recenfere, ne unam, & eandem rem fine neceffitate repetere videamur. Dicimus ergò, quod nullus ex dictis Canonibus de Beneficiariis merè fimplicibus loquitur: & fi qui loquuntur de Beneficiariis, nonnifi de refidentialibus eloquuntur. Quidquid ergò fit, an Beneficiarii curati, & chorales, five quocumque alio titulo refidentiales, ad minifterii, & refidentiæ perfonalis debitum teneantur ex jure canonico (quod nos ultrò concedimus) hoc nihil facit ad rem, cum quæftio noftra non fit de Beneficiariis refidentialibus, fed de merè fimplicibus: ab his autem ad iftos non currit paritas propter maximam diverfitatem, quæ inter utrofque reperitur: A diverfis autem, ut notiffimum eft apud omnes, non fit illatio.

3. Refpondetur *fecundò*, ex Canonibus, in Objectione pofitis, nedùm non concludi, quod Beneficiarii merè fimplices refidentię perfonalis debito coarctentur, fed imò potius inferri totum oppofitum, fagittâ in ipfos fagittarios retortâ. Nàm uti mox innuimus, quicumque ex præfatis Canonibus de beneficiis, & Beneficiariis eloquuntur, non loquuntur nifi de Beneficiariis refidentialibus: ergò eo ipfo quod de folis Beneficiariis refidentialibus difponunt, nihilque decernunt de Beneficiariis merè fimplicibus, hos confequentèr excipiunt à fanctione quam edunt, cumque ex notiffimis, exceptio firmet regulam in contrarium (*i*), fequitur, quod etiam in rigore juris, & vi objectionis, ex eo concinnatæ, Beneficiarii merè fimplices ad refidentiæ, ac minifterii perfonalis debitum non adftringuntur; tametfi ad illam teneantur Beneficiarii refidentiales. Nèc impropria, neque à recti themate aliena eft hujufmodi enodatio argumenti ex oppofito allati, quippè in hâc eadem beneficiali materiâ talitèr fe geffit D. Antoninus, dùm ait pluralitatem beneficiorum merè fimplicium non effe interdictam, quià Canones pluralitatem beneficiorum prohibentes exprimunt quidem beneficia Choralia, & Curata, five alio titulo refidentialia, non verò fpecificant merè fimplicia.

4. En ejus verba: *De jure communi*, inquit, *poteft quis habere plures præben-*

(a) *Cap. cum ad hæc 13. de prabend.*

(b) *Cap. ex tuæ 11. de Cler. non refid.*

(c) *Cap. conquerente 6 de Cler. non refid.*

(d) *Cap fuper inordinatâ de præb.*

(e) *Capit. fi quis 9. dift. 92.*

(f) *Cap. non oportet 19. c. fi quis 23. c. fi quis 24. c. fi quis 29. cauf. 7. qu. 1.*

(g) *Cap. ultim. de refcr. in 6.*

(h) *Extravag. Execrabilis de præb.*

(i) *L. quæfitum §. denique ff. de fid. inftr. decif. in c. cum dilecta n. 6. & 7. de confirm. util. Barbof. tr. var. axiom. 85. n. 4.*

bendas, cum pluralitas dignitatum, beneficiorum cum curâ tantùm prohibetur hodie: infrà cap. de multâ. Undè cum de illis specialitèr prohibetur, videtur hodiè concessa pluralitas præbendarum: arg. supr. de præsumpt. cap. nonnè, cum suis concord. Si enim Papa aliud de præbendis non intellexisset, hoc idem de ipsis excepisset: infrà de decimis cap. ad audientiam (a). Et quidem optimè suo more circà hoc loquitur D. Antoninus, quippè cum exceptio fit de regulâ, debet aliquid operari, ne videatur elusoria (b), & sic prohibendo pluralitatem beneficiorum residentialium tantùm; pluralitatem non residentialium permittit: Retento igitur themate hujusmodi sermonis, nos quoque dicimus, quod cum Canones ex adverso allegati, exigant quidem residentiæ personalis debitum à Beneficiariis curatis, & choralibus, sine aliâ ratione residentialibus, nihil verò disponant de Beneficiariis merè simplicibus; hi consecutivè pronuntiantur exempti ab illo residentiæ, & ministerii personalis onere, quàm à Beneficiariis residentialibus exposcere dignoscuntur; alioquin jura, si voluissent merè simplicia quoque beneficia comprehendere, illa expressissent, sicut expresserunt residentialia.

(a) *S. Antonin. sum. p. 3. tit. 13. cap. 1. §. 9. fol 263.*

(b) *Castrens. cons. 70 n. 3. l. 1. Gemin. cons. 65 num. 8.*

5. Respondetur *tertiò*, quod Canones in Objectione propositi, vel parum probant, vel nimium probant, & sic argumentum ab eis deductum, ex alterutro latere claudicat, nihilque omnimodè probat. Enim verò aliqui ex præfatis Canonibus evidentèr de solis beneficiis residentialibus eloquuntur, ut ex eorum lecturâ patet, ex hacque parte deductum argumentum parum probat, quià probat quidem residentiam exhibendam esse à Beneficiariis residentialibus; at non probat eam esse exhibendam à Beneficiariis merè simplicibus, uti nostra quæstio probandum esse deposcit. Alii verò ex præfatis Canonibus non de beneficiis, sed de officiis ecclesiasticis eloquuntur, seu de Clericis ut sic, etiam nullo beneficio insignitis: & ex hâc parte argumentum nimium probat, quià probat, quod nedum Beneficiarii simplices, sed quod etiam alii Clerici, tametsi nullum possidentes beneficium, ad residentiam teneantur, quod falsum est (c). Nisi fortè agatur de Clericis gyrovagis, & acephalis, quos describit sub hisce terminis S. Isidorus Hispalensis: *Duo sunt genera Clericorum; unum ecclesiasticorum, sub regimine Episcopali degentium: Alterum acephalorum, idest, sine capite, quod sequantur, ignorantium. Hos neque inter Laicos sæcularium officiorum studia, neque inter Clericos religio detenat divina: sed solutos, atque oberrantes sola vaga vita complectitur: quique dùm nullum metuentes, explendæ voluntatis suæ licentiam consectantur, quasi animalia bruta, libertate, ac desiderio suo fruuntur, habentes signum religionis, non religionis officium: Hippo centauris similes, neque equi, neque homines, mixtumque, ut ait Poeta, genus hominis prolisque biformis. Quorum quidem sordida, atque infami numerositate satis superque nostra pars occidua polluitur* (d). Hos alicujus Ecclesiæ servitio mancipari, & alicui Episcopo subesse justum est, quantumvis non habeant beneficia residentiam deposcentia (e). Verùm ad illos controversia nostra non est directa; neque Canones allegati de hujusce generis Clericis eloquuntur.

(c) *Barbos. de off. & potest. Episc. p. 2. alleg. 21. num. 5.*

(d) *S. Isidor. de off. Eccl. l. 2. c. 3 f. 396*

(e) *Fagnan. in cap. cum omnes n. 19. de constit.*

6. Respondetur *quartò*, ridiculum, & omninò improprium esse conatum, velle expiscare hinc indè motiva, colligere technas, & exhaurire quisquilias, à Sacris Canonibus, confusè loquentibus, ad extorquendam ex eis obligationem Beneficiariorum merè simplicium pro onere residentiæ personalis; quando habemus alios Canones, clarè, dilucidè, atque expressè loquentes, ac sine ullâ perplexitate affirmantes, præfatos Beneficiarios ad residentiæ debitum non teneri. Sanè inutili labori dant operam, qui sic agunt, digni, ut comparentur eis, qui subtili telescopio quærunt nodum in scirpo. Rident Astrologi de illis, qui gliscunt intueri minutissimam stellam, in Cœlis existentem, dictam Alchor, & non advertunt lunarem discum, dum in quintadecimâ totus patet: undè adagium: vidisti Alchor, & non vidisti lunam plenam (f). Ridere nos quoque possemus de iis, qui laborarunt ex obscuris textibus Canonicis obligationem residen-

(f) *Hieron. Vital. Lexic mathemat. Ver. Alchor.*

fidentiæ à Beneficiariis merè fimplicibus præftandæ detegere; & non attenderunt clariffimos Canones eofdem à tali onere declarantes immunes. Videtur de illis poffe dici cum D. Auguftino, quod *malunt claufis oculis in montem impingere, quàm in eum afcendere* (a), Superfluum eft ipfos Canones hìc abfque neceffitate congerere, cum eofdem fuperiùs attulerimus ex profeffo (b). Redeat illùc Lector benignus; eofque attentè confideret, ac poftmodùm dijudicet, an oporteat veritatem in eifdem clarè propofitam, ex aliis Canonibus turbidè proloquentibus, expifcari.

7. Nec quidquam proficit, fi dicatur, quod Canones in Objectione allegati, diverfimodè difponunt ab eo, quod per Canones nobis faventes fuerit definitum. Nàm cum de aliâ rè, de aliis negotiis agant, quid mirùm fi diverfimodè difponunt? Sed demus, quod in eodem fubjecto conveniant, & de eâdem prorfus materiâ pertractent: quid? Nonnè notum eft apud omnes, quod ubicumque in verbis Sacrorum Canonum diverfitas invenitur, *expedit jura juribus concordare* (c). Ubi autem contraria decernuntur, (quippè aliquandò ad bonum publicum neceffe eft anteà definita mutare (d). Standum eft ultimæ fanctioni, quippè pofteriora derogant prioribus (e). Hinc *fi duæ leges ecclefiafticæ ab eodem fuperiore, vel à fuperioribus ejufdem dignitatis fibi fuccedentibus, antinomiam patiantur; nisi aliud obftet, ultima, utpotè prioris retractatoria, erit obfervanda* (f). Ergò vel Canones ex adverfo allegati, cum noftris Canonibus funt concordandi, vel funt novioribus à nobis propofitis fubmittendi: Et quocumque modo res fumatur, cum in corpore juris, & in fanctionibus Concilii Tridentini clarè immunes pronuntientur Beneficiarii merè fimplices ab onere perfonalis refidentiæ; infulfum eft velle ex turbidis, anterioribufque difpofitionibus, contrarium, ipsâ rei evidentiâ repugnante, concludere.

8. Refpondetur *quintò*, expendendo figillatìm fingulos Canones in oppofitum allegatos, quorum primus ità fe habet, *illud eft omni rationi contrarium, ut unus Clericus in unâ, vel diverfis Ecclefiis plures dignitates, vel perfonatus obtineat; cum fingula officia in Ecclefiis affiduitatem exigant perfonarum* (g). Ifte canon evidentiffimè loquitur de Dignitatibus, & Perfonatibus, nedum ubi exprefsè nominat Perfonatus, & Dignitates; fed etiam ubi memorat *fingula officia*, quippè per hæc intelliguntur ipfemet Dignitates, & lato modo etiam Perfonatus, ut ponit ibidem individualiter Gloffa (h). Citrà difficultatem autem eft, quod Perfonatus, & Dignitates Cathedralium, & Collegiatarum onus refidentiæ à Beneficiariis expofcunt, quià utrifque injunctum eft debitum folemnitèr in Choro, Deo laudes, & horas canonicas recitandi, quod eft officium perfonale, adeòque perfonalem exigit refidentiam. Et licèt ab officio ad beneficium valeat argumentum (i); Hoc tamen non eft verum quoàd omnia, fed quoàd illa tantùm, in quibus poffunt congruè convenire: paritates enim omnes aliquot pedibus claudicare folent, & maximè illa claudicat, quæ inter officium, ac beneficium occurrit, ut de fe patet. Quantum ergò ad refidentiam, quidquid fit de officiis, nihil ex his benè infertur, vel arguitur ad beneficia merè fimplicia: fumus etenim in pœnalibus, & odiofis, in quibus non datur extenfio de uno ad aliud.

9. Porrò *Perfonatus* eft beneficium duplex, quià præter onus Officium Divinum recitandi, habet etiam honorificum gradum in Choro antè Canonicos, & jus fuffragii ferendi in Collegio. Non eft autem dignitas, quià non habet jurifdictionem in foro externo, neque habet adminiftrationem rei ecclefiafticæ (l). *Dignitas* quoque eft præeminentia in Capitulo, & Choro cum jurifdictione in foro externo (m); comprehenditque fub fe Perfonatum, & Officium, ac fe habet ad hos, tamquàm genus ad fpecies (n): Sed in jure paffim Dignitas, Perfonatus, & Officium confunduntur, unumque prò altero fumitur (o). Cum verò Concilium Tridentinum eos, qui Dignitates, & Perfonatus obtinent, ad refidentiæ perfonalis debitum coarctet (p); nil mirùm fi hi ad eandem refiden-

tiam

(a) *S. Auguft. lib. de unit. Eccl. c. 16.*
(b) *Vid. fupr. c. 9. à n. 11. & c. 11. n. 36.*

(c) *Cap. cum expediat 29. de elect. in 6.*
(d) *Cap. alma mater 24. de fent. excom. in 6*
(e) *L. fed & pofteriores ff. de legib. l. cùm in plures §. locator ff. locati Alex. confil. 122 l. 4. Barbof. tract. var. axiom. 182.*
(f) *Du-Mortier Etymol. Græcol. V. Antinomia.*

(g) *Cap. ad hæc. 13. de præbendis.*

(h) *Glof. ubid. V. fingula officia.*

(i) *Barbof. tr. var. Loc. 77.*

(l) *Filliuc. tom. 2. tr. 41. c. 1. nu. 24. Rebuff. tit. fæculare benefi. itè num. 8.*
(m) *Abbas in cap. cum de multa de præbend. Filliuc. loc. cit. nu. 26.*
(n) *Barbof. in decretal. tit. 5 de præb. n. 13 lib. 3*
(o) *Cap. cum accepiffet de conft. Filliuc. loco cit. n. 26*
(p) *Concil. Trid. feff. 24. c. 12. & ibi Barbof.*

tiam tenentur. Sed quià sub illâ dispositione non comprehendit beneficia merè simplicia, cum ea posset complecti si voluisset; benè infertur eâdem obligatione residentiæ non teneri Beneficiarios merè simplices, quià valdè diversi sunt à Beneficiariis duplicibus, sive in dignitate, & personatu constitutis. A diversis autem, ut mox innuimus, non fit illatio (*a*).

10. Similitèr secundus Canon, in Objectione allegatus, ità disponit: *In Ecclesiis eorum, qui se fraudulentèr absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire; trinę citationis edictum facias publicari, & si nec sic curaverint obedire, & ultrà sex menses suas deserverint Ecclesias, juxtà sanctiones canonicas, eis debent meritò spoliari* (*b*). Disponit inquam spoliari beneficiis eos, qui moniti, non resident apud suas Ecclesias, sed loquitur de Prælatis, non de Beneficiariis merè simplicibus, ut exponit glossa in casu, quem super præsenti canone efformat, & inferiùs rationem adducit hujus intelligentię, hoc modo: *loquitur litera de Prælatis tantùm, & eo quod dicit ab administratione removeat, & quibus præsunt Ecclesiis* (*c*). Quorum Prælatorum nomine licèt proprie, & rigorosè veniant soli Episcopi (*d*); nihilominùs, largius acceptâ hac voce, veniunt etiam Abbates loci Nullius Diæcesis (*e*): Ac alii quoque ordinariam jurisdictionem exercentes (*f*): & largissimè veniunt quilibet presbyteri, curam animarum habentes (*g*). Itàque sanctio hujusce Canonis ad solos Episcopos, Abbates, Ordinarios, & Parochos est restricta, quos ultrò admittimus ad residentiam teneri, quotiès curam habeant animarum, per se ipsos personalitèr exercendam.

11. Quoàd quos etiam ipse Canon est notabilitèr immutatus per Concilium Tridentinum (*h*), juxtà ea, quæ hic adnotat Fagnanus (*i*). Quod autem Episcopi, Parochi, & quilibet alii curata beneficia possidentes, adigi possint ad residentiam personalem, & si eam non faciant, beneficiis valeant denudari; hoc nihil refert ad nos, qui hic non disputamus de beneficiis curatis; sed de merè simplicibus, & hęc contendimus residentiam non exigere prout illa. Nec refert si dicatur, quod iste Canon complecti possit saltèm similitudinariè, & analogicè etiam beneficia choralia, & successivè alia quoque merè simplicia, eo quod in his omnibus vigeat eadem ratio ac in curatis; nam quidquid sit an lato modo, & analogicè ut suprà sanctio ipsius canonis ad beneficia choralia, sive alio titulo residentialia, valeat dilatari, ob similitudinem rationis utrobique residentiam exigentis; certè tamen ad beneficia merè simplicia extendi non potest. Tùm quià onus residentiæ istis non est appositum expresse in jure, prout est beneficiis choralibus, & curatis, tùm etiam quià, uti sæpè diximus, in Beneficiariis choralibus, & curatis, sive alio titolo residentialibus, electa est industria personæ: quæ non est electa in Beneficiariis merè simplicibus. Tùm demùm quià sumus in materiâ odiosâ, & pœnali, quæ non debet extendi de rè ad rem, neque de casu ad casum. Et sic præsens Decretalis non potest complecti beneficia simplicia, nisi talia sint, quæ ex aliquâ peculiari ratione fundationis, vel consuetudinis personalem exigunt residentiam (*l*).

12. Paritèr tertius Canon, in præsenti Objectione propositus, decernit, quod si Clericus non deserviat Ecclesiæ, à quâ exigit viginti solidos, perpetuum ei silentium imponatur super dictâ exactione (*m*). Undè infertur quod quilibet Beneficiarius tametsi tenues de beneficio fructus percipiat, adhùc residentiæ personalis debito coarctatur (*n*). Verùm Canon iste loquitur de beneficiis, sive præbendis suapte naturâ residentialibus, qualia sunt Canonicatus, & Dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis erectę, uti deducitur ex glos. ibidem verb. *deserviat*: quas præbendas qui possident, à residentiæ debito eximere se non valent ratione tenuitatis redituum, maximè post beneficium ipsum acceptum: sibi enim imputare debet Beneficiarius, quod præbendam ità tenuem acceptaverit, ideòque super ipsius tenuitate non est audiendus, quantâcumque indi-

(a) *L. ult. & ibi Bart. ff. calumniat. Lancel. de Attent. par. 1. c. 12. lim. 2. n. 2. Barbos. trac. var. axiom. 114. & alii ibi.*

(b) *Cap. ex tuæ 11. de Cler. non resid.*

(c) *Glos. in d. cap. ex tuæ verb. ut ipsos. 11. de Cler. non resid.*

(d) *Fagnan. in cap. cum contingat nu. 24. de for. compet. l. 2. & alii ibi.*

(e) *Idem in cap. accedentibus n. 46. de excess. præl. l. 5.*

(f) *Idem in cap. relatum n. 8. de Cler. non resid. lib. 3. & in c. cum ab Ecclesiarum num. 2. de Offic. Ordin. lib. 1.*

(g) *Idem in d. c. relatum n. 9. & in d. cap. cum ab Ecclesiar. n. 6.*

(h) *Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. & sess. 23. c. 1.*

(i) *Fagnan. in d. cap. ex tuæ n. 29. & seq. de Cler. non resid. l. 3.*

(l) *Fagnan. ibidem num. 31. in fin.*

(m) *Cap. conquerente 6. de Cleric. non resid.*

(n) *Fagnan. & Barbos. in d. cap. conquerente.*

indigentiâ, & paupertate laboret (*a*). Si reditus enim oneri non reſpondent, excutiat à ſe onus dimittendo beneficium in manibus Prælati, cujus erit alium reſidentem eligere. In hocque ſenſu eſt vera doctrina Cujacii ex adverſo allegati (*b*), quod uni Eccleſiæ ſemel adſcriptus, ideſt in eâ beneficio reſidentiali donatus, debet ipſi deſervire, quantumlibet tenues percipiat reditus: De quibus ſi vivere non valeat, & beneficio cedere nolit; aliud pinguius beneficium alibi ſatagat adipiſci, ſi non vult aliquâ induſtriâ, vel operibus manuum ſuarum ſibi comparare alimenta: omninò etenim cogitur ad ſerviendum ſuæ Eccleſiæ, atque apud illam perſonalitèr reſidendum.

13. Eſt vera, inquam, illius doctrina, de obligatione reſidentiæ, quoàd Beneficiarios, & ſola beneficia reſidentialia, non verò quoàd merè ſimplicia. Quam videmus etiam in praxi ſervari in pluribus Cathedralibus, & Collegiatis, ubi prębendæ non ſunt æquales, ſed aliæ ditiores, aliæ mediocritèr ſufficientes, aliæ pauperrimæ, & exigui reditus, apud quas tamen omnes præbendati tenentur æqualitèr deſervire, & deſerviunt, vel quià inferioribus inſigniti præbendis ſperant de pauperiore ad ditiorem in caſu vacationis aſcendere; vel quià ſibi ſatis habent, honere Canonicali potiri, vel alicujus dignitatis denominatione præ cęteris eminere. Nèc alio modo intelligi poteſt, vel ſaltèm intelligi rationabilitèr debet, canon præfatus, quam de ſolis beneficiis reſidentialibus; reſpectu ad quæ notandum, quod arctior eſt obligatio recitandi divini officii, quam perſonalitèr reſidendi; & conſequentèr ſi exiguitas beneficii non eximit à reſidentiâ; multò minùs eximet à recitatione divini officii Beneficiarios reſidentiales (*c*). Nihilominùs contrarium ſuccedit in Beneficiariis merè ſimplicibus, hos etenim tenuitas redituum ab horis Canonicis perſolvendis excuſat, uti latè probat Sanchez, & alii cum eo (*d*), docens hanc ſententiam eſſe probabiliorem in praxi: tametſi etiam contrariâ ſpeculativè probabilitate non carẹat (*e*). Si igitùr exiguitas redituum eximit Beneficiarios merè ſimplices ab onere ſacræ pſalmodiæ recitandæ, multò magis eos reddit immunes à debito reſidentiæ. Itàque Canon prẹfatus, nihil prorsùs officit nobis, quià de Beneficiis reſidentialibus diſponit, non de merè ſimplicibus, ad quẹ controverſia noſtra eſt directa.

14. Rursùs Canon quarto loco in Objectione, quam expendimus, allegatus, prout ſequitur, cantat: *Cum illi ſint in Eccleſiis idonei reputandi, qui ſervire poſſunt, & volunt in ipſis &c. Reſpondemus, quod pueri, & Beneficiati, qui non poſſunt in eâdem Eccleſiâ deſervire, in eâ non debent idonei reputari* (*f*). Canon autem iſte loquitur de beneficiis reſidentialibus, ſive ut ait gloſſa, de Dignitatibus, & Curâ animarum (*g*), & ex identitate rationis, intelligitur quoque de Canonicatibus, Manſionariis, aliiſque beneficiis reſidentiam perſonalem exigentibus, non verò de beneficiis, & Beneficiariis merè ſimplicibus, de quibus noſtra difficultas eſt introducta. Concedimus autem, quod beneficia curata, choralia, & alio quocumque titulo reſidentialia, non ſunt conferenda pueris, vel aliis Clericis, qui nolint apud Eccleſiam, in quâ ea erecta ſunt, miniſtrare, & perſonalitèr reſidere, ſed non indè ſequitur, quod etiam Beneficiarii ſimplices teneantur & ipſi perſonalitèr reſidere, quia iſti nullo perſonali onere ſunt adſtricti, illi verò perſonale onus, & ſervitium habent, ad quod exercendum electa eſt induſtria illorum perſonę, quę non poteſt per alium ſuppleri.

15. Adde quod quantum *ad pueros*, quorum nomine propriè ſignificantur illi, qui ſunt ſeptennio majores, & minores quarto decimo anno (*h*), iſti nedùm non ſunt idonei ad beneficia curata, choralia, & reſidentalia, ſed nec etiam ad merè ſimplicia, ex diſpoſitione Concilii Tridentini ętatem quatuordecim annorum ad ipſa beneficia preſcribentis (*i*), niſi fundator minorem ętatem ſufficere velit (*l*): Antiquiori nàmque jure ſufficiebat ętas ſeptennali major

(a) Pro'per. Fagnan, ibidem n. 7. & 8.

(b) *Cujacius in d. cap conquerente.*

(c) *Fagnan. in dicto cap. conquerente 6. de Cler non reſid. nu 8 4. Et lib 6.*

(d) *Sanchez Opuſc. lib 2. c. 2. dub 66. Sot. de Juſt. & Jur. qu. 5. art 3. Verſ. dubium autem.*

(e) *Suarez tom 2. de relig. l. 4 de Hor. Can. cap. 21. n 9 Covar, l. 3. variar. cap. 13. num 5. Sylveſt. Verb. hora qu. 2 dict. 3.*

(f) *Cap. ſuper inordinata 35. de præbend.*

(g) *Gloſ. ibid. Verb. pueri.*

(h) *Fagnan. in d. cap. ſuper inordinata n. 11.*

(i) *Conc. Trid ſeſ. 27. c 6. de ref & ibi Barboſ & Fagnanus.*

(l) *Barbo. loc. cit. nu. 7. Fagnan. ibidem num. 18.*

jor (*a*), & nùnc etiam ipsâmet sufficit in eo, cum quo Summus Pontifex super ipsâmet ętate dispensat (*b*). Si enim potest Fundator puerum quartodecimo anno minorem habilem reddere ad beneficia; eccur non poterit Summus Pontifex eundem dispensativè ad ipsamet idoneum pronuntiare? Quarè Canon prętatus ex adverso allegatus, quantùm *ad pueros*, nihil afficit adversus nos. Imo retorquetur adversus Contradictores. Nàm cum pueri sint capaces beneficiorum merè simplicium, non verò residentialium, patet quod Canon, ab ipsis allegatus, arcens pueros à beneficiis, in quibus ipsi non valent personalitèr ministrare, loquitur de beneficiis residentialibus, non verò de merè simplicibus, & magnam ponit diversitatem inter beneficia residentialia, & merè simplicia, adeòque nobis favet, non illis.

(a) *Barbos. in c. ex ratione 2. de ætat. & qual. n. 4. Garc. p. 7. c. 4. num. 4. & alii.*

(b) *Azor. p. 2. l. 6. cap. 5. qu. 3 Barbos. loc. cit. n. 6.*

16. Quantùm quoquè *ad ly Beneficiatos*, Canon prętatus non afficit, quià per hos, ut innuimus, in pręsenti Canone significantur Clerici possidentes beneficia residentialia, quę tametsi modici valoris, sunt incompatibilia, & residentiam exposcunt (*c*), adeòque qui jàm beneficium unum ex istis possidet, non potest aliud simile in aliâ Ecclesiâ adipisci, quià ut ait idem Canon, qui non possunt in eâdem Ecclesiâ deservire, in eâ non debent idonei reputari ad beneficia. Præventivè autem possidens beneficium ut suprà in primâ Ecclesiâ, cui debent personalitèr deservire, profectò non se se valet in plures dividere, & servire personalitèr etiam in secundâ. Sed hoc nihil facit ad negotium nostrum, qui hic agimus de beneficiis merè simplicibus, non verò de residentię debito adstrictis. Itàque Canon præfatus, ex quacumque parte sumatur, nullatenùs nobis obest: statque sempèr inconcussa sententia, quam tuemur, nimirùm Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ personalis debito immunes.

(c) *Pagnan. ubi supr. num. 8.*

17. Quintus posteà Canon in Objectione allegatus, continet hanc sanctionem: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si intrà Civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur à Clero* (*d*). Verùm hujusmodi Canon primò non loquitur de Clericis beneficiatis, sed de iisdem Ecclesiæ servitio adscriptis, nempè de illis, qui ad alicui Ecclesiæ deserviendum sunt deputati, cui deputationi, sive adscriptioni cum subiiciantur nedùm Clerici beneficia possidentes, verùm etiam alii, qui ad ordines promoventur, juxtà decretum Concilii Tridentini (*e*), inhærentis Concilio generali Chalcedonensi, quod admittit Clericos ordinari non solum ad titulum Ecclesiarum, sed etiam proprii patrimonii vocati ibi *possessionis* (*f*), jam canon præfatus nobis objectatus nimiùm probaret, quià probaret, quod nedùm Clerici beneficiis simplicibus, sive residentialibus insigniti, sed etiam Clerici nullum tenentes beneficium, residentiæ debito coarctarentur, quod falsum est. Secundariò Canon præfatus, uti de aliis antiquis Canonibus loquitur D. Antoninus, intelligendus est *secundum sua tempora* (*g*). Multa enim fieri disponebant olim antiqui Canones, quæ nùnc non fiunt, & multa fieri disponunt posteriores Canones, quæ olim non fiebant, & sic illorum ordo non est invertendus, sed in illis quoque, proùt & in aliis rebus ratio temporum est habenda, ut illi serventur Canones, qui hoc tempore servari jubentur; alii non observentur, quorum obligatio jam obsolevit: aliàs tota confunderetur Ecclesia: sicut & totus Regnorum, ac provinciarum status politicus confunderetur, si nunc essent observandæ leges Civiles, quæ olim editæ fuerunt, & modò sunt totalitèr antiquatæ.

(d) *Cap. si quis 9. dist. 93.*

(e) *Concil. Trid. sess. 23. cap. 6.*

(f) *Cap. neminem 1. & ibi glos. V. possessionis dist. 70.*

(g) *S. Antoninus Sum p. 3. tit. 18. cap. 1. § 9.*

18. Probaret etiam nimiùm Canon objectus ex alio capite, quià cùm secundùm disciplinam priorum sęculorum, ad matutinas, & vespertinas horas convenire deberent, non solùm Clerici, sed etiam laici, & mulieres (*h*), sequeretur, quod ad residentiam tenerentur nedùm Clerici beneficiis instructi, sed etiam laici, & mulieres, quod prorsùs falsum est. Rursùs vi canonis præfati, in

(h) *Constit. Apostol. lib. 8 c. 34.*

in Objectione positi, supponitur, quod Clerici tenerentur convenire ad matutinas, & vespertinas laudes in Ecclesiâ persolvendas, ratione beneficiorum. Sed hoc non subsistit: nàm ad illas urgebantur non quià dè proventibus ecclesiasticis quidquam perciperent, sed quià statum Clericalem amplexi erant; *Cum enim*, inquit Thomassinus, *sit illorum sors, ut participes sint Christi sacerdotii, atque adeò mediatores quidèm hominum, & Dei, ad eos multò magis pertinet orandi, & jugitèr orandi obligatio: ergò & horas canonicas nullâ temporalium proventuum ratione habitâ, recitandi. Quamquàm & illud pro summâ suâ æquitate, & sapientiâ ad disciplinam suam pertinere judicaverit Ecclesia, cùm suppeditare necessaria Clericis, ut liberiores vacarent Dei ministerio: tùm eadem subtrahere cum officio desiissent, ut ne otiosis, & nomine solo Clericis pauperum patrimonia abligurienda conferrentur* (a).

19. Demùm verba illa in Canone objecto posita, *ad Ecclesiam*, non stant ibi taxativè, sed demonstrativè; ideòque sufficit, quod Clerici (tametsi de Clericis, beneficia simplicia possidentibus, canon loqueretur, quod non de facili admittendum est) alicui Ecclesiæ deserviant, seu in illa officiis divinis persolvendis conveniant, quamvis non id faciant in ipsâ Ecclesiâ, in quâ retinent beneficia. Sic etenim etiam insinuat glossa his verbis: *tù dic eum, & quemlibet Clericum teneri ad hoc, licèt non teneatur specialitèr ad hanc, vel illam Ecclesiam* (b). Eo modo quo Clericus, quamvis servire Ecclesiæ jubeatur, sibi ab Episcopo deputatæ, ut privilegiis Clericalibus potiri valeat (c); tamèn optimè iisdem gaudet, si alteri Ecclesiæ famuletur diversæ ab illâ, quam sibi Episcopus assignavit (d). In hisce nàmque actionibus obeundis, non est præfinitus locus, sed simplicitèr indicatus, adeòque, sivè servitium in unâ, sive in aliâ Ecclesiâ compleatur; sufficientèr impletur, & sic ad Objectionem quoàd hanc partem, negatur suppositum, nempè quod Clerici beneficia merè simplicia possidentes, non conveniant ad Ecclesiam, tametsi apud illam præcisam Ecclesiam non resideant, in quâ erectum est beneficium. Optimè nàmque conveniunt ad Ecclesiam, si aliquam alicubi sitam frequentent.

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p.1. l.3.c.73.n.13. in med.*

(b) *Glos. in cap. si quis V. deputatus 9. dist.92.*

(c) *Conc. Trid sess.23. cap.6.*

(d) *Riccius par. 4. dec.111, num 5. & decis.154 n.3. Dian p.1. tr.2.res.34. Barbos. in Conc.Trid sess.23.c.6. num 30.*

20. Nèc dicas, quod aliquandò Beneficiarii merè simplices ad nullam conveniunt Ecclesiam, ut horas canonicas recitent; nàm quamvis non id faciant quotidianè, sufficit, ut illud faciant aliquibus festis, & determinatis temporibus, juxtà eorum commoditatem, statum, dignitatem, & munera, quibus incumbunt. Præterquàmquod satis ad Ecclesiam convenire dicuntur, dum congruo diei tempore se colligunt, & applicant ad sacram psalmodiam recitandam, nomine Ecclesiæ, ac secundum ritum, ab eadem præscriptum: non tàm etenim Ecclesia materialis est in hisce attendenda, quam formalis. Imò hinc notatur differentia inter Beneficiarios residentiales, & merè simplices; quod his postremis assignata est sola Ecclesia formalis: primis verò, nedùm formalis, sed etiam materialis deputata est, ubi ministrent. Usque à primis Ecclesiæ sæculis fuit introductum, quod quibus non esset commodum, vel non placeret ad Ecclesiam convenire, ut ibi divinas laudes persolverent; illi easdem ex se recitarent (e): locus enim, in quo id faciebant, & faciunt, respectu ad eos, & ad hujusmodi actionem, potest Ecclesia quodammodò nuncupari: eo modo quo Sanctus Gregorius Nyssenus, in Arabiam cum quibusdam aliis pergens, quadrigâ vectus, & in itinere horas canonicas persolvens, ait: *Vehiculum nobis pro Ecclesiâ erat*. Quæ tamen locum non habent in Canonicis, & aliis Beneficiariis choralibus, quippè illis Ecclesia determinata, & materialis, est peculiaritèr prætaxata, & expresè assignata, ut in illâ ipsâ horas divinas decantent.

(e) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par.1. lib.2.c.71.n.11. cap 73.n.12.c.84.n.3.4.5.6.7.10.12.13.*

21. Sextus Canon in Objectione allegatus, sive plures Canones, inibi ad idem congesti, per ea, quæ toto præsenti capitulo diximus, explicantur. Piget eos integralitèr hìc inserere, ne præsens Tractatus nimiùm excrescat. Sufficit igitùr breviter affirmare, in hisce Canonibus non esse sermonem de Beneficiariis

merè

merè simplicibus, sed de Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus, & quandòque etiam de aliis Clericis. Quâ parte autem ipsi Canones loquuntur de Episcopis, & ex identitate rationis etiam de Parochis curatis, & rectoribus animarum, nihil faciunt ad rem, quià parùm probant: non enim probant onus residentiæ pro beneficiis simplicibus, quæ non memorant, sed pro solis curatis. Quâ parte verò loquuntur de Presbyteris, Diaconibus, aliisque Clericis, nihil afficiunt, quià nimiùm probant; nàm cum Presbyteri illi, Diaconi, & Clerici, nullo beneficiali titulo inibi distinguantur, sed in solâ qualitate proprii ordinis connotentur; sequeretur, quod non solùm Beneficiarii merè simplices, sed etiam simplices Presbyteri, Diaconi, & Clerici, tametsi nullo beneficio prædíti, ad residentiam tenerentur, quod quis audebit asserere? Argumentum ergò claudicat ex utroque latere, & ex nullo concludit intentum Contradictorum.

22. Itidèm inter dictos Canones unus est Canon, *Si quis*, ex Concilio Agathensi decerptus, jubens ne Clerici, præcipuis anni diebus festis ab Ecclesiâ suâ discedant (*a*). Sed cum idem Concilium paulò anteà idipsum decreverit de Laicis (*b*), consonentque Concilium Aurelianense I. (*c*), necnon Synodus Arvernensis (*d*), & Concilium Sardicense (*e*), ac antè omnia Concilium Eliberitanum (*f*), quæ consimilia decreverunt non minùs pro Laicis, quàm pro Clericis; redit sermo antecedenti numero deductus, quod Objectio quoàd hoc nihil probat, quià nimiùm probat: probat etenim, quod non solùm Clerici Beneficiati, sed etiam beneficiis destituti: & non solùm Presbyteri, Diaconi, atque Clerici, sed etiam Laici ad residentiam obligentur: quod quis non metuet affirmare? Præterquàm quod isti sunt Canones antiquati, & continentes methodum jàm abrogatam, quæ suo tèmpore laudabilis fuit, sed nùnc, postquàm eorum observantia cessavit, nimiùm esset incongruum velle illam ad usum pristinum revocare, ut de se patet.

(a) *Capit. si quis in Clero 29. caus. 7. qu. 1. Conc. Agoth. c. 64.*
(b) *Concil. Agath. cap. 21.*
(c) *Concil. Aurel. I. cap. 25.*
(d) *Concil. Arvern. ann. 535. c. 15.*
(e) *Concil. Sardic. c. 11. vel 14.*
(f) *Concil. Eliberic. cap. 21.*

23. Notetur adhùc, quod Canones hoc sexto loco allegati, in eorum germano, & naturali sensu concepti, non agunt de residentiâ Clericorum, sed de illorum fixatione in eâ Ecclesiâ, in quâ semel ad beneficium aliquod residentiale sunt assumpti; quià etenim pravus invalescebat abusus, quod Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Clerici, propriam Ecclesiam, quam regendam acceperant, insalutato hospite derelinquerent, ut pinguiorem alibi vacantem acciperent; fieretque, ut nullo petito superiorum assensu, vacuas Ecclesias quisque pro suo libito dimitteret, ac se à vinculo, quod cum propriâ Ecclesiâ contraxerat, propriâ auctoritate dissolveret: Ordines tandèm, quos aliqui in primâ Ecclesiâ suscipere incæperant, vel à quibus in eâ retinebantur, in aliâ completivè satagerent adipisci; sapientissimè Sancti Patres in præfatis, aliisque Canonibus, hujusmodi clandestinos, arbitrarios, vel inconsultos transitus fieri interdixerunt (*g*), quod etiam hodiè, tùm quoàd ordinationes, tùm quoàd discessum Beneficiariorum residentialium, privatâ auctoritate factum, servatur. Sed hoc est quid valdè diversum à residentiæ debito per simplices Beneficiarios explendo, de quo nobis in præsenti non est sermo.

(g) *Cap. non oportet 19. c. si quis 23. c. si quis 24. 7. q. 1. Conc. Nicæn. c. 15. & 16. Conc. Sardic. cap. 1. & 2. Concil. Chalc. c. 5. Can. Apost. 14 & 15. S. Hieron ep. 83. ad Ocean. S. Leo ep. 84 ad Anastasium*

24. Canonem septimo loco in Objectione allegatum, in quo dicitur, quod *propter officium beneficium ecclesiasticum datur* (*h*), jàm satis, & abundè superiùs explicavimus, ostendendo, quod etiam Beneficiarii merè simplices exercent officium, laborant, & serviunt Ecclesiæ, horas canonicas persolvendo, & alia, si quæ habent onera, vel per seipsos, vel per alios adimplendo, quantumlibet in Ecclesiâ, ubi erectum est beneficium, personalitèr non resideant, neque ministrent (*i*). Undè superfluum est ibi semel, & bis, ac pluries dicta, hìc nullâ exigente necessitate repetere. Ad loca in margine notata redeat benignus lector, & hunc textum, objectionemque ex illo consarcinatam intuebitur totalitèr dissolutam, satisque erit brevitèr, vel negare suppositum, nempè, quod Beneficiarii merè simplices non exerceant officium, tametsi non resideant. Vel retorquere

(h) *Capit. fin. de rescript. in 6.*
(i) *Vide hic suprà c. 20. à n. 7. c. 25. à n. 9*

quere argumentum adversus Contradictores. Nàm cum beneficium detur propter officium, & Beneficiarii merè simplices recitent Officium Divinum, & exerceant suum officium, recitando Officium Divinum, jàm sufficientèr satisfaciunt debito sui beneficii, etiam si alio residentiæ onere non se involvant.

25. Tandèm quoàd ultimum Canonem, in præsenti Objectione allegatum (a), non improprium esset dicere, quod mala in eo proposita, communitèr in ore hominum magis exaggerantur quàm sint; & si casus individualitèr examinarentur; inveniretur longè minora esse mala, quę altisonè conclamantur, quàm rè verâ esse reperiantur. Nihilominùs demus vera esse, & crebrò evenire, omnia illa inconvenientia, quæ Papa in eodem Canone improperat, & si pauca sunt, quæ ipse percenset, addamus ea, quæ Concilium Coloniense identidem narrat (b): quæ Joannes Gersonius (c): quæ Dionysius Carthusianus (d): & quæ alii severioris genii declamant: quid indè? nonnè Papa, & Concilium præfati, ipsique recensiti Auctores hæc eadem exaggerant etiam de beneficiis residentialibus solis? Vel saltèm, nonnè hæc æquè succedunt in beneficiis residentialibus, ac in merè simplicibus? Si hæc inconvenientia æqualitèr utrobique succedunt, jàm Objectio indè petita, vel nihil, vel ferè nihil concludit; quippè ipsa inconvenientia adhùc succederent, etiam si Beneficiarii merè simplices residerent.

(a) *Extrav. execrabilis de præb.*

(b) *Conc. Colon. ann. 1549. de 3. medio §. Octavo.*

(c) *Joan. Gerson. de vita Cleric. tom 2.*

(d) *Dionys. Carthus. opus. de vit. & refor. Canonic.*

26. Cęterùm si rerum omnium sistema esset abolendum, vel mutandum, ex quibus aliqua inconvenientia succedunt; quidnam remaneret intactum? Quænam res, tametsi sanctæ, ac sanctissimæ, tutæ essent. Ex matrimonio plura adulteria eveniunt: Ex sacrâ Communione plura sacrilegia: Ex Conviviis plures ebrietates: Ex mutuis plures usuræ: Ex mercaturâ plures fraudes: Ex Curiâ plures injustitiæ: Ex Aulâ plures invidiæ: Ex frequentiâ Ecclesiarum plures irreverentiæ, vanitates, concupiscentiæ, & sic de aliis rebus. Numquid hæc omnia mutanda sunt, eorumque disciplina varianda? Absit. Corrigendi sunt abusus, non res alterandæ. Ità ergò si plura inconvenientia succedunt in beneficiis merè simplicibus, corrigendi sunt abusus, non residentia necessariò exigenda est: quemadmodùm ob non impleta onera donationis, non rescindenda est donatio, sed agendum est pro onerum implemento (e).

Itàque totâ Objectione hâc exactiùs ventilatâ, nullatenùs probari ostenditur, quod *de Jure Canonico* Beneficiarii merè simplices residentiæ personalis onere constringantur.

(e) *Card. de Luca de Donat. disc. 28. n. 3. & disc. 15. n. 8.*



CAP.

CAPUT XXVIII.

In quo perpenditur OCTAVA OBJECTIO, *paritèr petita ex Jure Canonico, ad probandum, Beneficiarios merè simplices Residentiæ personalis onere adstrictos esse.*

SUMMARIUM.

1 Octava Objectio, *quod Jure Canonico veteri nulla daretur distinctio inter beneficia compatibilia, & incompatibilia per 1200. annos.*

2 *Ex suprà relatis optimè patet præfatâ distinctio. De qua etiam fit sermo in Canone Concilii Placentini apud Gratianum.*

3 *Canon iste sano modo intellectus satis exprimit beneficia incompatibilia, & compatibilia: nec non beneficia merè simplicia.*

4 *Ex Hincmaro Remensi cognoscitur, quod illius ætate vigebat distinctio inter beneficia compatibilia, & incompatibilia.*

5 *Continuatur idem sermo, & clarè ostenditur, quod tùnc præfata distinctio erat nota, & usualis in Ecclesiâ.*

6 *Concilium Aurelianense III. sermonem habet de* Munificentiis *sacerdotum: memoratque* Monasteria, Diœceses, *&* Basilicas, *& quid intelligat per hæc.*

7 *Decernens Concilium priores munificentias retineri posse cum Abbatiis, Parochiis, & Basilicis, satis designat beneficia compatibilia.*

8 *Si beneficia merè simplicia erant antè illud jus antiquum; ergò jam dabantur. Si non erant; ergò erecta sunt tempore, quo eximuntur à residentiâ.*

9 *Sportulæ, quæ olìm servientibus Ecclesiæ dabantur, non erant beneficia, sicut modò distributiones sunt quid à beneficio distinctum.*

10 *Canonicus, absens ex justâ causâ, percipit reditus beneficii sui, non verò distributiones. Sæculo nono nota erat, & vigebat ista distinctio.*

11 *Sicut nùnc non sunt idem beneficium, & distributiones quotidianæ; ità non erant olìm idem sportulæ, & beneficia ecclesiastica.*

12 *Sportulæ antiquitùs non omnibus Clericis præbebantur, sed solis indigentibus: indebitæ proindè erant habentibus de proprio, ex quo viverent.*

13 *Sportulæ non solis dabantur Clericis, sed etiam laicis pauperibus, peregrinis, captivis &c. Undè pauperes vocabantur Beneficiarii Ecclesiæ.*

14 *Igitur sportulæ nec dabantur omnibus Clericis: nec solis Clericis, Ecclesiæ illi deservientibus, sed etiam viris alibi morantibus.*

15 *Licèt beneficia, quæ nùnc sunt, habeant aliquam conformitatem cum antiquis sportulis, adhùc tamèn in multis dissimilia sunt ab iisdem.*

16 *Sicut licita fuit mutatio sportularum in beneficia: ità licita fuit mutatio servitii personalis in servitium, quod possit exerceri per alium.*

17 *Differunt beneficia simplicia, ut contradistinguuntur à duplicibus; à merè simplicibus, ut contradistinguuntur à residentialibus.*

18 *Jura dicunt, quod beneficia exigunt residentiam, quià loquuntur ut in pluribus: tamen beneficia merè simplicia ab illâ generalitate excluduntur.*

19 *Etiàm ſi Canones dicant beneficium dari propter officium, non benè inferetur Beneficiarios ſimplices ad reſidentiam teneri.*

20 *Si aliqui Canones poſcunt reſidentiam à Beneficiariis merè ſimplicibus; hi veri ſunt ſecundum ſua tempora. Leges mutationi ſubſunt.*

21 *Poteſtatem mutandi leges habet Eccleſia, quæ dùm illâ uſa eſt, veteribus juribus noviora derogarunt. Noſque ſtare debemus juribus nùnc vigentibus.*

22 *Olim Sacerdotes pluriès in die celebrabant. Non licebat in Quadrageſimâ vinum bibere. Interdicebatur Monachis ad Presbyteratum aſcendere &c.*

23 *Illa bonum erat tùnc obſervari, non verò nùnc, quià ſupervenerunt cauſæ mutationem hanc juſtificantes. Lex naturalis an mutationem admittat.*

24 *Jus antiquum nil obſtat, quando alii Canones, & generalis obſervantia reſidentiæ debitum abrogarunt Beneficiariis ſimplicibus.*

1. OBiciunt *Octavo loco* Contradictores adverſus immunitatem ab onere reſidentiæ, quâ potiuntur Beneficiarii merè ſimplices, hoc modo. Jure Canonico veteri nulla dabatur diſtinctio inter beneficia ſervitoria, ſive ſervitium perſonale exigentia, & beneficia,quæ nùnc dicuntur merè ſimplicia; quandoquidèm beneficia eccleſiaſtica per mille,& ampliùs annos in ſolis diſtributionibus,ſeu ſportulis conſiſtebant,nec ulla fuit,mille ducentis annis,umbra quidèm diſtinctionis beneficiorum in Compatibilia, & Incompatibilia, quemadmodùm teſtatur Thomaſſinus (*a*). Diſtributiones autèm, ſive ſportulæ præfatæ,non debebantur niſi præſentibus, & conſequentèr ſervientibus perſonalitèr, ac reſidentibus. Ergò etiàm beneficia merè ſimplicia reſidentiam perſonalem exigebant. Et ideò paſſim dicitur à Doctoribus, quod, ſpectato jure communi, etiam beneficia merè ſimplicia exigunt reſidentiam; Si ergò ſecundum jus commune beneficia merè ſimplicia exigunt reſidentiam, ſequitur, quod Beneficiarii merè ſimplices non ſunt à reſidentię perſonalis debito immunes.

(a) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. par. 2 l. 3. c. 1. & c. 14. num. 1.*

2. Reſpondetur *primò* negando antecedens: nempè quod jure canonico veteri nulla daretur diſtinctio inter beneficia reſidentialia, & merè ſimplicia: quodque per mille, & ducentos annos nè umbra quidèm fuerit diſtinctionis beneficiorum in Compatibilia, & Incompatibilia. Nàm ex ſuperiùs allegatis patet, quod antiquo jure canonico dabatur diſtinctio inter beneficia reſidentialia, & merè ſimplicia, & inter Compatibilia, & Incompatibilia (*b*). Redeat Lector ad Caput ſeptimum hujus Tomi, & veritati ſatisfactum inveniet. Poſt quæ ſi ad uberiorem probationem alia ulterius audire deſiderat, det intuitum Concilio Placentino,celebrato tempore Urbani PP.II.anno Chriſti 1095.in quo editus fuit iſte canon, à Gratiano corpori Juris in ſuâ Collectione conſertus (*c*). *In quâ Eccleſiâ quilibet titulatus eſt, in eâ perpetuò perſeveret. Omninò autem in duabus aliquem titulari non liceat, ſed unuſquiſque, in quâ titulatus eſt, in eâ tantùm Canonicus habeatur. Licèt enim Epiſcopi diſpoſitione unus diverſis præeſſe poſſit Eccleſiis, Canonicus tamen præbendarius, niſi unius Eccleſiæ, in quâ conſcriptus eſt, eſſe non debet. Si quæ tamen Capellæ ſunt, quæ ſuis reditibus Clericos ſuſtentare non poſſunt, ea cura, ac diſpoſitio Præpoſito majoris Eccleſiæ, cui Capellæ ſubditæ eſſe videntur, immineat, & tàm de poſſeſſionibus, quàm de eccleſiaſticis Capellarum officiis, ipſe provideat* (*d*).

(b) *Vid. hic ſupr. c. 7. num. 12. 13. 14. 15.*

(c) *Cap. Sanctorum 2. diſt. 70.*

(d) *Ex Concil. Placentin. Gratianus loco citat.*

3. Notentur Verba hujuſce canonis, & invenietur, quod illâ ętate optimè dabatur inter beneficia reſidentialia, & merè ſimplicia, ſive inter beneficia compatibilia, , & incompatibilia diſtinctio; nàm quotieſcumquè Concilium, ſive Pontifex in eo decernit, nullum poſſe titulari in duabus Eccleſiis, neque in

in eis præbendam Canonicam adipisci, talitèr ut in utrâque sit Canonicus, profectò docet, duos Canonicatus esse beneficia incompatibilia. Similitèr dum dicit, quod Episcopi dispositione unus diversis præesse potest Ecclesiis, procùldubio intelligit de Ecclesiis, sive beneficiis compatibilibus, ad differentiam eorum, quæ incompatibilia esse præmiserat. Demùm cum memorat Capellas, quæ proprios reditus tenuviores habebant; & earum possessiones, & officia ecclesiastica illis adnexa, disponi mandat à Præposito Ecclesiæ majoris; quid nisi beneficia merè simplicia intelligit, & Compatibilia; distincta ab Incompatibilibus, per illud adverbium *tamen*, quod est restrictivum & exceptivum eorum, quę suprà dixerat (*a*)? Si omnes alii deessent Canones; hic unus, & se solo posset sufficere ad ostendendum, quod etiam jure canonico antiquo plenum locum habebat distinctio, quam Contradictores impugnant beneficiorum compatibilium ab incompatibilibus, sive residentialium à merè simplicibus.

(a) *Barbos.trac.var. dict.401.n.1.*

4. Rursùs ad antiquiora tempora procedendo, reperitur Hincmarus, qui anno Christi 845. Archiepiscopatum Remensem adeptus est (*b*), & duodecimo anno sui Episcopatus, qui incidit in annum Christi 847. quędam Capitula suis Coepiscopis misit, Conciliis Galliarum inserta (*c*): In quorum tertio sic effatur: *Quià quidèm presbyteri pratèr Ecclesiam, in quà titulati sunt, etiam Capellas habent, & quidèm etiam veteres Ecclesias restaurant, aut altaria nova construunt &c.* Jubetque nè quis eorum celebret in altari per Episcopum non consecrato. Illâ ergò ętate Presbyteri habebant Ecclesias (in quibus titulati erant, nempè ad parochiale munus assumpti, ut ex ejus verbis, quę subsequentèr referemus, elucet) ac simul Capellas, nempè beneficia merè simplicia: Sicque tùnc etiam distinguebantur prima beneficia, uti residentialia, à secundis, uti non residentialibus, & hæc cum illis compatibilia fuisse reputata demunstrat Hincmarus, dum ea dimitti non mandat. Successivè idem Hincmarus anno 874. in Synodo Remensi, quam Universalem appellat, alia dedit Capitula (*d*), in quorum primo talia pronuntiat: *quià non solum illicitâ, sed etiam perniciosâ sibi, ac commissæ plebi præsumptione, contrà Sacros Canones Presbyteri nostræ Parochiæ dicuntur Ecclesias suas negligere, & præbendam in Monasterio Montis Falconis obtinere: Sed & Canonici ipsius Monasterii Ecclesias rusticanarum parochiarum occupare: necesse nobis est non solum quid indè sacri canones definiant demonstrare, sed & vigorem, ac censuram eorundem sacrorum canonum, si se non correxerint, in contemptores exercere &c.* Itàque, *eos qui ausi fuerint post definitionem magnæ, & universalis hujus Synodi, quidquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decrevit Sancta Synodus à proprio hujusmodi gradu recedere* (*e*).

(b) *Flodoard. Hist. Remens.l.3.c.1.*
(c) *Conc.Gall.to.3. fol.635.*
(d) *Concil.Gall.to.3. fol.637.*
(e) *Conc.Gallic.loco citat.*

5. Et quibusdam aliis interjectis decernit, quod nullus Presbyter *plebem suam deserere, & ad Monasterii quasi tuitionem confugere: Vel Canonicus ordinatus in Monasterio, obsequia monasterialia derelinquens, turpis lucri cupiditate ob emolumentum decimæ rusticanarum parochiarum Ecclesias studebit invadere &c.* Et quod si presbyter plebis rector vult canonicalem pręebendam in Monasterio adipisci, *professionis suæ libello ab ordine, & titulo, atque regimine plebis &c. se exuat &c.* Erant tùnc Canonicatus Monasteriales, seu regulares etiam in Cathedralibus, prout & nunc sunt in pluribus locis. Vide autem, quod hic vetatur uni, & eidem Presbytero beneficium Parochiale, & Canonicale insimul retinere, sicùt & Canonicale cum Parochiali. Cur? Quià sunt incompatibilia. *Constat enim*, inquit Canon præfatus, *& certum est, quià & claustra Monasterii, atque obsequia debita, & quæ sunt necessaria plebi in rusticanis parochiis insimul exequi nemo valebit* (*f*). En clarè indicata compatibilitas, & incompatibilitas beneficiorum, non verbis, sed factis: prima inter parochias, & capellas; secunda inter ipsas parochias, & prębendas canonicales; sic ut ex his postremis alteram tantùm retineri mandetur: duarum verò priorum nullam ju-

(f) *Concil.Gall.loc. cit.f.638.*

jubeatur dimitti, quià illæ erant incompatibiles, hæ autem compatibiles. Satis ergò nota erat, & usualis, ætate illâ, distinctio inter beneficia compatibilia, & incompatibilia, nec subsistit, quod per mille, & ducentos annos Ecclesiæ fuerit ignota.

6. Pergamus ulteriùs ad ætatem adhùc antiquiorem. Concilium Aurelianense III. celebratum anno Christi 540. inter alia de beneficiis merè simplicibus, (munificentiis Sacerdotum, abeo dictis: quià ex merâ munificentiâ Sacerdotum, idest Episcoporum Clericis conferuntur) ità decernit: *de munificentiis verò Sacerdotum id observandum, quod si quid præsenti tempore decedentium munificentiis habetur, vel possidetur, deinceps à successoribus nullatenùs auferatur* (a). Quibus *munificentiis* intelligi beneficia ecclesiastica suprà lautiùs patefecimus (b). Successivè Concilium ipsum edicit: *De his verò Clericorum personis, quæ de Civitatensis Ecclesiæ officio, Monasteriis, vel Diœcesibus, vel Basilicis in quibuscumque locis positis, idest sive in Territoriis, sive in ipsis Civitatibus, suscipiuntur ordinandæ; in potestate sit Episcopi, si de eo, quod antè de Ecclesiâ habebant, eos aliquid, vel nihil habere voluerit, quià unicuique facultas suscepti Monasterii, Diœcesis, vel Basilicæ debet plenâ ratione sufficere* (c). Per ly *Monasteriis* hìc naturalitèr significari agnoscuntur, vel Abbatiæ monasteriales, vel Præbendæ canonicales in Monasteriis. Per ly *Diœcesibus* evidentèr significantur Parochię, quæ aliquandò Diœcesis nomine designantur (d). Per ly *Basilicis* intelliguntur Ecclesię aliquæ principales, aliquid prærogativæ majoris habentes super ordinarias Ecclesias, uti sunt Cathedrales, vel Collegiatæ, vel aliæ similes, quarum quadraginta fuisse Romę narrat Optatus Milevitanus (e), intelligens probabilitèr titulos Cardinalitios (f), aut significat sacras ędes aliquibus Sanctis peculiaritèr dedicatas, ad differentiam Templorum, quæ destinata sunt ad sacrificia (g).

7. Decernit ergò Concilium, quod si Clericus aliquis jàm munificentiæ Ecclesię possessor, idest beneficium ecclesiasticum tenens, ad Abbatiam, sive Præbendam Canonicalem, vel Parochiam, aut Basilicam, in Civitate, vel Territorio Episcopali positas, promoveatur; sit in libertate Episcopi, an à promoto munificentiam ipsam prius obtentam, voluerit cum recentèr adepto Canonicatu, Abbatiâ, Parochiâ, vel Basilicâ, insimul retineri: vel non. Quoties autem decernit in potestate Episcopi esse permittere munificentiæ, sive Beneficii prioris retentionem, cum Præbendâ, Parochiâ, vel Ecclesiâ posteriori; satis ostendit, quod munificentiæ ipsius nomine nonnisi beneficium simplex, & compatibile intellexit: alioquin non ejus retentionem permisisset. Ex quibus patet, hallucinari eos, qui existimant, quod jure veteri nulla dabatur distinctio inter beneficia residentialia, & merè simplicia; quodque per mille ducentos annos ne umbra quidem fuit distinctionis beneficiorum in Compatibilia, & Incompatibilia: nàm ex textu Concilii Placentini, Decreto Gratiani inserti, habitique anno Christi 1095. necnon ex textu Concilii Remensi, sive Hincmari in eo loquentis, & ex se alia Capitula edentis, sub annis Christi 857. & 874. Demùm ex textu Concilii Aurelianensis III. habiti anno Christi 540. contrarium enitescit: Et licèt in hisce textibus non legantur voces illæ *residentialia*, & *simplicia*, sive *compatibilia*, & *incompatibilia*; hoc parum refert, cum sufficiat inibi contineri res per voces illas significatas, estque lis de nomine disputare de dictionibus, quando res habetur per dictiones significata: de quâ rè fusiùs dictum est suprà, cum aliis ibidem prolatis (h), ubi Lectorem remittimus.

8. Respondetur *secundò*, retorquendo argumentum hoc dilemmate. Vel beneficia merè simplicia erant tempore suppositi antiqui juris, sive antè annos mille ducentos; vel non. Si erant, ergò jàm dabantur à parte rei, tempore juris antiqui, & antè illos annos mille ducentos; ac per consequens etiam debebant dari voces, & dictiones connotantes, ac distinguentes beneficia residentia-

lia

(a) *Conc. Aurel. III. c. 12. apud Coriolan. fol. 455.*

(b) *Vide hic suprà cap. 4 à n. 5 & c.*

(c) *Conc. Aurel. III. cap. 13.*

(d) *Sydon. l. 9. ep. 16. Magri Vocab. Ecclesię V. Diœcesis.*

(e) *Optat. Milevit. lib. 1. Vide etiam Baron. in Not. ad Martyrol. 5. August. b.*

(f) *Theatr. Vit. human. V. Basilica.*

(g) *Theatr. Vit. human. V. Templum.*

(h) *Vid. hic supr. c. 7 à n. 22 & seq. usq. ad finem.*

lia à merè simplicibus, & compatibilia ab incompatibilibus, ne præbendæ illæ essent innominatæ: & hæc beneficia merè simplicia tùnc existentia sunt eadem ac illa, quæ nùnc sunt, & pro merè simplicibus considerantur. Si verò antiquo illo tempore beneficia merè simplicia non erant; ergò beneficia illa, quæ nunc vocamus merè simplicia, & pro merè simplicibus reputamus, fuerunt erecta post illud tempus, sive post annos Christi mille ducentos. Ergò fuerunt erecta sub illis formâ, & legibus, quibus tempore illorum erectionis vivebatur in Ecclesiâ. Sed forma, leges, & disciplina vigens in Ecclesiâ Dei post dictos annos mille ducentos, absolvit Beneficiarios merè simplices ab onere residentiæ; ergò isti ad residentiam nullatenùs obligantur. Vide quę dicta sunt superiùs (*a*).

9. Respondetur *tertiò*, negando causalem antecedentis, nempè quod quià beneficia ecclesiastica per mille, & ampliùs annos in solis distributionibus, seu sportulis consistebant, ideò non distinguerentur beneficia merè simplicia à residentialibus. Falsa est ista causalis; nàm verum est, quod lato modo dicitur, quod beneficia ecclesiastica nostri temporis succedunt antiquis sportulis Clericorum. Sed magis propriè dicendum est, quod sportulis, quæ olim deservientibus actu, & personalitèr Ecclesiæ, dabantur, & quæ in erogationibus mensurnis, seu diurnis, vel alio modo distributis, consistebant, de quibus videre est S. Cyprianum (*b*), nùnc succedunt distributiones, quæ dantur Canonicis, Dignitatibus, Mansionariis, aliisque Clericis, choro personalitèr deservientibus, dicunturque distributiones quotidianę, vel quià quotidiè illis distribuuntur, vel quià determinato tempore dispensantur eisdem Clericis, qui quotidiè Divinis Officiis in Ecclesiâ persolvendis intersunt (*c*). Sportulæ autem illæ non erant beneficia, nisi lato modo sic denominatæ, sicut & nùnc ipsę distributiones non sunt beneficia, saltèm de rigore sumpta. Etenim distributiones ipsæ tametsi lato modo, analogicè, & similitudinariè dici valeant beneficia manualia (*d*); nihilominùs non sunt verè, & propriè beneficia, velut pro ecclesiastico titulo sumpta (*e*), sed sunt quidquam à corpore beneficii distinctum (*f*): & magis propriè sunt dicenda stipendia (*g*), utpote data propter solam interessentiam Divinis Officiis, tamquàm propter meram causam formalem (*h*). Quià etiam dantur ultrà, vel suprà beneficium in titulum assignatum; appellatione redituum beneficii non veniunt (*i*), nisi ubi omnes fructus beneficii in solis distributionibus quotidianis consistunt (*l*).

10. Hinc fit, quod si cui Canonico licentia conceditur, ut ab Ecclesiâ suâ possit abesse, ratione studii, vel aliâ justâ de causâ; competunt ei quidem alii reditus sui beneficii Canonicalis, sed non distributiones quotidianæ (*m*): quæ tandem uti traditæ propter ministerium personale, tamquàm merces operis, & veluti stipendium laboris, inter bona quasi patrimonialia computantur, de quibus Beneficiarius, tamquàm absolutus eorum dominus, potest pro suo arbitrio, etiam per ultimam voluntatem disponere (*n*). Sunt, inquam, distributiones quotidianæ quidquam à beneficio distinctum, non distinctione recentèr excogitatâ, sed antiquis quoque temporibus observatâ: nàm in jure disponitur ab Innocentio Papâ III. qui Ecclesiæ præesse incœpit anno 1198. quod Canonico, qui præbendâ caret (sumptâ hìc præbendâ pro beneficio Canonicali) distributiones quotidianę interim non negentur (*o*). Et antiquiori adhùc tempore, in Capitularibus Caroli Magni, qui regnare cœpit anno Christi 868. legitur: *Canonici, Clerici, qui in Civitatibus, vel in Monasteriis degunt, qui beneficia habent, undè victum, & vistitum habere possunt; ut bis juxtà Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, undè pauperiores vitam sustinent, nequaquàm absumant. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque eareat, idest beneficio, & præbendâ* (*p*). Vides hìc distingui beneficia à distributionibus quotidianis, quæ hoc loco dicuntur *præbenda*, ut cognoscas, eo tempore inter utraque distinctionem viguisse.

(a) *Vid. hic superiùs c.7.n.18.& seq.*

(b) *Sanct. Cyprian epist. 34.*

(c) *Monet. de distr. quotid. p. 1. qu. 1. nu. 9. Azor. p. 3. l. 7. cap. 7. in princ.* Barbos. *de Canon. c. 22. n. 3.*

(d) *C. olim de Verb. signif. c. un de Cler. non resid. n. 6* Barbos. *loco cit. n. 4. 5. cum aliis ibi.*

(e) *Idem loco cit. & tr. var. appel. 173. n. 4.*

(f) *Borel. sum. ta. 1. tit. 20. n. 178.*

(g) *Barbos. de Canon. c. 21. n. 4.*

(h) *Monet. de distr. quotid. p. 1. qu. 4 nu. 25* Barbos. *loc. cit. n. 10.*

(i) *C. licet de præb. c. 2. de prev. in 6. Barbos. loc. cit. n. 6.*

(l) *Ric. prax. for. Neapol. prax. 6. call. 2437. Azor p. 2. l. 7. c. 7 qu. 7. Barbos. loc. cit.*

(m) *Gonzal. ad reg. 8 Canc. § 7. proœm nu. 379. Barbos. loc. citato num 30.*

(n) *Sylv. Verb. Clericus 4. qu. 4. nu. 3. Covar. c. cum in officiis n. 4. de testam. Barbos. loc. cit. n. 32.*

(o) *Cap dilectus 19 de præb.*

(p) *Capitular. Carol. M. l. 2. c. 76.*

11. Quemadmodùm autem non sunt idem nùnc beneficium, & distributiones quotidianæ; ità non erant olim semper idem sportulę, & beneficia ecclesiastica, optimèque contingebat, ut quis haberet Ecclesiam, seu Oratorium, aut Capellam propriam, & separatam ab aliis, non verò sportulas; vel haberet sportulas, & non Ecclesiam, sive Capellam, vel beneficium proprium: aut haberet insimul & beneficium, & sportulas, primum ut in titulum, secundas ut in stipendium interessentiæ personalis: adeòque non est verum, quod per mille annos beneficia ecclesiastica in solis sportulis consisterent, saltèm omnia beneficia, & semper, & ubique: cum priscis etiam sæculis inveniatur, quod Clerici, præter sportulas, habebant propria beneficia, ut ex Capitulari Caroli Magni mox allegato patet, necnon ex valdè antiquiori sanctione Innocentii Papæ I. de quâ superiùs (*a*): Et ex ipsâ beneficiorum origine, quæ cum erectione Ecclesiarum, Oratoriorum, Capellarum &c. usque à primis Christi sęculis incœpit, uti suprà notatum est (*b*). Clerici etenim ipsis Capellis, Ecclesiis, & Oratoriis præfecti, eorum beneficia, sive reditus in titulum obtinebant, non verò sportulas percipiebant, vel si has quoque alicubi percipiebant, erant quid ab ipsis beneficiis distinctum.

(a) *Vid. hic supr. c. 3. num. 3.*

(b) *Vid. suprà cap. 3. à num. 9.*

12. Respondetur *quartò*, negando suppositum, nempè quod, dato etiam, sed non concesso, fuisse idem olim sportulas, sive distributiones, & beneficia, hę sportulæ darentur solis Clericis, & quidem præsentibus, sive personalitèr deservientibus Ecclesiæ, à quâ præbebantur. Nàm tametsi ordinariè Clericis Ecclesię deservientibus porrigerentur; attamèn nec omnibus Clericis, neque solis Clericis tradebantur. Non tradebantur omnibus Clericis, quià sub ipsis primis Ecclesiæ sęculis, quando sportulæ in Clericos dividebantur, plures Clerici, Diaconi, & Presbyteri erant, etiam curam animarum exercentes, qui de proprio patrimonio vivebant: *Jàm indè*, inquit Thomassinus, *à primis ineuntis Ecclesiæ sæculis, tàm multi Clerici sanctissimi, & parochiis præerant, & Decanatus, atque Archidiaconatus administrabant, aliaque ecclesiastica beneficia, qui se suo tamen sumptu, & patrimonii censu alebant* (*c*). Hi ergò erant Clerici, Ecclesię famulabantur, & ecclesiastica officia exercebant, qui tamen non beneficiis, quę in sportulis consistebant, potiebantur; sed de proprio patrimonio vivebant, & sic sportulæ non omnibus Clericis tradebantur. Imò non semel alibi ostendimus, ex Sanctis Hieronymo, ac Prospero Aquitanico, quod Clerici habentes bona patrimonialia, quibus viverent, non poterant ecclesiasticos reditus adipisci (*d*). Non ergò tùnc dabantur sportulæ cunctis Clericis, sed solis indigentibus ecclesiastico subsidio.

(c) *Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 2. l. 3. c. 34. n. 14. & non.*

(d) *Vid. infr. c. 29. num. 4.*

13. Neque paritèr tradebantur solis Clericis, quià dabantur etiam pauperibus, egenis, infirmis, damnatis ad metalla, captivis, constitutis in carceribus, peregrinus, masculis, & fœminis; ac quotquot sub nomine pauperum nuncupantur: qui propterea Beneficiarii Ecclesiæ censiti sunt, ut alibi notavimus (*e*), & ab eodem Thomassino ità considerati: Elucescit &c. *quam verè pauperes inscribendi sint albo Beneficiariorum ab Ecclesiâ alendorum* (*f*). Hinc apud Flodoardum (*g*), & adhùc antiquiùs apud Concilium Antissiodorense, anno 590. celebratum, pauperes dicuntur *Matricularii Ecclesiæ* (*h*), quià scripti matriculæ, albo, elencho, sive catalogo eorum, qui sportulas ab Ecclesiâ percipiebant, & qui si erant Clerici, dicebantur *Clerici, vel Canonici matricularis* (*i*), si verò laici egentes, vocabantur pauperes *matricularii Ecclesiæ*. Ulteriùs cum tota potestas ministrandi, & dispensandi bona ecclesiastica, apud Episcopum resideret, in illius erat arbitrio augere, vel miminuere numerum Clericorum, numerumque portionum, sportularum, & eorum, qui de hisce participabant. Nullibique reperiatur fuisse Episcopis interdictum dispensare partem redituum ecclesiasticorum viris extrà eorum diœceses commorantibus; imò potiùs constat illos consuevisse loculentas erogationes

(e) *Vid suprà tom. 1. cap. 3. n. 2. 4. 5. 15.*

(f) *Thomass. loco cit. p. 3. l. 3. c. 26. n. 19.*

(g) *Flodoard. lib. 3. c. 26 histor. Remens.*

(h) *Conc. Antissiod. ann. 590. cap. 3. & ibi Binius.*

(i) *Dominic. Magri Vocab. Eccles. V. Matricula.*

nes

nes hùc illùc mittere, uti fusiùs alibi demonstravimus (*a*). Et sic si de sportulis, & reditibus ecclesiasticis participabant etiàm extranei; procùldubio istę non erant debitæ solis Clericis Ecclesiæ illi deservientibus, sed etiam aliis.

14. Itàque dum nulla lex prohibebat Episcopis admittere ad sportulas, sive ad pias erogationes, suarum Ecclesiarum etiam pauperes, & Clericos alienos, jam in arbitrio erat cujuslibet Episcopi participes facere sportularum suæ Ecclesię quoscumque Clericos, etiam non præsentes, dummodò benemeritos, vel quià indigentes, vel quià piis operibus alibi de mandato ipsius Episcopi mancipatos, vel quià alitèr eisdem sportulis dignos. Et ità si sportulæ non porrigebantur, vel saltèm poterant non porrigi omnibus Clericis: nequè dabantur solis Clericis, nequè illis solis, qui actualitèr in illâ Ecclesiâ ministrabant, cujus redituum sportulæ distribuebantur; jam patet, quod sicuti tunc sportulæ saltèm aliquandò licitè tradi poterant viris, vel alibi commorantibus, vel actualitèr non ministrantibus in Ecclesiâ sportulas elargiente; ità etiam nùnc beneficia merè simplicia, iisdem sportulis succedentia, licitè valent Clericis, etiam personalitèr non residentibus, conferri. Adeòque argumentum non probat adversus nos, sed potiùs adversus Contradictores.

15. Respondetur *quintò*, quod quamvis beneficia ecclesiastica, quæ nùnc sunt, succedant aliquo modo in latâ acceptione antiquis sportulis, & habeant aliquam conformitatem (quæ tamen rigorosa non est, ut innuimus, sed solùm similitudinaria, & æquivoca) cum ipsis antiquis Ecclesiæ sportulis; adhùc tamen argumentum ab illis petitum ad beneficia non ambulat pari passu, sed claudicat valdè, quippè in pluribus beneficia ecclesiastica sunt à sportulis dissimilia: omnis autem parva dissimilitudo sufficit, ut argumentum deductum à simili ad simile non afficiat (*b*). Ideòque dicitur communitèr, hoc argumentum esse fragile, infirmum, ac leve (*c*). Cumque diversa sit juris dispositio inter distributiones quotidianas, & beneficia; diversa quoque est procùldubio inter sportulas, & beneficia; ubi autem inter similia inequalis est juris dispositio; argumentum ex uno deductum ad aliud nihil afficit(*d*). Et ità quidquid fuerit olìm de sportulis Clericalibus, an deberentur solis personalitèr ministrantibus, nec ne; hoc non concludit, quod idem sit nùnc in beneficiis ecclesiasticis de necessitate observandum: sicuti non idem fit nùnc, quod olìm fiebat de *sportulis consularibus* (*e*).

16. Præterquàmquod si, mutatâ Ecclesiæ disciplinâ, distributiones, & sportulæ, versæ sunt in beneficia; mutata est quoque obligatio assiduitatis personalis, quæ supponitur debita pro ipsis sportulis consequendis: ergò si licita fuit prima mutatio sportularum in beneficia, jam à totius Ecclesię praxi observata, & à jure communi approbata; licita est etiam secunda mutatio, quæ assiduitatis personalis debitum tollit, jam generalitèr per totam Ecclesiam observata, & à jure communi paritèr approbata, itaùt quæ tùnc debebant fieri personalitèr, nùnc possint fieri per substitutum: non est enim ratio, cur fieri posset mutatio quoàd unam rem, & non quoàd aliam. Ergò stante justitiâ utriusque ipsius mutationis, beneficia merè simplicia, similitudinem, sive successionem sportulis habentia, exemptionem præbebunt Beneficiariis merè simplicibus ab onere residentiæ: tametsi non eam præbeant beneficia residentialia, quià in eis electa est industria personæ specialitèr ad onus chorale, vel curatum, personalitèr obeundum: quæ industria non est electa in Beneficiariis merè simplicibus, utpotè qui cum nullum habeant onus personalitèr adimplendum; nihil fuit opus in eis inquirere, ac deligere industriam personæ.

17. Cæterùm quod spectato jure communi, beneficia quoquè merè simplicia exigant residentiam, ut ex adverso ponitur in Objectione; ingenuè contitemur hoc passim à Doctoribus affirmari, & ità Theologos (*f*), atque ità Canonistas tenere (*g*). Sed an de rigore propositio hæc sit vera, judicet quisquis observavit, quod aliqui Doctores, dum memorant beneficia simplicia, non intel-

(a) *Vide supr. Tom. 1. cap. 2. n. 9. c. 3. n. 7. S. Tom. 2. c. 14. n. 8. Tom. 3 cap. 4. n. 41.*

(b) *Bertaz. in repet. l. si quis maior. C. de transac. n. 762.*

(c) *Menoch. cons. 37. num. 177. & cons. 75. num. 62. Barbos. tract. var. loc. 101. n. 8.*

(d) *Bald. consil. 358. in fin lib. 1.*

(e) *Alex. Vvilthemius comment. ad Dipt ychon Leodiens. c. 4.*

(f) *Azor. Inst. mor. lib 7. c. 3. qu. 1. Filliuc. tom. 2. tr. 41. c. 6. n. 25. & alii.*

(g) *Fagnan. in cap. super inordinata 35. num. 5 de præbend. l. 3 & in c conquerente 6. num. 2. & 13 de Cler. non resid lib. 3. Borel. Sum decis. 10. 1. tit. 20. num. 248. Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 3.*

intelligunt de beneficiis merè simplicibus, quorum hìc sermo est, sed de beneficiis servitoriis, non duplicibus, qualia sunt Canonicatus, Mansionariæ, Capellaniæ chorales &c. quæ ab eis dicuntur beneficia simplicia, habito respectu ad beneficia curata, & dignitates ecclesiasticas, quæ vocant beneficia duplicia, Itàque accipiunt beneficia simplicia, non ut merè simplicia, & prout contradistinguuntur à residentialibus, sed ut simplicia tantùm, prout contradistinguuntur à duplicibus, adeòque in sensu valdè diverso ab eo in quo nos hìc effamur. Quarè tametsi Auctores dicant, quod beneficia simplicia de jure communi exigunt residentiam; non benè infertur ad hanc Beneficiarios merè simplices coarctari, quià illi loquuntur, vel saltèm exponi possunt, quod loquantur de beneficiis choralibus, non verò de merè simplicibus. Æquivocatio ergò est in verbo *simplicia*, quod quotiès potest referri ad aliam significationem, nihil concludit pro debito residentiæ contrà beneficia merè simplicia. Actus enim referibiles ad alium titulum, non tribuunt jus eosdem alleganti (*a*).

18. Ad hæc notetur, nullibi in Jure, quod nobis innotescat, disponi, quod Beneficiarii merè simplices ad residentiam obligentur. Decernunt quidèm Canones, quod Clerici obtinentes beneficia, residere teneantur, seu aliquod ministerium personale debeant exercere, sed loquuntur de beneficiis generalitèr, & prout in pluribus, adeòque de beneficiis residentialibus tantùm: quippè beneficia ut in pluribus sunt residentialia: & sic propositio illa regulari debet, prout exigit subjecta materia, idest quod residentiam exigant beneficia residentialia, non verò merè simplicia. Et fanè quemadmodùm leges generales non corrigunt leges speciales (*b*); Sic & propositiones, sive conclusiones generales, quamvis generalitèr veræ sint, non tamen earum veritas quoàd omnia particularia verificatur. Ità generalitèr dicitur, quod omne animal habens aures audit, & verum est, quià ut in pluribus ità est: Sed tamen hoc non verificatur de surdis. Dicitur etiam generalitèr, quod omnis homo matrimonium contrahere valet, & verum est, quià ut in pluribus ità est, sed tamèn hoc non verificatur de Presbyteris, Monachis, & Monialibus: Ità dic de aliis rebus. Eodemque modo licèt jura dicant, quod beneficia exigunt residentiam, quià ut in pluribus res ità se habet, Juraque semper se adaptant ad id, quod solet frequentiùs evenire (*c*); Non tamen hinc infertur, quod beneficia merè simplicia ab illâ generali dispositione non excludantur, propter speciales qualitates in eis concurrentes, quæ in Beneficiariis residentialibus non inveniuntur.

19. Neque ex eo quod Canones dicant, beneficia exigere aliquod ministerium (*d*), vel quod beneficium datur propter officium (*e*); ritè infertur Beneficiarios merè simplices residentiæ onere adstringi, quippè, uti alibi ostendimus, ministerium, si quod injunctum est talibus beneficiis, satis adimpletur, cum per substitutum impletur. Officium quoque, propter quod datur beneficium, nisi aliud exprimatur, solas horas canonicas comprehendit, quæ licitè possunt ubilibet recitari à Beneficiariis merè simplicibus, quibus nullus est præscriptus locus, ubi sacræ psalmodiæ operam dent, ad differentiam Beneficiariorum choralium, quibus determinata Ecclesia assignata est, ubi sacras laudes persolvant. Et ità neutrum ex his importat, quod Beneficiarii merè simplices residentiæ vinculis implicentur ex dispositione juris communis, de eis individuè non loquentis. Præsertìm quià cum in corpore Juris communis, apud Gratianum (*f*), in libris Decretalium (*g*), & in Sexto earundem (*h*), habeamus Canones dilucidè, patentèr, atque inconcussè disponentes beneficia, sive Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito exemptos; certè rè sincerè perpensâ, & fundamentalitèr examinatâ, videtur omninò concludendum, quod spectato jure communi beneficia simplicia non exigant residentiam (*i*).

(a) *Card. de Luca de Regul. disc. 24. n. 9*

(b) *Fagnan in cap. Vir qui n. 24 & 26 de consanguin. lib. 4.*

(c) *Leg. ad ea ff. de legib Fagnan. in c. explicari n. 26. de obser. jejun. lib. 3. Barbos. Axiom. 133. n. 3.*

(d) *Cap. quia nonnulli de Cler. non resid.*

(e) *Cap. fin. de rescripts in 6.*

(f) *Cap. Sanctorum. § Omnino 2. dist. 70.*

(g) *Cap. Clericos 17 de Cler. non resid.*

(h) *Cap. gratia 7. de rescriptis in 6.*

(i) *Vid. hic supr. c. 7. & 10.*

20. Sed

20. Sed admittamus ex abundanti, quod beneficia merè simplicia, de jure communi antiquo exposcerent residentiam, hoc nihil prorsùs officit; Nàm jurium id præcipientium vis destruitur responsione, quam in consimili casu dat S. Antoninus dicens, quod *Capitula in contrarium allegata, vel alia similia, loquuntur secundum sua tempora, sed hodiè secus* (a). Notum est etiam omnibus, vel mediocritèr doctis, quod ad cujuslibet Reipublicæ tutum regimen spectat posse leges, prolocorum, temporum, & personarum opportunitate mutare (b). Hæc potestas fuit in lege veteri, de quâ prætèr Interpretes, legatur Limneus in res alioquin Catholicorum parùm propensus (c). Fuit & in Republicâ Romanorum, quorum adhùc memorantur leges Æmilia de Censoribus; Appuleja de Majestate; Atilia de Tutoribus; Bebia de Prætoribus; Cæcilia de Fullonibus; Calphurnia de ambitu; & aliæ permultæ usquè ad 184. (d), quæ paulatim sancitę sunt, & paulatim dispunctæ unâ obsolescente, & altera de novo prodeunte. Sed quodnam Regnum, quodnam Imperium, quænam Respublica fuit unquàm in mundo, ubi non fuerit licitum leges pro temporum diversitate mutare? Detur intuitus antiquis Regnis, detur pręsentibus, & agnoscetur, quam certa, & inconcussa semper fuerit ubilibet hęc potestas, cujus admissio sanè dici pętest unum ex primis principiis laudabilis politię, ac boni regiminis cujuslibet Principatus.

(a) S. Antonin. 3. par. tit. 15. cap. 1. §. 9. fol 262.

(b) Anton. Augustin. de legib cap 17. f. 29. Vid. supr. tom 2. c. 21. num. 12. Et infr. in hoc tom c. 29. n. 18.

(c) Joannes Limneus in Aur. Bull. Carol. IV. cap. 29 § 4.

(d) Anton. August. de legib.

21. Hanc autem eandem potestatem, quę de regalibus est (e), habere quoque debet, ac habuit semper Ecclesia (f). Quę si eam habet, atque habuit, certum est, quod potuit, ac potest etiam eandem exercere (nisi velimus dicere, quod habeat gladium, sed non possit illum eximere: quod habeat schiadium, sed non valeat illud contrà solis radios explicare: quod habeat equum, sed non possit super illum equitare &c. quòd non esset sapientèr loqui, sed delirare). Si ergò Ecclesię fas fuit interdùm leges mutare, procùldubio antiquioribus juribus recentiora successerunt: veteribus autem juribus noviora derogant (g). Ergò quidquid sit, an antiquiores Juris Canones deposcerent à Beneficiariis merè simplicibus residentiam; hoc nihil ad nos, qui vivere debemus non secundum id, quod antiqua illa jura pręscribebant, sed secundum id, quod poscunt jura, quę nostris temporibus observantur. Tùm quià non sine causâ mutati fuerunt antiqui illi canones (h): tùm etiam quià nimia, & nimiùm deformia sequerentur inconvenientia, si cuncti antiqui Canones observari deberent, & ea fieri modò, quæ antiquis temporibus, vel poterant, vel solebant in praxim perduci, hodiè autem fieri destiterunt; abjerunt in desuetudinem, suntque diversis, vel contrariis legibus abrogata.

(e) Card. de Luca de Regal. in Sum. Regal. §. 12 n. 147.

(f) Jacob. Almain. de potest. Eccl. cap. 12. in fin. tom. 1. oper. Jo. Gerson.

(g) Suar. de leg. l. 6. cap. 27. Azor. p. 1. l. 5. cap. 20 & 21. Layman. lib. 1. tr. 4. cap. 21. n. 3. Bonac. de legib. tom. 2. disp. 1. qu. 1. pun. ult. § 1. de Luca de jurisd. disc. 107. n 6.

(h) Cap. Fraternitatem 7. dist 34. vid. Fagnan. in c non debet 8. de Consang. & affin. l. 4.

22. Sic olim Sacerdotes multotiès quotidie sacra Missę mysteria celebrabant, adeò ut Summum, Sanctumque Pontificem Leonem III. legatur in die quandoquè etiam noviès celebrasse (i). Olim tempore quadragesimæ vini haustus erat Christianis jejunantibus interdictus, quâ de rè Theophilus Alexandrinus. *Qui legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in jejuniis, & omnis carnis usum repudiant* (l). Olim prohibitum erat Monachis ad Sacerdotium promoveri: adeò ut S. Paphnutius, insignis multorum Monachorum rector, & parens, reputaverit *cogitationem feralis ambitus, si in mentes irrepserit Monachorum, ut vel primi cupiant esse, vel Clerici* (m). Centum, quinimò & mille alia similia invenire est in antiquis Sacris Canonibus, vel in aliis regulis ecclesiasticæ disciplinæ, olim òbservatæ, quæ nùnc ab usu penitùs recesserunt, & hìc brevitatis gratiâ omittuntur. Ergonè nunc quoque licebit noviès in die celebrare? Eritnè crimen in diebus jejunii vini poculum adhibere? Imputabiturnè Monachis ad culpam, si Sacerdotium cum Monachatu suscipiant? Peccabuntnè homines non observando mores illos antiquos, vel Canones jam obsoletos, quorum olim praxis fuerat in Ecclesiâ? Absit. Alioquin tota jàm confunderetur ecclesiastica disciplina.

(i) Baron. ann. 461. num 12. & 816. n. 54.

(l) Theophil. Alex. epist Paschal ad Eccl. Ægypt Martorel. differt. Apologet. fol. 48.

(m) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 1. l. 3 c. 3 3. n 5.

23. Nàm

23. Nàm licèt hæc, ſecundum priora tempora, bonum eſſet, ut obſervantiam baberent; Attamèn mutato rerum ſtatu, propter novas cauſas, quæ ſupervenerunt, bonum fuit ut non obſervarentur, ideòque deſtitum eſt ab eorum obſervantiâ: Et ſicuti laudabile tùnc erat ſecundum antiquas illas leges vivere; ſic præconio dignum eſt nunc ſe novis legibus conformare. Profectò admittunt alterationem, ſive rationabilem mutationem nedùm leges poſitivæ, ſed etiam ipſa lex naturalis, non quidem in ſe ipsâ, ſed ex parte objecti, ob circumſtantias ſupervenientes. Et ità quamvis ab initio cuncta bona de jure naturali eſſent inter homines communia, tuncque contrà jus naturale fuiſſet aliquem uſu cujuscumque rei privare; nihilominùs quià temporis ſucceſſus, generiſque bumani ſtatus poſtulavit, pro meliori eſſe, quod bona dividerentur, jure poſitivo eorum diviſio facta eſt. Sic etiam licèt de jure naturali eſſet, quod nullus rem alienam retineat invito Domino; attamèn jus poſitivum hanc legem notabilitèr immutavit, ſuperadiectâ lege præſcriptionis, quâ ſtatuitur, ut qui rem alienam bonâ fide taxato tempore apud ſe retinuit, illius dominium acquirat; remque ipſam ſuam faciat (a), Nèc jam licitè poteſt quis contrà jus præſcriptionis rem ſuam à poſſeſſore bonę fidei vendicare: nequè promiſcuè, cunctis, & cunctorum rebus pro ſuo libito uti, ſub pretextu quod antiqua lex naturalis ità depoſceret.

(a) *Molin. de Juſt. & Jur. tom. 1. tr. 1. diſp. 4 n. 8.*

24. Si autem etiam Juris naturalis obſervantia in ſenſu præfato mutationem admittit; Si jura poſitiva ſunt alterationi obnoxia quoàd alias res; nunquid alterari non potuit diſciplina, poſſeſſionem beneficiorum eccleſiaſticorum concernens; & obligationes ſive reales, ſive perſonales, illis adnexas perſpiciens? Quid babent ampliùs beneficia, quàm habeant aliæ res eccleſiaſticæ, ut quemadmodùm hę, ſic & illa mutationem non admittant; & quidèm mutationem non in eſſentiâ, ſed in modo diſtribuendi eadem cum boc, vel illo onere? Igitùr tametſi de jure communi antiquo, ſive juxtà priſcos juris communis Canones fuiſſet, quod olim beneficia merè ſimplicia reſidentiam poſtularent; adhùc nibil obſtaret boc adverſus exemptionem Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere reſidentiæ; quippè Canones illi locum babuerunt pro eo tempore, quo in ſuo robore viguerunt (ſi tamen rè verâ unquàm fuerunt) non verò pro temporibus noſtris, quibus jam invaluerunt, & univerſalem obſervantiam obtinuerunt alii Canones, generalitèr per totum orbem vigentes, qui eadem beneficia, illorumque poſſeſſores, à reſidentię perſonalis debito liberant, immuneſque prorsùs, ac exemptos ſine ambiguitate declarant,



CAP.

CAPUT XXIX.

In quo dispungitur NONA OBJECTIO, *petita ex eo quod olim esset idem ad Ordinem, & Beneficium promoveri: undè inferatur, quod Beneficiarii merè simplices ad Residentiam teneantur.*

SUMMARIUM.

1 Nona Objectio *ex eo, quod olim promotio ad Ordines, & ad beneficia sacra unum, & idem esset, nec divideretur officium à beneficio, sive à sportulis.*

2 *Perperàm hìc supponitur, quod beneficia nunc sint idem ac sportulæ antiquæ: & quod perceptio sportularum personalem exigeret residentiam.*

3 *Falsum est, quod priscis temporibus beneficium non distingueretur ab officio. Aliqui Clerici sportulas non percipiebant, etiam si officia ecclesiastica exercerent.*

4 *Juxtà Canones antiquos, ex Sanctis Patribus desumptos, jubentur Clerici de proprio vivere, & non de rebus Ecclesiæ, si habent bona patrimonialia. Non erat ergò idem beneficium, & ordo.*

5 *Nedùm ergò non est verum, quod antiquis sæculis idem esset beneficium, & ordinem adipisci, & quod unum non esset ab alio separatum.*

6 *Etiam recentiori Ecclesiæ ætate viguit admissio Clericorum ad titulum proprii patrimonii: de quo in Concilio Chalcedonensi edita fuit sanctio. Hicque est titulus Ecclesiasticus ad Ordines.*

7 *Promoti olim ad titulum patrimonii carebant beneficio. Titulus patrimonii non est beneficium: gaudet tamèn privilegiis bonorum Ecclesiæ, & est titulus subsidiarius ad Ordines consequendos.*

8 *Habebant olim, habentque modò etiam Clerici solâ primâ onsurâ insigniti, ordine verò carentes, beneficia in titulum. Monachi sunt veluti totidem Beneficiarii.*

9 *Prima Tonsura non est Ordo, sed præparatio ad Ordines. Simplici Tonsurato non licet lectiones ex ambone legere in Ecclesiâ. Potest tamen habere ecclesiastica beneficia.*

10 *Eadem prima Tonsura non est Ordo, sed quædam dispositio ad Ordines: eo modo quo Novitiatus est quid medium inter statum laicalem, & regularem.*

11 *Contendunt Theologi, & Canonistæ, an prima Tonsura sit Ordo. Cum ei non conveniat Ordinis definitio, nec constet materiâ, & formâ &c.*

12 *Agit fusè Barbosa de hâc quæstione; afferens varias rationes, cur Canonistæ censent primam Tonsuram esse Ordinem.*

13 *Cum Clerici primæ Tonsuræ possint consequi beneficia, quorum laici sunt incapaces; infertur primam Tonsuram esse Ordinem.*

14 *Ast Theologi oppositâ sententiâ excludunt ab Ordinum numero primam Tonsuram: quid de eâ ex Concilio Tridentino?*

15 *Barbosa responsiones addit, diluentes Objecta Canonistarum, asserentium primam Tonsuram esse Ordinem.*

16 *Si ergò prima Tonsura propriè non est Ordo, & Tonsurati sunt capaces beneficiorum; jàm non est idem Ordines, & beneficia adipisci.*

17 *Etiam*

17 *Etiàm si olim non disjungerentur Ordo, & Beneficium; jàm nova disciplina aliud exigit. In unâ quoque Republicâ leges sunt mutabiles.*

18 *Etiàm leges ecclesiasticæ mutabilitati subsunt. Nos vivere debemus non juxtà leges antiquatas, sed juxtà eas, quæ nùnc vigent.*

1. OBJICIUNT *Nono loco* Contradictores, hoc modo. Antiquis Ecclesiæ temporibus, promotio ad Ordines, & ad ministeria sacra, una, eademque fuit ac ad beneficia ecclesiastica: & ità beneficium non dividebatur ab officio, & ab ordine, sive ab illius ministerio, nec hoc ab illo: adeòque ad Ordines promoveri, & beneficio ecclesiastico insigniri; seu ad sportulas ab Ecclesiâ percipiendas admitti, unum erat, & idem. Sed sportularum exactio debita Clericis in ordinibus constitutis personalem residentiam requirebat in locis, ubi Ordines exerceri debebant, & stipendia ordinum percipi, nempè sportulæ præfatæ; ergò etiam beneficiorum possessio, quæ in loco sportularum succedunt, ipsam residentiam requirit. Non beneficiorum solummodò curatorum, & choralium, seu illorum, quę residentialia dicuntur, igitùr etiam beneficiorum merè simplicium. Ergò Beneficiarii quoque merè simplices ad residentiæ personalis debitum obligantur.

2. Respondetur *primò* potissimam vim hujus argumenti restringi ad hoc, quod beneficia nùnc sint idem ac sportulæ antiquæ: quodque perceptio sportularum, remotioribus illis Ecclesiæ sæculis, personalem exigeret residentiam. Erroneum autem est utrumque; vel saltèm tales, atque adeò graves patitur difficultates, ut neutrum valeat pro incontrovertibili admitti: Sicque Objectio innititur duobus suppositis, quæ non subsistunt. Beneficia ecclesiastica nostri temporis sunt res valdè diversa ab eo, quod essent sportulæ antiquæ: Et sportulæ antiquæ admittebant etiam extraneos, longè morantes, & in loco, in quo dispensabantur non residentes. In præcedenti octavâ Objectione de illis fusiùs est tractatum, & utroque ad trutinam vocato, demonstravimus ea non verificari, nec quod beneficia ecclesiastica nùnc sint idem, ac erant olim sportulæ, quàm Ecclesia dispensabat: Nèc quod participes ipsarum sportularum necessariò residentiæ personalis onere adstriogerentur. Intueatur ergò benignus lector responsiones dictę Objectioni octavæ per nos allatas (*a*): Ad illas enim eum remittimus; ne hìc easdem iterùm repetamus.

(a) *Vid. cap. præced. à n. 9. &c.*

3. Respondetur *secundò* falsum esse, quod priscis illis temporibus beneficium non distingueretur ab ordine, & officio, unaque esset ad utrumque promotio: nàm, ut alibi adnotavimus, non omnes Clerici, tametsi Clericalibus ordinibus insigniti, sportulas, sive fructus ecclesiasticos percipiebant, sed de reditibus proprii patrimonii vivebant, Ecclesiæ nihilominùs ferventissimè deservientes, de quibus Thomassinus; *qui olim inter Clericos ad culmen perfectionis ferventiùs enitebantur, Ecclesiæ gratis ministrabant* (*b*). Erant & alii, nedùm ad ordines promoti, sed & ad regendas Ecclesias, atque ad alia officia ecclesiastica exercenda deputati, qui propriis sumptibus vivebant, memoratque illos idem Auctor dicens, *jàm indè à primis ineuntis Ecclesiæ sæculis, tàm multi Clerici sanctissimi, & parochiis præerant, & Decanatus, atque Archidiaconatus administrabant, aliaque ecclesiastica beneficia, qui suo se tamen sumptu, & patrimonii censu alebant* (*c*). Et ne putetur eos id fecisse ex solo instinctu pietatis, & spiritu majoris perfectionis; attendant Contradictores, qui antiquorum Canonum observantiam inculcant, & audiant, quid Sacri Canones definierint.

(b) *Thomassin. p. 2. l. 3. c. 9. n. 8.*

(c) *Thomassin. loco cit. p. 2. l. 3. c. 34. n. 14.*

4. In cap. Clericos, sumpto ex D. Hieronymo (*d*), dicitur: *Clericos illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & proquinquorum nulla suffragantur bona; qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod*

(d) *S. Hieron. epist. ad Damasum.*

si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt (*a*). Et alibi ex S. Prospero Aquitanico. *Pastor Ecclesiis, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare; quando nihil aliud sit habentibus dare, quàm perdere. Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, undè pauper victurus erat, accipiunt* (*b*). Sequitur idem S. Prosper: *De Clericis quidem dicit Spiritus Sanctus: peccata populi mei comedunt. Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt; ità possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt &c. Qui Ecclesiæ serviunt, & labori suo velut debita reddi oportere credentes ea, quibus opus non habent, aut accipiunt, aut exigunt, nimis carnalitèr sapiunt, si putant, quod Ecclesię fidelitèr servientes, stipendia terrena, & non potiùs prœmia æterna percipiant. Sæcularis quippè militia, quià cælestia non habet, terreno strenuè militantibus præstat. Undè satis indignum est, si fidelis, & operosa devotio Clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister Ecclesiæ non habet undè vivat, non ei præmium hîc, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat &c. Illi quoque, qui vel idonei nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen Ecclesiæ sumptibus vivunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui Ecclesiam, quàm juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant* (*c*).

5. Tàm juxtà Canonum ergò, quàm juxtà Patrum sensus, & disciplinam remotiorum temporum, ut suprà relatam, nedùm non est verum, quod currentibus illis priscis sæculis, unum, & idem esset beneficium ecclesiasticum, & officium, ac ordinem Clericalem adipisci; nec unum esset ab altero separatum; sed imò potiùs constat primum fuisse à secundo valdè distinctum; & talitèr distinctum, ut unus habere aliquando Clericalem ordinem, atque officium, regeretque Parochias, exerceret Archidiaconatus, Decanatus, & alia ecclesiastica ministeria, nec tamen beneficium, seu proventus ecclesiasticos obtineret: Quinimò & nec eos posset integrâ conscientiâ obtinere, quoties reditus tales ex patrimonio proprio possideret, quibus valeret congrue sustentari. Sic se habebat priscorum illorum temporum disciplina, quę tamen ætate nostrâ locum non habet, cum Clericus bona possidens patrimonialia, possit optimè beneficia quoque sacra nancisci, & licitè retinere (*d*). *Quis* enim *militat suis stipendiis unquàm*, inquit Apostolus. *Debet in spè qui arat, arare: & qui triturat, in spè fructus percipiendi* (*e*). Quibus ità se habentibus, attentâque præfatâ priscorum temporum disciplinâ, corruit argumentum ex suppositâ inseparabilitate ordinis, & beneficii deductum, & nihil prorsus probatur ad captivandos Beneficiarios merè simplices onere residentiæ.

6. Confirmatur hoc idem ex eo, quod nedùm recenti, sed etiam remotiori Ecclesiæ ętate viguit sanctio, ut quilibet ordines suscepturus habeat titulum, ad quem possit licite promoveri. Et licèt non desint exempla Clericorum quoque absque titulo ad ordines promotorum, de quibus in Concilio Meldensi (*f*), in Londinensi (*g*), & in aliis; tamèn Ecclesia constantèr titulum ipsum voluit omninò à Clerico possideri. Titulus autem iste nedùm beneficia ecclesiastica complectitur, sed etiam censum proprii patrimonii, qui saltèm usque à temporibus Concilii generalis Chalcedonensis, fuit pro legitimo admissus: Decernit enim Concilium ipsum: *Neminem absolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in ecclesiasticâ ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ecclesiâ Civitatis, sive possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum* (*h*). Ubi Glossa in *ly*, *sive possessionis*, explicat; *idest si ordinetur ad titulum patrimonii sui* (*i*). Hicque jàm ex tùnc est titulus ecclesiasticus, per omnes Orbis Ecclesias universalitèr frequentatus,

(a) *Cap. Clericos 6. caus. 1. qu. 2.*

(b) *Capit. Pastor 7. caus. 1. qu. 2.*

(c) *S. Prosper de vit. contempl. l. 2. c. 10.*

(d) *S. Thom quodl. 9. art. 15. in argum. sed contrà.*

(e) *1. Corinth. c. 9. num. 7.*

(f) *Concil. Meldens. ann. 845. c. 52 ap. Sirmond. Conc. Gall. to. 3. fol 46.*

(g) *Conc. Londin. 1. an 1125. ap. Coriolan. fol. 782.*

(h) *Concil. Chalced. cap. 6.*

(i) *Glos. in c. neminem 1. dist. 70.*

tus, tamquàm canonicus, & legalis (*a*): saltèm à tempore Concilii III. Lateranensis, sub Alexandro Papâ III. (*b*): vel melius, ab usque tempore præfati Canonis Chalcedonensis.

7. Illi ergò, qui antiquis temporibus ad titulum patrimonii proprii ordinabantur, ordines profectò ecclesiasticos recipiebant, sed beneficio carebant: Quippè proprium patrimonium, tametsi Clerico in titulum assignatum, non est beneficium (*c*), gaudet tamen privilegiis bonorum Ecclesiæ (*d*). Carebant, inquam, beneficio ecclesiastico, quià si Clerici, ut suprà promoti, habuissent beneficium, non potuissent ad titulum proprii patrimonii ordinari; quandòquidem patrimonium subrogatur in locum beneficii (*e*), diciturque titulus dispensativus, & subsidiarius (*f*). Adeòque Clericus insignitus aliquo beneficio, ad illius titulum ordinari debet, non ad titulum patrimonii. Itàque si etiam priscis illis sæculis Clerici ordines suscipiebant ad titulum proprii patrimonii; patet, quod olim non erat idem, ad ordines, & beneficium ecclesiasticum promoveri, cum primi fine secundo frequentissimè conferrentur. Sed de hâc re adhùc inferius.

8. E contrariò quoque, tàm olim, quàm nùnc etiam habebant, habentque multi ecclesiastica beneficia, tùm in titulum, tùm ad modum antiquarum sportularum, sive ad earum similitudinem, quantumlibet nullum ordinem Clericalem obtineant. Et ità beneficia in titulum accipiebant, & accipiunt viri, solâ tonsurâ Clericali insigniti, quę non est ordo, ut paulò infrà ostendemus. Beneficia verò, uti formam, vel similitudinem tenentia antiquarum sportularum accipiebant, & accipiunt Monachi, tàm professi, quàm novitii, & etiam conversi, qui ordinibus ad tempus, & respectivè semper carent, vivebantque nihilominùs, & vivunt de reditibus Ecclesiæ, non secùs ac illi, qui antiquas sportulas percipiebant; ideòque dici solet, quod Monachi sunt totidem Beneficiati (*g*). Ergò si ex unâ parte Ordines obtinebant Clerici beneficio carentes; & ex aliâ si obtinebant beneficia, prout suprà etiam viri ad Clericales ordines non promoti; evidens est, quod olim non erat idem ordinibus, & beneficiis ecclesiasticis insigniri; & sic argumentum hìnc petitum, nihil probat ad illaqueandos Beneficiarios merè simplices debito residentiæ personalis.

9. Respondetur *tertiò*, negando suppositum, nempè quod ad beneficium ecclesiasticum consequendum, necessarius sit aliquis Ordo: nàm hic nunquàm fuit, nec est ad id necessarius, sed sufficit prima Tonsura, uti disertè statuit Concilium Tridentinum (*h*), unisonèque fatentur Doctores, tùm Theologi (*i*), tùm Canonistæ (*l*). Prima Tonsura autem non est ordo, sed præparatio ad ordines, prout eam vocat Catechismus Romanus (*m*). Et ideò Concilium Nicænum II. generale VII. vetuit ne Clerici primæ tonsuræ, carentes impositione manuum Episcopi, lectiones è suggestu legerent in Ecclesiâ, tamquàm ordinem destituti (*n*). Si autèm prima tonsura non est ordo (*o*), & tamen vir quilibet in eâ constitutus est capax ecclesiastici beneficii; sine ambiguitate idem non est, neque fuit beneficium, & ordo, cum beneficium ecclesiasticum sine sacramentali ordine licitè valeat obtineri: sicque corruit tota ratio in hoc supposito fundata, quod à parte rei non subsistit.

10. Prima inquam tonsura in communiori, ex probabiliori Doctorum sententiâ non est Ordo, uti tuetur Hallier, scribens, *eam non ordinem strictè sumptum, non sacramentum dicendam esse, sed sacramentalem ritum, & dispositionem ad omnes ordines, ac deputationem, designationemque certæ personæ ad Divina Officia: Specialis enim in ordinatione quavis potestas tribuitur, qualis nulla in tonsuræ susceptione confertur, quæ nempè solum est designatio Clericorum ad probationem doctrinæ morum, & industriæ suæ faciendæ, ut si apti judicati fuerint, functionum eis ecclesiasticarum potestas tradatur, & ad ordines promoveantur. Et aptè quidem tonsura, tamquàm media dispositio inter statum laicum, & ecclesiasticos gradus interponitur, eo modo, quo Novitiatus inter sæcularem statum, & regu-*

(a) *Cap tuis 23. de præbendis.*
(b) *Vid. Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 2. lib. 1. c. 9. nu. 1. 5. & 11. 6. suppetunt.*
(c) *Fagnan. in c. ad audientiam il 2. nu. 59. de rescript. l. 1.*
(d) *Idem in c. Episcopus de præb. n. 30. 33. 40. l. 3.*
(e) *Idem loco citato n. 32 & 39.*
(f) *Idem loco citato n. 24. 49 & 50.*
(g) *Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 13. nu. 1. Barbos Jur. Eccl univ. l. 3. cap. 4. num. 69.*
(h) *Conc. Trid. sess. 23 cap 6.*
(i) *Filliuc. to. 2. tr. 41 c. 5 nu. 21. Molfes. p. 1. tr. 6 c. 7 n. 50.*
(l) *Garc. de benef. c. 1 n. 7. & 25. Borel. sum. decisi. tit 10. n. 197. 314. Lotter. p. 2. qu 4. n. 26.*
(m) *Catechis. Rom. de Sacr. Ordin.*
(n) *Conc. Nicæn. II. cap. 14.*
(o) *Vide late Sanchez opusc. mor. l. 7. c. 1. dub. 6.*

regularem professionem media quædam dispositio interiicitur: adeò ut quemadmodùm in novitiatu constituti, sæculares curas, vivendi formam, vestitumque abiiciunt, regularibus privilegiis ornantur, & regularibus, quantum ad ea, quæ favorem continent, adcensentur, necdùm tamen regularibus officiis mancipantur; ità Clerici, qui solâ tonsurâ insigniti sunt, Clericalem vitam, vestitumque suscipiunt, clericalibusque privilegiis ornantur, quamvis functionibus clericalibus nondùm addicantur. Quo fit ut tonsura, nec ordo strictè sumptus dici queat, quià quivis ordo hoc sensu specialem habet functionem ad Sacræ Eucharistiæ ministerium: nec gradus, quià ad nullum per tonsuram Clerici officium assurgunt, sed sit veluti solium, & pavimentum, cui omnis ædificatio Cleri spiritalis innititur. Quarè necessum est, ut ordinis nomen in ampliori significatione Innocentius III. usurpaverit (a), dùm tonsuram, sive Clericalem ordinem, *sive* Clericatus ordinem *dixit in eâ nempè significatione, in quià ordinatus ille dicitur quicumque in Clericorum classem, numerumque transcribitur (b),*

11. Scimus notabilem esse contentionem inter Theologos, & Canonistas in definiendo, an rè verâ prima tonsura Clericalis sit Ordo, negantibus primis, affirmantibus verò secundis, eam ordinem esse. Sed ut innuimus ex Hallier mox relato communior, & probabilior censetur illa Theologorum, cui favet D. Thomas eo usque in hoc progrediens, ut affirmet, primam tonsuram non imprimere characterem (c). Et sanè cum prima tonsura non constet materiâ, & formâ, prout alii ordines, sive ordinum Sacramenta (d); Cumque illi non conveniat ordinis definitio, nimirùm quod sit signaculum sacrum, per quod spiritualis potestas tribuitur ordinato; Cum tandèm nulla peculiaris potestas, neque aliud speciale officium, ad sacræ Eucharistiæ ministerium tendens, Tonsurato ab Ecclesiâ conferatur (e); omninò videtur, quod non sit inter ordines computanda. Gratum erit, uti remur, lectori (ut melius responsionis nostræ ad Objectionem vim percipiat) audire utriusque partis rationes, quas inter alios (f) egregiè prosequitur Barbosa, in suo Juris Ecclesiastici universi libro primo, sic dicens; *Quæstio est inter Nostros, & Theologos, admodùm controversa: an prima tonsura sit Ordo? Nostri enim Canonistæ existimant primam tonsuram esse ordinem, multis ad id adductis fundamentis (g).*

12. *Primò ex textu in cap. Cleros 21. dist. & in cap. perlectis 25. dist. ubi inter cæteros Ordines Psalmista numeratur: & in c. cum contingat, de ætate, & qualit. ibi: Per primam tonsuram juxtà formam Ecclesiæ datam à talibus clericalis ordo confertur. Secundò, quià sub vocabulo ordo, seu ordines, & ordinare, generalitèr, & absolutè prolato venit prima tonsura, tàm ex Doctoribus citatis per Nicol. Garc. de benef. p. 7. cap. 1. num. 5. tàm etiam ex pluribus Concilii Trid. locis, prout in cap. 8. vers. Unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur, sess. 23 de reform. sicut resolvit Nicol. Garc. de benef. p. 1. cap. 5. num. 142. & par. 7. cap. 1. num. 8. ideòq. ne cuiquam alienus Prælatus audeat primam tonsuram conferre, monuit Gloss. Verb. Clericum, in d. cap. cum nullus, ubi Joan. Andr. Gemin. & Franc. Glossa Verb. Clericum, & Verb. Homini in cap. ult. eod. tit. de temporib. ordin. lib. 7. Rebuff. cons. 1. incip. Ordinatus, num. 2. vers. & sic malè, Nav. cons. 30 num. 1. sub tit. de temp. ord. in antiq. Ego ipse d. p. 1. alleg. 5. ex num. 8. Itèm & in cap. 9. ejusdem sess. 23. dum probibetur Episcopo familiarem suum ordinare, nisi &c. ad primam tonsuram extenditur, ità ut illâ Episcopus familiarem suum ordinare non possit, nisi &c. secundum Navar. cons. 24. aliàs 11. de tempor. ordin. Zerol. in prax. Episc. p. 2. Verb. Ord. vers. quinto dubitatur, post med. Cened. pract. & Canonicar. quæst. l. 1. qu. 39. num. 30. vers. quod decretum, Ego ipse dict. par. 2. alleg. 5. num. 11.*

13. *Tertiò confirmatur sic arguendo. Laici sunt incapaces beneficiorum, quià non habent ordinem, cap. ex literis, de transact. cap. 2. de instit: Sed sic est, quod primâ tonsurâ initiati possunt habere beneficia ecclesiastica, ut colligitur ex Concil.*

(a) *Cap. cum contingat de ætat. & qualit.*

(b) *Franc. Hallier. de Sacr. Ordin. part. al. ter. de ipsi Ordin. sect. 1 cap. 1. num. 3. 4. 4. n. 22. fol. 378.*

(c) *S. Thom. 3. p. de Sacram. qu. 73. art. 2 ad 2.*

(d) *Marchin. de Sac. Ordin. fol. 6.*

(e) *S. Thom. loc. cit. ad primum.*

(f) *Sanchez opus. sive qu. mor. l. 7. c. 1. dub. 6. Marchin. de Sac. Ordin. fol. 7.*

(g) *Barbos. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 38. num. 45.*

cil. Trid. eadem sess. 23. de reformat. cap. 6. in princ. ergò illos non esse laicos, sed ordinem habere dicendum est, eo maximè, quià in cap. si quis suadente 17. qu. 4 sub nomine Clerici comprehenduntur etiam primâ tonsurâ initiati, ut resolvunt Doctores, quos citavi in collect. ad illum text. num. 7. & eos generalitèr venire sub Clericorum appellatione, dixi in tract. de appellativâ verborum utriusque juris signific. appel. 61. num. 1. Quarè exiis, & aliis primam tonsuram esse ordinem ecclesiasticum, tenent Gloss. magna Verb. Episcopus, in proœm. Sexti, Hostien. in d. cap. cum contingat, de ætate, & qualit. Greg. Lap. in proœm. tit. 5. p. 1. Sylvest. in sum. Verb. Ordo 1. num. 1. Rot. decis. 73. num. 5. & 6. p. 1. divers. Albert. Trot. de vero, & perfecto Clerico, l. 1. cap. 2. Lambertin. de Jurepatron. 1. p. 2. l. quæst. 7. art. 2. & c. Vivian. in praxi Jurispatron. l. 6. cap. 1. num. 3. aliàs num. 9. in ult. impress. Joan. Eckius in homil. de Ordinibus. Has rationes allegat Barbosa, ut suadeat, etiam primam Tonsuram Clericalem esse Ordinem: deindè subjungit.

14. *Verùm ipsi Theologi communitèr resolvunt primam tonsuram non esse Ordinem Ecclesiasticum, sed designationem quandam ad ordines, neque in eâ ullam ad Sacrificium Missæ, seu Ministerium Altaris conferri potestatem: ex horum numero videntur esse Eckius in 4. dist. 24. §. 4. Durant. ibid. qu. 6. & Paul. qu. 7. Petr. Sot. de Institut. Sacerd. lect. 1. & 4. de Sacr. Ord. Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 236. cap. 1. à princ. Azor. instit. moral. p. 2. l. 3. cap. 27. qu. 3. Paul. Comitol. respons. moral. lib. 1. qu. 48. num. 11. Bonac. de Sacram. disp. 8. qu. unic. punct. 1. num. 6. Paul. Layman. in Theol. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 3. num. 3. & ex nostris Canonistis Cov. l. 1. var. cap. 10. nu. 15. & novissimè Sebast. Cæs. in relect. de Eccles. hierarchia qu. 3. proœm. §. 1. num. 7. Videntur facere prò illis verba Concilii Trid. eadem sess. 23. de reform. cap. 6. ibi, nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus: & cap. 10. ibi: Tonsuram, vel minores ordines conferre, quatenùs distinguunt primam tonsuram à minoribus ordinibus, quasi illa non esset ordo, quod quidem insinuat idem Concil. sess. 23. cap. 2. ibi: Ut in Ecclesiâ ordinatissimâ dispositione plures, & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ità distributi, ut qui jàm Clericali Tonsurâ insigniti essent, per minores ordines ascenderent: quæ ultima verba satis demonstrant, tonsuram distinctam esse à reliquis majoribus ordinibus, per illam tamen quem Clericum fieri, & ad illos suscipiendos dispositum, ut Eckius, Azor. Comitol. & Vasq. citatis locis intelligunt.*

15. Pergit subsequentèr Barbosa ad exhibenda motiva, quibus diruatur opinio affirmantium primam Tonsuram esse Ordinem, dicens. *Nec esset difficile, si hæc Theologorum opinio placuerit, Canonistarum respondere fundamentis, & in primis ad textum in d. c. Clericos; & in d. c. perlectis, dum Psalmistam inter cęteros ordines numerant, respondetur illos non ità propriè videri vocabulum Ordinis usurpare, sed latiùs, proùt importat tantùm quandam designationem, seu gradum ad cæteros Ordines. Ad textum verò in d. cap. cum contingat, ultrà intellectum Soti in 4. dist. 24. qu. 2. art. 1. in fine, respondetur non asserere per primam Tonsuram conferri ordinem ecclesiasticum, in quo aliqua in ordine ad Eucharistiam conferatur spiritualis potestas, sed tantùm conferri ordinem Clericalem, hoc est gradum in Cleros, & de hoc tantùm fuit Pontifex interrogatus, ibi: Requisisti, an Clericatus Ordo in Tonsurâ hujusmodi conferatur? Quod quidèm diversum est, solumque importat, per primam Tonsuram fieri quem simplicitèr Clericum, juxtà textum in cap. duo sunt, ibi, & hoc designat, 12. q. 2., & capacem jurisdictionis ecclesiasticæ, & beneficiorum, ac tandèm dispositum ad Ordines ecclesiasticos suspiciendos, ut manifestè videtur insinuare Concil. Trid. d. cap. 13. in illis verbis suprà relatis, vel etiam secundum Alcuin. in lib. de Divinis Officiis, cap. 35. in 3. tomo Bibliothecæ Sacræ, Vasquez in 3. p. to. 3. disp. 236. poterit responderi, Ordinem ibi usurpari pro gradu eminenti, non quidèm in Ecclesiâ, hoc est in templo inter ministros illius,*

sed

sed in Ecclesiâ hoc est, in totâ congregatione fidelium: nàm omnes primâ Tonsurâ insigniti, dicuntur esse in gradu eminenti super cæteros fideles laicos.

16. Concludit Barbosa cum distinctione procedendum esse, & attendendam vim dictionis *Ordo* dicens. *Ego tamen nec uni, nec alteri opinioni adherendum puto, sed secundum doctrinam S. Thomæ ad 3. p. q. 57. art. 2. & in 4. dist. 24. ar. 2. fœdere distinctionis rem totam componendam esse existimo, ut prima Canonistarum sententia, dum Tonsuram Ordinem censet, procedat impropriè, & rationem quarundam actionum: at verò Theologorum contraria intelligat de ordine propriè sumpto, & pertinente ad consecrationem Hostiæ, quod jam diximus de offic. & potest. Episcopi p. 2. alleg. 2. n. 19.* (*a*). Aliæ supersunt hinc indè rationes ad utriusque partis intentum respectivè facientes, quas videre est apud Doctores (*b*), nobis sufficiat eas, quas usquè nunc retulimus, allegasse: nàm ex eis abundè constat, quod prima Tonsura propriè, & absolutè loquendo, non est Ordo ecclesiasticus: Cumque simplex Tonsuratus, prout ostendimus, optimè fit capax ecclesiastici beneficii (*c*), sequitur quod idem non est, nec unquàm fuit, beneficio, & ordine insigniri: Adeòque corruit assumptum, cui Objectio hæc nona innititur; nimirùm ideò Beneficiarios merè simplices ad residentiæ personalis debitum obligari, quia olìm idem esset beneficio ecclesiastico, & ordine decorari, nec unum esset, sive daretur, ab altero separatum.

(a) *Barbos. loc. cit. n. im 45 46. 47.*
(b) *Sanchez Opusc. mor. lib. 7. c. 1. dub. 6. Philibertus Marchin. de facr. ordin fol. 7.*
(c) *Molfesius Sum. par. 1. tr. 6 cap. 7. n. 50. Filliuc. tom. 2. tr. 41. cap. 5. n. 21.*

17. Respondetur *quartò*, quod admisso, sive dato transeat Antecedenti; negatur Consequentia. Nàm quamvis etiam remotioribus Ecclesiæ temporibus idem fuisset Ordines, & beneficia nancisci; id modo nihil afficit, eo quod novioribus legibus, antiquior illa disciplina noscitur abrogata. Laudamus veteres, sed nostris vivimus annis. Jàm suprà diximus Capitulo præcedenti, & nunc idipsum novis rationibus comprobamus, quod in unaquaque Republicâ est potestas mutandi leges, prout eas mutari deposcunt varietas eventuum humanorum, & diversitas personarum, temporum, ac locorum: qua de rè Antonius Augustinus: *Jus Civile sæpè mutari solet, vel tacito consensu populi, vel aliâ posteà lege latâ: Id si omnibus, aut pluribus semper utile est, mutari quidèm non debet. Mutatur autem quod utile esse desiit, quodque inutile videtur. Apud Livium is, qui abrogationem legis Oppiæ suadebat, quando, & quæ leges abrogari possent, his verbis ostendit* (*d*). *Ego enim quemadmodùm ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causâ in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status alicuis reipublicæ inutilem fecit. Sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ità dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat: quæ in bello, pax: ut in navis administratione, alia in secundâ, alia in adversâ tempestate usui sunt* (*e*).

(d) *Anton. Augustin. de legibus c. 17. circ. finem.*

18. En quomodò in quâlibet Republicâ Civili reperitur potestas leges abrogandi, ac mutandi. Eandem esse quoque in Republicâ ecclesiasticâ, crebrò innuunt sacri Canones (*f*), & S. Leo Pontifex scripsit; *Sicut quædam sunt, quæ nullâ possunt ratione convelli; Ità multa sunt, quæ aut proconsideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari* (*g*). Alia de hac rè vide superiùs (*h*). Si ergo inest Ecclesiæ potestas mutandi leges, & eas de facto circà dispensationem beneficiorum, non de receuti, sed jàm à multis sęculis immutavit; quidquid sit, an primis temporibus beneficia ecclesiastica dividerentur ab ordinibus Clericalibus, vel non; hoc parum refert: quippè nos vivere, & operari debemus, non juxtà leges obsoletas, & jam antiquitate detritas, sed juxtà leges, & mores nostrâ ætate vigentes. Cùmque non minùs sancta, & laudabilis sit disciplina novior Ecclesiæ, quàm vetustior; eadem namque est Ecclesia nùnc subsistens, ac illa quę tùnc erat; eadem illius auctoritas in condendis, temperandis, & mutandis Canonibus; eadem demùm

(e) *Titus Livius libr. 34.*
(f) *Cap. sunt quidam 25 qu. 1. Cap. Ut constitueretur dist. 60. § suis dist. 61. c. priscis 10. qu. 3. cap catholica dist. 11. cap privilegia cap. omputato 25. qu. ult. cap. ab exordio dist. 35. cap. necessaria 1. qu. 7.*
(g) *S. Leo epist. 95. ad Rusticum.*
(h) *Vid supr. tom. 2. cap. 21. à n. 8. ad 30. tom. 3. cap 14. à n. 10. ad 25. & in hoc tom. cap. 28. n. 20.*

demùm ſuper illam divinitatis protećtio, atque regimen; non minùs venerari debemus leges, quibuscum nunc Eccleſia regulatur, quàm illas, quibus antiquiori tempore regebatur: Adeòque quià juxtà regulas nunc in Eccleſiâ vigentes, beneficium ab ordine divulſum eſt, fit, ut beneficium quoque ſit ab onere reſidentię diviſum: niſi ſit ex illis beneficiis, quæ aliundè reſidentiæ onus expoſcant. Et ſic utcumque fuerit res antiquitùs, unum eſt, quod nunc Beneficiarii merè ſimplices ſunt à reſidentiæ debito exempti.

CAPUT XXX.

In quo proponitur DECIMA OBJECTIO, *petita ex relatione, quam habent Beneficia Eccleſiaſtica, ad Titulum, cujus ratione Clerici ad Ordines promoventur: Undè inferatur, quod Beneficiarii merè ſimplices ad Reſidentiæ debitum obligentur.*

SUMMARIUM.

1 Decima Objećtio. *Debent Clerici ad aliquem Titulum ordinari. Titulus autem iſte vel eſt beneficium, vel ejus loco ſuccedit.*

2 *Canones interdicunt ordinationem Clerici ſine titulo, quæ olim fieri poterat ad plures titulos. Quid nùnc ex Concilio Tridentino.*

3 *Non adeò neceſſarius eſt titulus in ordinandis, ut ſine illo facta ordinatio ſit invalida. Interdùm enim licita eſt, & quando!*

4 *Sine titulo facta ordinatio, declaratur* irrita, *non quantùm ad poteſtatem ordinis, ſed quantùm ad ejus executionem.*

5 *Juxtà Hallier ubi in Canonibus dicitur illicita ordinatio, intelligitur non de conſecratione, ſed de ordinis executione.*

6 *Clemens PP. VIII. ad terminos juris reduxit ſanctionem Sixti V. innodantis ſuſpenſione ordinantes, & Ordinatus ſine titulo.*

7 *Etiàm ſi per hypotheſim titulus eſſet neceſſarius ſemper; adhùc hoc non verificaretur niſi de ſolis ordinibus ſacris.*

8 *Stephanus Tornacenſis orat Papam, ut juſſionem temperet providendi neceſſaria Clericis etiam in minoribus conſtitutis.*

9 *Concilium Lateranenſe III. decernit de Presbyteris, & Diaconibus. Lex nova debet eſſe poſſibilis, at normam dare futuris, non præteritis.*

14 *Hos non obſtante, perſeverabat mos ordinandi Clericos in ſacris abſque titulo: qui extenſus poſteà fuit ad Subdiaconatum.*

11 *Etiàm ſi titulus ordinationis diceret connexionem cum beneficio; reſidentiæ debitum locum habere non poterit in Clericis minorum Ordinum.*

12 *Titulus ordinationis non eſt beneficium: beneficia à Clericis minorum ordinum poſſeſſa, non obligant ad reſidentiam.*

13 *Olim poterat quis ordinari ad multos titulos: ſed hodiè triplex tantùm eſt titulus ordinationis, & qualis.*

14 *Eccleſiæ Civitatis ſunt beneficia in Eccleſiis urbanis erecta.* Martyria *ſignificant Eccleſias alicui Sancto Martyri dicatas.*

15 *Ti-*

15 *Titulus* possessionis *est idem ac titulus* patrimonii : *Ordinati representant Angelos vel assistentes, vel ministrantes in Ecclesiâ triumphanti.*

16 *Titulus Monasterii est titulus* paupertatis. *Possessiones Monasterii sunt patrimonium Monachorum, qui sunt veluti totidem beneficiati.*

17 *Ecclesia nedùm approbavit Ordines Regulares, bona possidentes; sed etiam alios, qui nihil possident.*

18 *Si beneficia simplicia ad residentiam arctarent, quià Clericis pro titulo ad ordines deserviunt; etiam promoti ad titulum patrimonii, & paupertatis, ad eam tenerentur.*

19 *Ordinatus non tenetur servire illi præcisæ Ecclesiæ, ubi erectum est beneficium, ad cujus titulum promotus est.*

20 *Permissum est Clerico ad beneficii titulum ordinato, beneficium ipsum resignare, dummodò aliundè habeat ex quo vivat.*

21 *Qui ordinatus est ad titulum beneficii erecti in unâ Ecclesiâ, potest affigi servitio alterius Ecclesiæ.*

22 *Titulus ad hoc solùm requiritur ad ordines, ut Clericus habeat undè vivat, neque cogatur cum dedecore mendicare.*

23 *Ad titulum propriæ industriæ, vel literaturæ nemo potest promoveri. Si Hincmarus Laudunensis ordinaverat Clericos absque titulo; meruit increpari.*

24 *Alexander Leodiensis licèt malefecerit promovendo Clericos absque titulo; non propter hoc tamen fuit depositus, sed ob simoniam.*

25 *An titulus exigatur nedùm ut consulatur sustentationi Clerici, verùm etiam ut hic habeat locum, in quo resideat, ac functiones ecclesiasticas exerceat.*

26 *Titulus debet concurrere ad susceptionem sacrorum ordinum solùm, ut Clericus non cogatur mendicare: hæcque est tota causa hujus rei.*

1. Obiciunt *Decimo loco* Contradictores, hoc modo. Non potest quisquam ad Ordines ecclesiasticos promoveri, qui non habeat *Titulum*, ratione cujus ordinetur, sic decernentibus pluribus Canonibus, & signantèr Concilio Chalcedonensi (*a*), Concilio Placentino (*b*), Concilio Claromontano (*c*), Concilio Londinensi (*d*), & aliis. Hocque tanto zelo fuit antiquis temporibus observatum, ut Hincmarus Archiepiscopus Remensis inter objurgationes, quibus Hincmarum Laudunensem nepotem suum pulsavit, hanc inserere non dubitaverit, quod aliquibus Clericis Ordines absque titulo contulisset. Alexander quoque Episcopus Leodiensis hujus criminis reus erat, qui ab Innocentio Papâ II. in Concilio Pisano fuit depositione mulctatus (*e*). Quarè autem hujusmodi Titulus sacris Ordinibus decernitur præmittendus, vel simultaneè adhibendus, nisi ut Promoti locum, seu Ecclesiam habeant, in quâ jugitèr debeant residere, & functiones ecclesiasticas exercere? Ità judicat optimè Thomassinus (*f*). Titulus autem vel est idem ac beneficium, vel loco beneficii succedit. Ergò saltèm ex hoc, quod beneficia, quantumlibet simplicia, pro titulo ad sacram ordinationem deserviunt, dicendum est, quod Beneficiarii residentiæ debito adstringuntur, ut ibi personalitèr famulentur, ubi titulum adeptę ordinationis accipiunt.

2. Respondetur *primò* negando antecedens, saltèm illimitatè consideratum. Verissimum est etenim, quod Sacri Canones nullum ordinari permittunt sine *Titulo*. Et prætèr enuntiatos in Objectione, affluunt alii Canones, idipsum deposcentes, tùm in Corpore juris positi (*g*), tùm per Concilia dispersi (*h*): pro quibus omnibus unum valeat Concilium Tridentinum decernens: *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare,*

(a) *Concil Chalced. cap.6.*
(b) *Concil. Placent. ann.1095.c.15.*
(c) *Concil. Clarom. can.15.& 18.*
(d) *Concil. Londin. ann.1125. c.8.*
(e) *Christian. Lup. in Schol. ad Can.6. Chalced.*
(f) *Thomassin vet. & nov. Eccl. discipl. par.2. l.1. c.9. n.2.*
(g) *Cap. non liceat 2. c. Episcopus 4. c. cum secundum 16. de præbend. in 6. c. accepimus de ætat. & qual. ordin. c. suis. c. Episcopus de præbend.*
(h) *Concil. Turon. an.1583. c.14. Remens. cap.12. Tolosan. cap 7. Avenian. c.19. Burdig. cap.14.*

re , aut ſordidum aliquem quæſtum exercere ; compertumque ſit complures pleriſque in locis ad ſacros ordines nullo ferre delectu admitti , qui variis artibus , ac fallaciis confingunt ſe beneficium eccleſiaſticum , aut etiam idoneas facultates obtinere ; ſtatuit Sancta Synodus , ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus , ſcientiâ , & ætate , ad ſacros ordines promoveatur , niſi prius legitimè conſtet , beneficium eccleſiaſticum , quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere &c. (a). Canones præcedentes admittebant ordinationes factas etiam ad alios titulos , quos Concilium Tridentinum reſtrinxit ad ſolos tres , nempè *beneficium , penſionem*, & *patrimonium* (b) : prætèr alium titulum , dictum *paupertatis*, proprium Monachorum , qui vitam regularem in aliquâ Religione approbatâ profeſſi ſunt .

(a) *Conc. Trid ſeſ. 21. de ref. c. 2.*

(b) *Barboſ. ad Concil. ſeſ. 21. c. 2. n. 2.*

3. Tametſi autem *Titulus* ad ſuſcipiendos Ordines requiratur ; non tamen adeò neceſſariò exigitur , ut ſine illo facta ordinatio invalida ſit , & ſemper illicita . Non, inquam, ſemper eſt illicita ; nàm, ut ait Barboſa, *ob penuriam Sacerdotum quandoque conceſſum eſſe ordinari ſine beneficio , vel patrimonio : dummodò quis ſpondeat ſe neceſſaria ordinandis ſubminiſtraturum , referunt deciſum Nicol. Garcia p. 2. cap. 5. num. 97. Armend. l. 6. 1. de patrim. Cler. num. 2.* (c). Ipſi quoque Contradictores affirmant ab Urbano Papâ II. indultum fuiſſe Epiſcopo Tullenſi , ut aliquos poſſet Clericos retinere ſine titulo inſtitutos , quamvis Ordinatio ſine titulo facta , eſſet à ſacris Canonibus reprobata , citantque hæc verba ex ejus epiſtolâ 17. *de his qui ſine titulis ordinati ſunt , licèt hujuſmodi ordinatio Sanctorum Canonum ſanctioni contraria judicetur*. Et ſinè dubio Alexander Papa III. , atque cum eo Concilium Lateranenſe III. hanc edidere ſanctionem : *Epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo , de quo neceſſaria vitæ percipiat , in Diaconum , vel Presbyterum ordinaverit ; tandiù neceſſaria ei ſubminiſtret , donèc in aliquâ ei Eccleſiâ convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet : niſi fortè talis, qui ordinatur, extiterit , qui de ſuâ , vel paternâ hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere* (d).

(c) *Barboſ. loc citat. num 51.*

(d) *Concil. Later. III. cap. 5.*

4. Cenſuerunt igitur & Pontifex , & Concilium in illo canone admitti , ſivè conniveri poſſe , quod Epiſcopi ordinarent interdùm Clericos ſine determinato Titulo , dummodò vellent illis alimenta præbere , vel ipſi Clerici ſic promoti tantundem de propriâ , vel paternâ hæreditate poſſiderent , quantum eſſet ſuo victui neceſſarium . Ad hæc viget quoque noſtris temporibus privilegium Eugenii Papæ IV. Eccleſiæ Metropolitanæ Florentinæ conceſſum , quod Archiepiſcopus valeat quoſdam Clericos etiam ſine titulo , ad Sacros ordines promovere (e) , quippe ipſimet Clerici tales , ac tantos proventus incertos , ſed aliquo modo certos , ibi percipiant , quod propabilitèr victu , & veſtitu congruo , nullatenùs valeant indigere . Ex quibus patet , quod Ordinatio , ſine titulo facta , non ſemper eſt illicita , cum in pluribus hiſce caſibus licita declaretur . Sempèrque nihilominùs valida ſit, quantumvis Concilium Chalcedonenſe ſic diſponat : *eos autem , qui abſolutè ordinantur , decrevit Sancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem* (f) : Et Concilium Placentinum : *Ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur* (g) , Concilium demum Londinenſe : *qui verò abſolutè fuerit ordinatus , ſumptâ careat dignitate* (h). Nàm verba illa , *vacua manus impoſitio : irrita ordinatio : ſumpta dignitas &c.* non validitatem ordinationis percutiunt , ſed impedimentum executionis oſtendunt : qui enim ſine titulo ad ordines promoventur : poteſtatem ordinis utique acquirunt, ſed ab ordinis executione ſuſpenduntur ; & ità irrita non eſt in illis ordinatio , ſed impedita ſolùm ordinis executio (i) .

(e) *Philibert. Marchin. de Sacr. Ord. par. 6. cap. 5. n 6. fol. 207.*

(f) *Concil. Chalced. cap. 6.*

(g) *Concil. Placent an. 1095. c. 15.*

(h) *Concil. Londin. ann. 1125. c. 8.*

(i) *Gloſ. in cap. neminem diſt. 70. Verb. vacuam .*

5. Hæcque eſt regula generalis, ut advertit Franciſcus Hallier de Sacr. Ordin. quod, *dum paſſim in Canonibus eccleſiaſticis , Patrumque ſententiis , quorumdam Clericorum , vel Epiſcoporum ordinatio &c. irrita , vel nulla fuiſſe dicitur &c. non intelligatur de ipsâ conſecratione ; quià quibus ordinis executio*

non

non conceditur, ii consecrationis quidèm rem suscipiunt, seu characterem, jus verò ad Ecclesiam regendam &c. non recipiunt (a). Itàque defectus tituli non invalidat Ordinationem, sed solùm adepti Ordinis impedit exercitium, seu quod idem est suspensione implicat Ordinatum in sententiâ quorumdam Doctorum (b), quorum tamen sententia non est certa; quandoquidem alii permulti, tàm Canonistæ (c), quàm Theologi (d), in eâ opinione versantur, quod Clerici ad Sacros ordines absque titulo promoti, nullam contrahant suspensionem, aliamvè pœnam: sed tota pœna, per Concilium Tridentinum indicta, solos respiciat Ordinatores (e), nisi velimus quod habeat in cunctis locum Bulla Urbani PP. VIII., perpetuâ suspensione innodantis Clericos absque titulo promotos, quæ tamen videtur tantummodò contrà Ultramontanos edita (f).

6. Et sanè cum Sixtus V. Constitutionem edidisset, quâ Ordinatos sine titulo, sive patrimonio, illorumque Ordinatores suspensione innodabat (g); Septennio post, Clemens Papa VIII. eam ad terminos juris reduxit (h). Adeòque suspensio, de quâ sermo est, non subsistere videtur, sed prævalere sanctio illa, quæ dat optionem Episcopis, vel Clericos sine titulo non faciendi, vel eis, si fecerint, alimenta præbendi, quibus honestè vivere possint (i): facitque ad hæc decretum Concilii Mechlinensis, quod Episcopis concessit, ut Clericos etiam sine titulo, pro eorum libito promoverent, dummodò pondus in se sumerent eisdem congrua alimenta præstandi (l). Quibus ità se habentibus, patet, quod assumptum Contradictorum, in Objectione propositum, si ut sic, & illimitatè sumatur, à veritate discordat, cum possint Clerici, etiam sine titulo interdùm promoveri; valeatque semper illorum promotio titulo carens, tametsi licitè sempèr non perficiatur. Si autem sempèr valida est, & non sempèr illicita; sequitur, quod ex assignatione tituli ad ordines suscipiendos, nulla inferri potest legitima consequentia ad personalis residentiæ debitum in Beneficiariis merè simplicibus perurgendum.

7. Respondetur *secundò*, quod si per hypothesim, quæ ut innuimus, sine difficultate non transit, tùm pro validâ, tùm pro licitâ ordinum susceptione titulus esset impretermissibilis, & necessarius; adhùc tamen hoc locum non haberet, nisi in solis Ordinibus majoribus, qui sacri communitèr appellantur; non verò in Ordinibus minoribus, pro quibus suscipiendis nullum titulum requiri docent passim non minùs Theologi (m), quàm Canonistæ (n), probatque praxis, & consuetudo ubilibet observata (o). Quinimò antiquis temporibus etiam Subdiaconatus poterat sine titulo haberi; tùm quia hic olim inter sacros ordines non computabatur (p). Tùm etiàm quià Concilium Lateranense III., à quo efficaciùs ad effectum revocata est disciplina de non conferendis Ordinibus absquè titulo, solùm Presbyteratum, & Diaconatum complectitur, nullâ factâ mentione Subdiaconatus. Aitenim: *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tandiù necessaria ei subministret, donèc in aliquâ ei Ecclesiâ convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet* (q).

8. Hâcque ratione Stephanus Episcopus Tornacensis, Romani Pontificis oravit temperari mandatum (quo sibi jubebatur, ut Clericis, etiam in minoribus constitutis provideret necessaria ad congruam sustentationem) allegando, inter alias rationes, ipsum Lateranensem Canonem de Subdiaconis, aliisque inferioribus Clericis non loquentem. En totius facti tenor in quadam ipsius Stephani epistolâ expressus: *Sicut muros almæ Urbis Jure Civili sanctos, & inviolabiles esse didicimus, adeò ut, qui eos transierint pœnâ capitali, severitate Romuleâ puniri debeant; ità & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandata intransgressibilia Jure Canonico consitemur esse debere, & eorum contemptum severitate Apostolicâ puniendum. Confidimus autem de benevolentiâ paternita-*

(a) *Hallier. de Sacr. Ordin. Prolegom. c. 4. num. 16.*

(b) *Ugolin. de irreg. cap 61. n. 7. Graf. aur. dec p. 2. l. 2. c 97. n. 66. Barbos. ad Conc. sess. 21 cap. 2 n. 66.*

(c) *Gonzal. ad reg. 8. Canc. glos. 5. §. 10. n. 22. Garc. de benef. p. 2. c. 5. num. 27 Gutier. pract. lib. 2 qu. 65. n. 11. Barbos. loc. cit. n. 67.*

(d) *Dian. p. 1. tr. 16. res. 5. Marchin. de Ord. p. 6 c. 7. dist 6 Bonac. de Sacr. disp. 8. qu. un. pu. 5. n. 14.*

(e) *Barbos. loc. cit. num. 67. cum aliis ibi.*

(f) *Barbos. de Off. & potest. Episcopi p. 2 alleg. 20. n. 14.*

(g) *Sixt. V. Constit. 91.*

(h) *Clem. VIII. Constit. 40. Barbos. loc. cit. num. 68.*

(i) *Cap. non liceat 2. de præbend.*

(l) *Concil. Mechlin. ann. 1570. tit. 17.*

(m) *Sanchez opusc. mor. l. 7. cap. 1 dub. 37. Honob. de Bonis de exam. Eccl. tr. 2 qu. 20 Petr. Ledesm. de Sacr. Ord. c. 5 ad fin.*

(n) *Garc. p. 2. c. 5. num. 4. Paris. l. 2. qu 6. num. 4. Ricc. prax. for. Eccl. res. 271. n. 3. Barbos. ad Conc. sess. 21. c. 2. num. 7. Campan. rubr. 8 c. 1. n. 5.*

(o) *Navar. cons. 14. num. 1. de temp. Ordin. Ugolin. de irreg. c. 61. num. 2.*

(p) *Thomassin. p. 1. lib. 2. c. 30. n 2. & 3. & cap. 33. n. 2. Barbos. ad Conc. sess. 22. c. 2. n. 5. cum aliis ab eo alleg.*

(q) *Concil. Lateran. III. cap. 5.*

tis Vestræ, quod nobis tamquàm obedientibus filiis nequaquàm impossibiliu, & intolerabilia mandare intendistis, sed quę & præsentibus esse debeant accepta, & utilia, & posteris profutura. Accedunt ad nos frequentèr, & passim cum divinis apicibus vestris plures numero, pauci merito, sine omni examinatione originis, conditionis, delicti, vel criminis, terribili commonitorio, vel comminatorio nostram excitantes, & tentantes obedientiam, ut quibuscumque primâ Tonsurâ Clericali, usque ad Sacros ordines inclusivè manus impositionem ordinatoriam contulimus, vel Decessores nostros imposuisse cognovimus, eis interim provideremus necessaria, quoàd usque beneficia conferamus. Quidam etiam, quibus propriæ facultates, ut indè vivere possint, ordinari tamen expetunt, ut pro titulo, secundùm dispensationem sacrorum Canonum rebus propriis utantur: nonnulli, ut potestatum sæcularium jurisdictionem devitent, Tonsurâ tantùm, vel minoribus Ordinibus dolo inter Clericos sese simulant aggregari.

9. Prosequitur: *Salvâ sanctâ reverentiâ vestrâ, nobis novum videtur hoc, & insolitum, cum in sacris, & antiquis Canonibus circà Presbyteros tantùm, & Diaconos ore stringatur hæc observantia, & in Sancto Lateranensi Concilio, sub felicis recordationis Beatissimo Papâ Alexandro, cui plures ex nobis interfuerunt, suffragium suum omnibus qui aderant præstantibus, de Presbyteris tantùm, & Diaconibus statutum fuerit, & decretum, id libentèr amplectimur, fidelitèr approbamus, obedientèr Deo volente servabimus, & servamus. Impossibile autem nobis est nomina, vel numerum eorum, quos infrà Diaconatum ordinavimus, memoritèr tenere, nec minùs impossibile est omnibus eis, vel conferre beneficia, vel necessaria providere. Satiùs nobis erit amodò non celebrare ordines, quàm hæc importabilia suscipere onera. Quod si fortè cessantibus nobis contigerit; quantum periculum futuris temporibus, vel personis immineat, nemo dubitat, vel ignorat. In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantùm plerique literas addiscunt, sive parvuli, sive adulti, ut in Ecclesiâ Dei gradatìm per ordines promoti, Deo serviant, & ministrent. Quod si Ordinatores defecerint, deficient Ordinandi; & cessabunt mysteria, si ministeria cessare contigerit. Attendat & pius, & justus Pater, quia lex nova in observantiâ suâ debet esse possibilis, in constitutione suâ non præteritis dare formam negotiis, sed futuris. Pro his omnibus paternitati vestræ supplicamus, & preces fundimus, ut mandatum istud arduum, intolerabile, & onerosum, si placet, temperetis, cui nos obtemperare, & difficultas prohibet, & impossibilitas non permittit (a).*

10. Hæc Stephanus Tornacensis in epistolâ, cui titulus: *Ad magnum aliquem Prælatum*, quam tamen, ex verbis in eâ contentis, agnoscitur fuisse ad Romanum Pontificem destinatam, fortè ad Urbanum, vel Clementem, vel Cælestinum hujus nominis tertios, qui, Stephano Episcopatum tenente, Romanę Ecclesiæ præfuerunt. Itàque non obstante Canone Concilii Lateranensis præfato, adhuc perseverabant ordinari Diaconi, & Presbyteri sine titulo; quâ de rè Christianus Lupus ait: *primus apud nos absolutè ordinare ausus, quod pius nunquàm in more habuerat vel in illâ, vel in aliâ Civitatis Ecclesiâ, fuit, teste magno Belgii Chronico, Alexander Leodiensis Episcopus, ab Innocentio II. dejectus in Synodo Pisanâ. Grassari tùnc pedetentìm cæpit ista prævaricatio, nec per Alexandrum III. Pontificem in Synodo Lateranensi plenè eradicari valuit* (b). Et Stephanus Tornacensis mox allegatus, contendit, assignationem tituli in minoribus Ordinibus observari congruentèr non posse; nec titulus jussus est præponi Subdiaconatui, nisi ab anno 1200., in quo Concilium Londinense prætaxatum Canonem Lateranensem sic ampliavit: *Idem in Subdiaconi ordinatione statuimus* (c).

11. Igitur nec olim per Subdiaconatum, nec nùnc pro minoribus ordinibus adipiscendis, necessarius est titulus, ad quem ipsi minores ordines suscipiantur

(a) Stephan. Episcopus Tornac. epist. 12. in tom. 12. par. 2. Bibl. Patr. f. 497.

(b) Christian. Lup. ad Concil. Chalced. c. 6.

(c) Concil. Londin. ann. 1200. cap. 6.

tur (*a*). Et hæc est praxis in toto terrarum orbe, de generali consuetudine custodita; nec sine ratione quoad minores ordines, quippè illis insignitus recedere potest à statu clericali (*b*), sicque tametsi de facto titulus ordinationis necessariam diceret connexionem cum ecclesiastico beneficio, quod negamus; adhuc tamen, redeundo ad tramitem Objectionis, saltem Clerici minorum ordinum beneficia possidentes, non erunt residentiæ debito adstricti, quippè in illis nullus titulus est necessarius, in quo resideant, vel personaliter deserviant: Et si non est necesse, quod in titulo ordinationis personalitèr deserviant; nec etiam personalitèr ministrare tenebuntur in beneficio mere simplici, si illud habeant, quod titulo ordinationis subrogari à Contradictoribus autumatur; ut ab eo valeant residentiæ debitum deducere: ac quod illis pro titulo ad majores ordines suscipiendos poterit deservire.

12. A Contradictoribus, inquam, sic autumatur. Nàm nos alitèr sentimus, & nobiscum omnes passim convenire judicamus, donec probetur oppositum: quippè beneficium non subrogatur in locum tituli ordinationis, sed potiùs ipsum est præcipuus titulus ordinationis; vel titulus ordinationis subrogatur in locum beneficii. Titulus posteà ordinationis esto representet beneficium, non tamèn est verè beneficium (*c*). Et licèt sit res ecclesiastica in titulum canonicum deputata; est quid tamen diversum à beneficio, & consequentèr ab uno eorum ad aliud, non tenet consequentia, ex regulâ generali, quod à diversis non fit illatio (*d*). Et quatenùs etiàm à titulo ordinationis ad beneficium merè simplex valeret argumentum; inferimus ex mox prolatis, quod si beneficia simplicia, quando sunt à Clericis minorum ordinum possessa (ad quorum susceptionem titulus non requiritur, prout ostendimus) Beneficiarios ipsos ad residentiæ debitum non impellunt; nec etiam ad illud impellent, quando à Clericis majorum ordinum possideutur: nam beneficia merè simplicia eandem prorsùs naturam retinent, sive à minorum, sive à majorum ordinum Clericis possideantur.

13. Respondetur *tertiò*, negando causalem in argumento positam; nempè quod beneficia merè simplicia ideo Beneficiarios ad residentiam impellant, quià eis pro titulo ad ordines suscipiendos deserviant. Nàm si resfunditùs perpendatur, hoc nec est, nec esse posse videtur. Siquidèm non una sola species tituli datur ad ordines recipiendos, sed multiplex. Olim poterat quis ordinari etiam ad titulum stipendii sibi ab Episcopo assignandi super fructibus Episcopatus (*e*), necnon ad titulum paternæ hæreditatis (*f*). Itèm ad titulum alieni beneficii (*g*), sed hodiè solum triplex est titulus Ordinationis, nempè titulus beneficii, titulus pensionis, & titulus patrimonii., præter titulum paupertatis (*h*), quorum trescomplectitur Concilium Chalcedonense decernens, *neminem absolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in ecclesiasticâ ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ecclesiâ Civitatis, sive possessionis, aut in Martyrio, aut in Monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum* (*i*), Ubi vides tres tituli species evidentissimè designari, beneficii, patrimonii, & paupertatis: approbato alio titulo pensionis ecclesiasticæ per Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reformatione.

14. Nam per ly *in Ecclesiâ Civitatis*, literalitèr intelliguntur beneficia ecclesiastica in Ecclesiis Civitatum erecta, Per ly quoquè *Martyrio*, intelliguntur aliæ Ecclesiæ, in quibus Martyrum reliquiæ positæ reperiuntur: Undè Eusebius magnum Templum Hierosolimis à Constantino excitatum, vocat *magnum Martyrium* (*l*). Verbum hoc tamen Martyrium propriè locum illum peculiarem designat, ubi reliquiæ ipsę conditæ jacent, latinè dictum *Confessio*, sed per figuram metonymiæ, ad totam Ecclesiam significandam usurpatur (*m*), Horum Martyriorum vel nomina, vel res per illa significatæ leguntur in Concilio Gangrensi (*n*), in Constantinopolitano, habito sub Flaviano (*o*), in Concilio

(a) *Barbos. lde off. & potest. Episcopi p. 2 alleg 19. n. 3. & in Conc. sess 23 c. 2. n 7.*
(b) *DD. ap. Barbos. de offic. Episc. loc. cit.*
(c) *Pagnan. in cap. ad audientiam il 2. n. 59. de rescript.*
(d) *Leg. ult. in fin. & ibi Bart. ff. de calumn. Gratian. discep. for. to. 3. c. 516. n. 6. c. 524. n. 56. & cap. 839. n. 20. Barbos. Axiom. 214.*
(e) *Cap. Episcopus de præbend. Abb in cap. cum secundum to. 11. eod. tit.*
(f) *Eod c. Episcopus in fin. de præbend. Barbos. ad Conc. sess. 21. c. 2. n. 2*
(g) *Cap. postulasti de jure patr. c. per tuas 3. de Simon. Felyn in c. in nostra de rescript. corrolar 34. n. 31.*
(h) *S. Pius constit. 75.*
(i) *Conc. Chalced. c. 6 cap. neminem 1. dist. 70.*
(l) *Euseb. Vit. Constantin. cap. 40.*
(m) *Domin. Magri Notit de Vocab. Ecclesiastici Verb. Martyrium.*
(n) *Conc. Gangrens. cap. 14.*
(o) *Vid. Conc. Chalced. Act. 1. & 4.*

lio Carthaginensi V. (a), & alibi: Eaque vocat *Basilicas Martyrum* S. Hieronymus (b), prout & D. Augustinus qui ea quoque nuncupat Oratoria Martyrum, & eorum memorias (c): Clericique apud loca illa commorantes antiquitùs dicebantur *Clerici Martyriorum* (d), vel *Custodes Martyrum* (e): Quorum Martyriorum crebra olim erat in locis campestribus multitudo, illaque vocat Concilium Africanum *Memorias Martyrum*, dicens: *Altaria, quæ passim per agros, & per villas, tamquàm memoriæ Martyrum construuntur* (f). Et sic tum per *Ecclesias Civitatis*, tùm per *Martyria*, Concilium Chalcedonense intelligit beneficia, in Ecclesiis, vel ruralibus, vel urbanis erecta.

15. Per ly *Possessionis* intelligi titulum patrimonii explicat glossa, canonem illum expendens (g). Qui titulus patrimonii tametsi sit titulus subsidiarius, sive dispensativus, ad differentiam tituli beneficii, qui est titulus legalis (h); tamen à temporibus Concilii III. Lateranensis latè invaluit, quippè tàm ibi, quàm alibi in jure, & nuper in Concilio Tridentino, Ordinatio habentis de proprio patrimonio undè vivere possit, rata prorsùs habetur (i). Jamque spectat ad ornatum Ecclesiæ, ut quemadmodum in triumphanti Ecclesiâ est diversitas beatorum Spirituum, qui quà assistentes, quà ministrantes, Deum glorificant (l); ità in militanti Ecclesiâ sint Clerici, qui quà ad titulum beneficii sacris ordinibus insigniti ministrantibus Angelis correspondeant; quà verò promoti ad titulum patrimonii, assistentes quodammodo spiritus repræsentent: quà de rè vide Bail (m).

16. Demùm per ly *Monasterio*, Concilium Chalcedonense titulum paupertatis intelligit, ad quam solemni voto se adstringunt, qui in aliquâ Religione approbatâ vitam Monasticam profitentur. Sanè Monachus alicubi vocatur *Servus altaris* (n), alicubi dicitur ad *titulum* Ecclesiæ Monasterii promotus (o). Cùmque Monasterium bona possideat in communi, de quibus omnes pro necessariis ad congrua vitæ alimenta participant, omnes Monachi totidem Beneficiarii censentur (p), & ipsa Monasterii possessio patrimonium est Monachi, qui proindè si ad titulum professionis monasticæ promoveatur; vel ad titulum patrimonii, vel ad titulum beneficii, seu ad titulum quemdam medium optimè dicitur promoveri, nempè ad titulum paupertatis Religiosæ, quæ *pro magnis opibus computatur, vel beneficii ecclesiastici loco succedit* (q).

17. Tantæque virtutis est Religiosa paupertas, ea nempè, quæ, ut inquit D. Hieronymus, *habet expetita gloriam, non illata cruciatum* (r), ut ipsâ sponte pro Christo susceptâ, & libenti animo custoditâ, nihil ditius esse possit. Illam vocabat D. Franciscus *Euangelici agri thesaurum absconditum, pro quo emendo vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda* (s). Eandem velut hæreditatem ditissimam suis fratribus S. Dominicus commendavit, dicens: *hæc sunt fratres, & filii, quæ vobis hæreditario jure possidenda relinquo &c. Paupertati voluntariæ studete* (t). Ipsam tandem ut futuram sequacium suæ Regulæ thesaurariam elegit D. Cajetanus, suos asseclas monens: *quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis* (u). Et de facto ipsamet paupertas Religiosis, eam solemni voto profitentibus, cuncta, quę necessaria sunt congruo illorum statui, subministrat, prout quotidiè cernitur oculis, & penè manibus attrectatur. Quarè sancta mater Ecclesia non dubitavit, nedùm Religiones Monachales, & Mendicantes, quę bonis temporalibus stipatæ sunt, approbare, verùm etiàm Ordines religiosos, fratrum minorum Capucinorum, & Observantium admittere, qui nihil omnino possident, & alium Theatinorum, qui nedum quidquam possidere, sed nec quidquam valent pro eleemosynâ postulare: tàm felici rerum successu, ut in hisce Religionibus ingens numerus Fratrum, & Monialium alatur, qui centum fortè millia hominum transcendunt: Et quibus divinam providentiam nunquàm defuisse, pluriès miracula comprobarunt. Ex his illi, qui sacros Ordines acci-

piunt

(a) Conc. Carthag. V. cap. 14.
(b) S. Hieron. adv. Vigilantium.
(c) S. August. de cur. pro mort. cap. 4. & 5. & epist. 63.
(d) Concil. Chalced. art. 4. n. 8.
(e) Concil. Roman. sub Silvest. I.
(f) Conc. African. cap. 50. c. placuit 26. de consec. dist. 1.
(g) Glos. in cap. neminem verb. possessionis dist. 70.
(h) Fagnan. in cap. Episcopus n. 24. 49. 50. de præben. l. 3.
(i) Concil. Later. III. cap. 5. Conc. Trid. sess. 21. cap. 2 c. Episcopus c. non liceat de præb. c. tuis. c. si Episcopus de præb. in 6.
(l) Cap. ad hoc cap. singula dist. 89.
(m) Bail tom. 1. ad Concil. Chalc. f. 255.
(n) Ex Ditmar. Merseburgh. l. 14
(o) Ex VVihelm Malmesburgh. Thomassin. par. 2. lib. 1. cap. 9. n. 1. 4. nê.
(p) Barbos. Jur. Eccl. Univers. l. 3. cap. 4. n. 69. Thomassin p. 1. l. 3 cap. 13 n. 1.
(q) Philibert. Marchin. de Ordin. p. 6. c. 5. n. 1. f. 197.
(r) Hieron. epist. 4. ad Rusticum.
(s) S. Bonavent. in Vit. S. Francisc. cap. 7.
(t) Theodoric. de Appoldi. in Vit. S. Domin. lib. 4. cap. 11. & l. 5. cap. 2.
(u) Vit. S. Cajetani cap. 5.

piunt, ad paupertatis titulum promoventur ab Ecclesiâ approbatum, & continuatâ praxi commendatum.

18. Ergò non subsistit, quod ideò beneficia merè simplicia Beneficiarios ad residentiam personalem obligent, quià illis pro titulo ad ordines suscipiendos deserviant. Nàm si hoc esset, sequeretur primò, quod nedùm Clerici beneficia mere simplicia possidentes, sed etiam alii ad patrimonii titulum ordinibus insigniti, debito residentiæ tenerentur; & nedùm titulus patrimonii, sed etiam titulus paupertatis Ordinatos ad residentiam obligaret, quod nullus dicere audebit, nisi deliret: licèt ipsi Ordinati aliundè, nempè non ratione tituli, sed ratione affixionis servitio alicujus Ecclesiæ, debeant illi jugitèr famulari, si sint sæculares: quâ de rè infrà magis ex proposito sermo erit (a): si verò sint Regulares, in illo Convento, & Ecclesiâ suæ Religionis commorari, & ministrare teneantur, ubi à suis Rectoribus transmittuntur, quod nihil habet commune cum Ordinum susceptione; quippè etiam Novitii, & Conversi, ordinibus carentes, ad idipsum obligantur. A primo ergò ad ultimum ex eo quod beneficia merè simplicia pro titulo deserviant ad Ordinum susceptionem, nullatenùs infertur, quod Beneficiarii eorum possessores, residentiæ personalis debito constringantur.

(a) *Vide cap. sequen.*

19. Responderur *quartò*, iterùm negando aliam causalem, in Objectione positam, nempè quod ideò requiratur titulus ad ordines suscipiendos, quià Ordinatus debeat præcisè, ratione tituli ordinationis, in Ecclesiâ illâ individuâ, ubi erectum est beneficium, ad cujus titulum promotus est, deservire, ac sacras functiones exercere. Nàm Concilium Tridentinum duo diversa decreta edidit; Alterum, in quo mandavit, ne quis absque titulo ad ordines promoveatur (b), & alterum longè post, in quo præcipit, ut quilibet ordinatus affigatur, sive adscribatur alicui Ecclesiæ, ubi suis fungatur muneribus (c). Superfluum autem, & inane fuisset, quod Concilium hoc ultimum decretum affixionis, sive adscriptionis Clerici ordinati edidisset, si jàm præventivè alio prolixo decreto sanxisset, nè quisquam ordinaretur, qui titulum non haberet, cui in sententiâ Contradictorum, ex ipsâ ratione, sivè naturâ tituli servire personalitèr debuisset.

(b) *Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de ref.*
(c) *Concil. Trident. sess. 23 de reform. cap. 16.*

20. Paritèr Concilium permittit Ordinato ad titulum beneficii, ut beneficium ipsum valeat resignare, dummodò mentionem faciat se ad illius titulum fuisse promotum, & aliud habeat undè vivere possit; ait enim: *Id verò beneficium resignare non possit, nisi factâ mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliundè vivere commodè possit* (d). Hoc autèm fieri non valeret, si Clericus in Sacris ordinatus, ratione tituli, ad quem est promotus, teneretur ad residendum in eo, & ibi jugitèr ministrandum. Nàm si ibi necessariò ministrare obligatur, quomodò titulum illum, & quidem beneficialem, resignare poterit, ut titulum patrimonialem substituat? Quomodò dimittere licitè poterit titulum legalem, in beneficio consistentem, ut subsidiarium, sive dispensativum Patrimonii, aut Religiosæ paupertatis, accipiat?

(d) *Concil. Trid. sess. 21. c. 2. de ref.*

21. Ulteriùs potest ordinatus ad titulum beneficii, erecti in unâ Ecclesiâ, adscribi, seu ab Episcopo deputari ad servitium alterius Ecclesiæ: eo modo, quo à pari, Clericus potest pro suo arbitrio alteri Ecclesiæ famulari, diversæ ab eâ, cui fuit à suo Antistite adscriptus, & vigore illius servitii satisfacere conditionibus in eo per Concilium requisitis (e), & fori privilegio gaudere (f); Ergò beneficium, præcisè quà titulus est, ad suscipiendos sacros Ordines destinatus, non exigit residentiam, neque ministerium personale in Ecclesiâ, ubi beneficium simplex erectum est, vel ubi Beneficiarius sacros Ordines est adeptus: cum possit alteri diversæ Ecclesiæ, vel ex se, vel ex jussione Episcopi deservire. Et sic titulus beneficii ad ordines non idcircò requiritur, quià promotus debeat ratione

(e) *Concil. Trident. sess. 23. cap. 6.*
(f) *Riciul. de jur. pers. l. 7. c. 6. n. 15. Barbos. sum. Apost. decis. collect. 157. n. 12.*

tione ipſius tituli miniſtrare in eâ Eccleſiâ præciſâ, in quâ idem titulus eſt erectus, cum alteri valeat Eccleſiæ deſervire.

22. Demùm tollitur omne dubium ex Conſtitutione S. Pii Papæ V. editâ ſuper hâc materiâ, ubi expreſsè dicitur, ideò requiri titulum ad ordines ſuſcipiendos, ne ordinatus neceſſariis ad vitam carens, debeat cum dedecore Clericalis ordinis mendicare (*a*). Hancque eandem unicam rationem, ob quam idem titulus exigitur, aſſignat Concilium Tridentinum, dicens: *cum non deceat eos, qui Divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare &c.* (*b*). Ratio ergò, ſive cauſa, propter quam titulus exigitur ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, non eſt, quià promotus debet præcisè ratione tituli ei peculiari Eccleſię, in quâ poſitus eſt titulus, deſervire, prout Contradictores autumant; ſed tota, & totalis ratio hujuſce ſanctionis eſt, ne Clericus titulo carens, ex quo neceſſaria ad ſuum ſtatum ſuſcipiat, debeat cum ſui ordinis dedecore mendicare. Quod malum jàm dudùm uſque à ſuis temporibus, S. Hieronymus, quot verbis, tot penè lacrimis deploravit, exclamans: *Mendicat infelix Clericus in plateis, & civili operi mancipatus publicam à quolibet depoſcit alimoniam. Et quidem ex eo deſpicitur cunctis ſacerdotale officium, dum miſericordiâ deſolatus, juſtè putatur ad hanc ignominiam deveniſſe* (*c*). Ad hoc propterea Cleri dedecus avertendum, Eccleſia diſtrictè præcepit, ne quiſquam ſine titulo promoveatur titulo certo, perpetuo, fructifero, ac tali, qui ſufficiat ad proventus Clerico porrigendos, ex quibus vivere poſſit, relictâ Ordinario definitione quantitatis ad ſuſtentationem congruam requiſitæ (*d*), dummodò ex titulo firmo, & non contingente proveniat.

(a) *S. Pius V. Conſt. 71. §. 1.*

(b) *Conc. Trid. ſeſ. 21 cap. 2. de ref.*

(c) *S. Hieron. de 7. Ordin. Eccl. c. 5. c. Diaconi 23. diſt. 93. in med.*

(d) *Menoch. de arbitr. caſ. 316. num. 12. Barboſ. ad Conc. ſeſ. 21 c. 2 n. 58*

23. Porrò tàm ad titulum ſuæ induſtrię, ſive laboris, utpotè quod ſit Muſicus, Ludimagiſter, Pictor, vel aliâ ſit profeſſione eruditus (*e*): Nequè ad titulum proprię literaturæ, ſit quantumcumque in literis peregregius (*f*), nullus poteſt ad ordines promoveri, quippè ſuper hiſce rebus, contingentem fructum reddentibus, titulus certus pro Sacris Ordinibus accipiendis, fundari non poteſt. Hinc ſi Hincmarus Laudunenſis, in Objectione memoratus, Clericos abſque titulo Sacris Ordinibus inſignivit, benè carptus fuit ad Hincmaro Remenſi patruo ſuo, tùm quià prævaricator extitit eccleſiaſticæ legis, titulum in promovendis ad ordines requirentis. Tùm etiam quià Clericos illos expoſuit periculo indigentiæ incurrendæ, & in illis totam Clericalem hierarchiam diſcrimini mendicitatis objecit; adeò ut ipſi Clerici, egeſtate laborantes, cogerentur cum proprio, & totius Clericalis Ordinis dedecore mendicare. Sed hoc nihil proficit Adverſariis, pro reſidentię debito Beneficiariis merè ſimplicibus ingerendo: quid enim commune habet indigentia Clericorum, ſive illorum indigentię periculum cum reſidentiâ Beneficiariorum merè ſimplicium? Benè ſtat, quod titulus ſit Clericis aſſignandus pro ordinibus ſuſcipiendis, ne mendicare cogantur; & quod Clerici habentes beneficia merè ſimplicia reſidere, ſeu ſervire perſonalitèr non cogantur, cum reſidentia, & titulus ſint quid diverſum, & uti fert commune proloquium à diverſis non fiat illatio (*g*).

(e) *Garcia de benef. p. 2 c. 5 n. 336 Barboſ. loc. cit. n. 49.*

(f) *Marchin de Ordin. p. 6. cap. 6. difficul. 5. n. 36 Campanil rubr. 8 c. 4. n. 6. Barboſ. loc. cit. num. 50.*

(g) *Surd. conſ. 350. num 34. conſ. 460 59. conſ. 552. 37. Lancellot. de attent. p. 1. c. 12 limit. 20 num. 2. Barboſ. tract. var. axiom. 194.*

24. Ad id, quod opponitur in Objectione de Alexandro Epiſcopo Leodienſi; reſpondemus, quod etſi Pręſul iſte malè ſe geſſerit Clericos ad Ordines abſque titulo promovendo, uti Chriſtianus Lupus inſinuat (*h*); Nihilominùs non propter hanc, ſed propter alias cauſas, fuit à Summo Pontifice caſtigatus. Erat hic vir Juliacenſis, & Epiſcopatus Leodienſis compos effectus, magis ad ſæcularia, quàm ad eccleſiaſtica pertractanda viſus eſt aptior: geſſit bellum ſatis cruentum, in quo victor evaſit. Innocentium Papam II. Leodium pervenientem excepit, apud quem à Leodienſibus de variis criminibus eſt accuſatus, & præſertim de Simoniâ. Quarè Innocentius Leodio iter dirigens ad Italiam, & ibi in urbe Piſanâ Concilium celebrans anno 1134. illùc pręfatum Alexandrum adeſſe juſſit, ut ejus cauſa audiretur. Verùm ipſe ad Concilium non pervenit, quippè

(h) *Chriſtian. Lup. ad Conc. Chalced. c. 6.*

quippè mærore compressus occubuit (*a*). Rem narrat magis præcisè Joannes Chapeaville in gestis Abbatum Sancti Laurentii, dicens: *Anno 1135. Alexander Leodiensis Episcopus apud Innocentium Pontificem de Simoniâ accusatus, & ab ipso semèl, & secundò, ac tertiò vocatus, cum venire tardaret, in Concilio Pisano deponitur. Quo duro nuncio percepto in tantam amaritudinem incidit, ut quasi vix confessione factâ, communioneque perceptâ, & regulari vitâ ad Sanctum Ægidium promissâ, spiritum exhalaverit* (*b*). Vides quod non Clericorum promotio ad Sacros Ordines absque titulo, sed simoniæ culpa causam dedit depositioni Alexandri; & quià simonia nihil habet, quod faciat cum ordinatione Clericorum absque titulo; & ordinatio Clericorum absque titulo infinito intervallo distat à residentiâ Beneficiariorum merè simplicium; hinc fit, quod eventus Alexandri Leodiensis nihil prorsùs operatur ad negotium nostrum, ac circà illud nihil omninò concludit.

(a) *Jo Gualter. Chron. Chronic. Ecclesiasticopolit. in Episcopis Leodien. n. 19 f. 1508.*

(b) *Chapeavil. to. 2. c. 27. & in tom. 7. p. 2. Conc. in Concil. Pisan. an. 1134 f. 591.*

25. Ad doctrinam posteà Ludovici Thomassini, in Objectione allegatam, dicimus, eam quidem fuisse docti illius viri opinionem, sed nullatenùs subsistentem. Postquàm enim ait, quod Concilium Lateranense III. jubens nullum sine titulo ad Sacros Ordines promoveri, priscos canones idipsum præcipientes, non abrogavit, sed potiùs confortavit (*c*), subjungit: *vigent etiam nunc illæ leges sacræ: sed hoc in Concilio pœnæ decernuntur in Episcopos, qui Presbyteros, vel Diaconos ordinaverint sine titulo, sine patrimonio, jussi Episcopis, ut eorum ipsi provideant sustentationi. Et sanè priscum illud, ac solemne statutum de non ordinandis sine titulo, vel sine Ecclesiâ Clericis, duabus nitebatur gravissimis causis. Altera erat, quæ ad temporalem spectabat Clericorum sustentationem: altera autem longè potissima causa erat ipsa Clericorum residentia jugis, & indefessa assiduitas ad ecclesiasticas functiones &c. Clericus sine titulo ordinatus inopiâ premebatur, eique consulit Concilium, assignato vel Episcopi censu, vel Clerici ipsius patrimonio. Sed aliud erat præterea, quod in eo desideraretur, nimirùm munus, & officium aliquod juge, quod suam, & aliorum salutem infatigato studio procuraret: idque mox dicemus à posterioribus Conciliis maximè provisum, accuratumque fuisse* (*d*).

(c) *Conc. Later. III. cap. 5.*


(d) *Thomass. vet. ac nov. Eccl. disc. p. 2. l. 1. cap. 9. n. 2.*

26. Non adeò dilucida sunt hujus verba Doctoris, quod in sensum contrarium menti Contradictorum non valeant explicari. Quotiès enim ait à posterioribus Conciliis fuisse provisum, ut ultrà titulum, etiam locus Clericis assignaretur, ubi suo munere fungerentur; satis ostendit, se non judicasse, quod ideò titulus Clericis promovendis ad ordines assignetur, quia debeant in loco, ubi est ipse titulus, ministrare. Sed quatenùs etiam Thomassinus ità opinatus esset, certè illius opinio non debet sanctionibus Concilii Tridentini prævalere. Cum autem Concilium nullam aliam causam, nullam rationem allegat, propter quam jubet, ne Clerici absque titulo Sacris Ordinibus decorentur, nisi hanc unicam, nempè ne ipsi Clerici titulo carentes, cogantur cum Ordinis Clericalis dedecore mendicare (*e*); Quam & paritèr, unicèque allegat etiam S. Pius Papa V. in suâ Constitutione super hoc editâ (*f*); patet, quod titulus Clericis assignatur pro hac solâ causâ, ne debeant cum dedecore mendicare, non verò ut habeant locum, in quo personalitèr resideant, vel ministrent. Adeòque ex præfati assignatione tituli nullatenùs infertur inesse simplicibus Clericis debitum residendi, & multò minùs infertur illud inesse Clericis, qui sunt beneficiis merè simplicibus insigniti.

(e) *Conc. Trid. sess. 21 cap. 2.*

(f) *S. Pius V. Const. 75. §. 1.*





RESPONSIO
NOVIS OBJECTIONIBUS
EX ALIIS VARIIS MOTIVIS
CONTRA PRÆFATAM
IMMVNITATEM BENEFICIORVM
MERÈ SIMPLICIVM
AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT XXXI.

In quo occurritur Objectioni Undecimæ, *desumptæ ex adscriptione Clericorum servitio alicujus peculiaris Ecclesiæ. Undè Beneficiariorum merè simplicium residendi personalitèr debitum inferatur.*

SUMMARIUM.

1 Undecima Objectio *petita ex eo, quod Clerici debeant Ordinationis suæ tempore adscribi servitio alicujus Ecclesiæ.*

2 *Jubent Concilia, nè Clericus abscedat à suâ Ecclesiâ: Est enim servus Altaris, Colonus, & Vassallus ipsius Ecclesiæ.*

3 *Consequentia præfatæ Objectionis nihil habet commune cum Antecedenti: Promovendus ad Ordines adscribi debet servitio alicujus Ecclesiæ.*

4 *Adscripti servitio alicujus Ecclesiæ illam dimittere prohibentur, juxtà sanctiones plurium Pontificum, quæ referuntur.*

5 *Concilia quoque, plures Canones, & Leges ecclesiasticæ jubent, ut Clerici à propriâ Ecclesiâ non discedant.*

6 *Sub diversis pœnis inhibent, nè Clericus propriam Ecclesiam deserat, & nè sine assensu proprii Antistitis ab ullo Præsule suscipiatur.*

7 Ab

7 *At Canones hi loquuntur de habente beneficium residentiale, ac de perseverantiâ in susceptione Ordinum ab eodem Antistite.*

8 *Assiguntur Clerici alicui Ecclesiæ, ut locum habeant, ubi Deo deserviant, & non hàc, atquè illàc velut gyrovagi errent.*

9 *In cunctis hominibus detestabilis est vita vaga, multò verò magis in Clericis, quos oportet locum, ac superiorem stabilem habere.*

10 *Clericos adscribendos esse servitio alicujus Ecclesiæ, nihil concludit, quod Beneficiarii merè simplices teneantur ad residentiam.*

11 *Alioquin etiam Clerici beneficiis carentes teneantur ad residentiam, quià hi quoquè debent adscribi servitio alicujus Ecclesiæ.*

12 *Clericis etsi alicujus Ecclesiæ servitio adscriptis, beneficio residentiali carentibus, Literæ Dimissoriales ab Episcopo negari non possunt.*

13 *Per Commendatitias comprobabatur gradus, & ordo ecclesiasticus Clerici. Per Dimissorias verò dimittebatur Clericus à suâ Ecclesiâ, ut alterius Ecclesiæ Clero inseri posset.*

14 *Literæ Commendatitiæ supplere poterant pro Dimissoriis, non verò è contrà. Per secundas permittebatur Clericis è nativâ suâ Ecclesiâ ad aliam transeundi.*

15 *Commendatitiæ non solis Clericis præbebantur, sed etiam laicis: honoratioribus tamèn. Laicis verò magis vulgaribus solæ Pacificæ porrigebantur.*

16 *Si argumentum Contradictorum valeret non solùm Clerici beneficio insigniti, sed etiàm illo carentes: imò etiam laici ad residentiam tenerentur.*

17 *Adscriptio Clerici servitio alicujus Ecclesiæ non est præceptiva, sed solùm directiva: Et ubi non fit in ipso actu promotionis, non ampliùs fieri potest.*

18 *Affixio, seu adscriptio servitio alicujus Ecclesiæ determinatæ etiàm olim non erat sub præcepto: poterat enim Clericus ab eâ dissentire.*

19 *Origenes nulli Ecclesiæ affixus est: non Alexandrinæ, neque Cæsariensi, ubi ordinatus est: quippè ab utrâque illarum discessit.*

20 *Qui quoniàm in variis locis morabatur: ex hàc ipsâ locorum mutatione patet, illum nulli Ecclesiæ in suâ ordinatione affixum fuisse.*

21 *S. Martinus Sabariensis variis in locis constitit. Demùm factus est Episcopus Turonensis. Ut Clericus autèm nulli Ecclesiæ fuit affixus.*

22 *S. Paulinus apud Barcinonam ordinatus, non illi tamèn Ecclesiæ affixus est. Constitit aliquandò Mediolani, sic ut posset pro suo libito abire.*

23 *Idem hùc illàc peragravit, donèc Nolæ Episcopus factus est. Paulinianus quoque frater S. Hieronymi nulli Ecclesiæ affixus est.*

24 *S. Hieronymus Stridoniensis Antiochiæ insignitus fuit Presbyteratu, cum expressâ protestatione, se nolle servitio Ecclesiæ illius esse affixum.*

25 *Dubius fuit, an licitè posset Ordinem Presbyterii cum professione Monachatus habere: olìm enim Monachi à Sacerdotio abstinebant.*

26 *Exempla Origenis, Martini, Paulini, & Hieronymi, non sunt facta paucorum. Non omnia, quæ olìm acta sunt, fuerunt historiæ commendata.*

27 *Quatuor illorum Patrum successus secum trahit assensum multorum aliorum Patrum, qui aliquo modo cooperati sunt illorum ordinationi.*

28 *Recensentur plures, qui fuerunt Episcopi absquè affixione ad aliquam determinatam Ecclesiam, velùt honorariè.*

29 *Monachi illi facti Episcopi, non erant Abbates Episcopali titulo decorati, sed ab Abbatibus diversi. Ecclesia nunquàm consuevit intitulare Episcopos in Monasteriis.*

30 *Ex Episcopis, titulum habentibus alicujus Ecclesiæ, non benè infertur, quod Clerici omnes debeant alicujus Ecclesiæ servitio affigi.*

31 *Joannes Filesacus loquitur de variis Episcopis (quorum mentio est in diversis Synodis) non habentibus sedem propriam.*

32 *Continuatur sermo de Episcopis sede carentibus. Et quod debeant habere sedem fixam. Quid significet* intitulari.
33 *Jussit Ecclesia, ne ordinarentur Episcopi sinè sede, vel sinè titulo. Adscriptio Clericorum non erat olim de præcepto, nec est nùnc nisi directiva.*
34 *Canones comminantes pænas Clericis ab Ecclesiâ recedentibus, loquuntur de residentialibus, non verò de simpliciter affixis vi ordinationis.*
35 *Canones mandant etiam laicis, nè absint ab Ecclesiâ. Quid de Nestorii culpâ, quod permitteret Clericis, ut ab Ecclesiis abessent.*
36 *In Concilio Sardicensi Clerici extranei ad propria remissi sunt: nempè gyrovagi, & residentiales.*
37 *Clerici habentes beneficium præsertim residentiale sunt largo modo Vassalli Episcopi, cui debent exhibere fidelitatem: non verò carentes beneficio.*
38 *Non potest Episcopus exigere à Clericis simplicibus juramentum serviendi alicui Ecclesiæ. Quid de aliquibus Conciliis id exigentibus?*

1. BIICIUNT *Undecimo loco* Contradictores hoc modo. Cuncti Clerici, tempore suæ ordinationis, adscribi debent servitio alicujus Ecclesiæ determinatæ, cujus servitio taliter sint affixi, ut ab eâ discedere non valeant: ità expressè disponente Concilio Tridentino *(a)*, quod in hoc legem aliquam recentem non edidit, sed antiquam euntem in desuetudinem reparavit: profitetur enim se Concilii Chalcedonensis vestigiis inhærere. Cousonat his D. Leo Papa in epistolâ ad Nicetam Aquilejensem præcipiens, nè cuiquam sit liberum ab Ecclesiâ ad Ecclesiam transire *(b)*. Consonat quoquè sanctio Gelasii Papæ I. jubentis, nè quis ad aliam transeat Ecclesiam *(c)*. Faciant & ad hæc historiæ: nàm in Concilio Sardicensi Episcopus Thessalonicensis conquestus est de Clericis, qui è propriis Ecclesiis Thessalonicam confluebant, Synodusque decrevit eos esse ad propria remittendos *(d)*. Similitèr in Concilio Ephesino, contrà Nestorium fuit acritèr declamatum, quod Clericos à suis Ecclesiis abscedere permisisset, ut eorum ipse operâ uteretur *(e)*.

2. Addunt. Tantusque vigor est, & fuit hujusmodi ecclesiasticæ sanctionis, & disciplinæ, ut Clericus ab Ecclesiâ discedens, pro quâ fuerit ordinatus, à sacris Canonibus, & pænis subiici jubeatur, & censuris plecti, & ab officio deponi, ut patet ex Conciliis Aquisgranensi *(f)*, Triburiensi *(g)*, Arelatensi I. *(h)*, Chalcedonensi *(i)*, & aliis. Demùm nè ulla diligentia deesset, quâ Clerici ad serviendum propriis Ecclesiis adigerentur, antiqui Canones præceperunt, nè Clerici de uno ad alium locum transeuntes, reciperentur sine proprii Episcopi literis Commendatiis *(l)*. Et Concilia Valentinum *(m)*, Matisconense *(n)*, ac Narbonense *(o)*, exigi voluerunt ab eiisdem Clericis, tempore illorum ordinationis, professionem serviendi Ecclesiis sibi assignatis jurejurando firmatam: & meritò; quippè cum Clericus ad alicujus Ecclesiæ famulatum adscriptus, fiat ejusdem Ecclesiæ veluti homo ligius, & *vassallus*; quemadmodùm eum vocat S. Gregorius *(p)*: seu *Colonus* uti eum nuncupat Concilium Hispalense *(q)*: sive *Servus altaris*, prout in Historiis ecclesiasticis nuncupatur *(r)*; justum est, ut Ecclesia ab illo homagii pollicitationem exigat, & hominii. Hæc autem omnia singularitèr, multòque magis unitìm coacervata, demonstrant, Clericos beneficiarios, etiam merè simplices, ad onus residentiæ teneri, & in Ecclesiâ propriâ personalitèr deserviendi.

3. Respondetur *primò* ad hoc argumentum, prolixâ rerum complicatione concretum, concesso antecedenti, negando consequentiam: quippè consequentia nihil habet cum antecedenti commune: totumque argumentum extrà Chorum canit, & spiculum longè ab orbitâ, in quam est jaculatum, infigit. Verum

(a) *Conc. Trid. sess. 23 cap. 16.*
(b) *S. Leo epist. 85. ad Nicet.*
(c) *Gelas. epist. 1. cap. 23.*
(d) *Concil. Sardic. cap. 3.*
(e) *Concil. Ephesin. I. Par. 1. c. 30*
(f) *Conc. Aquisgran. cap 87.*
(g) *Concil. Tribur. cap 28.*
(h) *Concil. Arel. I. cap. 21.*
(i) *Concil. Chalced. cap. 20.*
(l) *Conc. Sardic. c. 9. Conc. Antio: b. c. 7. 8. 9 Cap. 3. de Cler. peregr.*
(m) *Concil. Valent. cap 5. 6.*
(n) *Conc. Matiscon. cap. 10.*
(o) *Concil. Narbon. cap. 10.*
(p) *S. Gregor. in epistolis.*
(q) *Conc. Hispalen.*
(r) *Ditmar. Merseburg lib 6.*

rum est, & verissimum, quod Clerici, cum ad ordines promoventur, alicujus Ecclesiæ servitio debent adscribi (*a*), sic etenim disertè sancit Concilium Tridentinum his verbis: *eum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis; sancta Synodus, vestigiis sexti Canonis Concilii Chalcedonensis inhærendo, statuit, ut nullus inposterùm ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, uti suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus sine Commendatitiis sui Ordinarii literis ab ullo Episcopo ad Divina celebranda, ac Sacramenta ministranda admittatur* (*b*). Hoc factum fuit præcipuè ad reprimendos,& in sacra disciplinâ continendos Clericos sarabaitas, instabiles, vagabundos, gyrovagos, & errones, quos paulò infrà ex D. Isidoro Hispalensi (*c*), lineis expressioribus depingemus. At hoc quid proficit ad coarctandos Beneficiarios merè simplices vinculis servitii personalis, & residentiæ?

4. Verissimum est quoque, quod Clerici Ecclesiis adscripti, pro quarum servitio ad ordines sunt promoti, easdem dimittere prohibentur, & ità observandum esse non semel, sed centiès fuit Sacris Sanctionibus definitum: nàm S. Leo in epistolâ ad Nicetam Aquilejensem præcepit: *illam partem ecclesiasticæ disciplinæ, quâ olim à sanctis Patribus, & à nobis decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab Ecclesiâ ad Ecclesiam, cuique transire sit liberum, ut in integrum revoces admonemus, & unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est, perseveret* (*d*). Gelasius I. paritèr in Epistolâ ad Episcopos Lucaniæ, inter alia mandavit: *quisquis propriæ desertor Ecclesiæ, nullis extantibus causis, ad aliam putaverit transeundum, temerèque susceptus fuerit, atque promotus, reverendorum canonum vel ipse, vel receptor ejus, atque provector constituta non effugiet, quæ de hujusmodi præsumptione præfixere servanda* (*e*). Quibus addimus Urbanum II. hæc decernentem: *sanctorum canonum statutis consonâ sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in quâ Ecclesiâ quilibet titulatus est, in eâ perpetuò perseveret* (*f*):

5. Itidèm in Concilio Arelatensi I. hæc bina, quæ sequitur, prodiit constitutio: *De his, qui in quibuscumque locis ordinati fuerint Ministri, in ipsis locis perseverent* (*g*), & infrà: *De Presbyteris, aut Diaconibus, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, & ad alia loca se transferunt, placuit, ut his locis ministrent, quibus præfixi sunt. Qui si relictis locis suis ad alium locum se transferre voluerint, deponantur* (*h*). Demùm Concilium Nicænum II. uniformitèr ad Canonem 17. & 18. Concilii Trullani, & ad Canonem 13. & 23. Concilii Chalcedonensis (*i*), decrevit: *Quoniàm nonnulli Clerici Canonicam constitutionem, prætergredientes, suâ relictâ parœciâ, in alias parœcias excurrunt, ut plurimùm autem in hanc à Deo custoditam, & Imperatoriam Urbem, & apud Principes assident, & in eorum Oratoriis divinæ ministeria faciunt, eos sinè proprio Episcopo non licet in quavis æde, vel Ecclesiâ recipi. Si quis autem hoc fecerit, & perseveraverit, deponatur* (*l*). Consonant hisce sanctionibus aliæ leges ecclesiasticæ, de quibus in Canonibus Apostolorum (*m*), & in Conciliis Nicæno I. (*n*), in Sardicensi (*o*), in Antiocheno (*p*), in Laodiceno (*q*), Aquisgranensi (*r*), Epaonensi (*s*), Triburiensi (*t*), Vuormaciensi (*u*), Aurelianensi III. (*x*), & ex recentioribus, in Aquensi (*y*), Rotomagensi (*z*), Burdigalensi (*aa*), Remensi (*bb*), atque aliis (*cc*), quibus concordant Canones in corpore juris clausi, & præsertim cap. 4. dist. 71. cap. pervenit, cum tribus sequentibus 6. qu. 1. cap. quoniam 21. qu. 2. cap. ex parte cap. inter quatuor, cum aliis dè Cler. non resid.

(a) *Tondut. quæst. Canon. par. 2. c. 1. §. 11. num. 2. Albit. us de Jurisdict. Cardinal. in Ecclesi. suor. Titul. n. 20*

(b) Concil. Trid. sess. 23. c. 16.

(c) *S. Isidor. de Offic. Eccles. l. 2. c. 3. Vid. infrà in hoc cap. n. 9.*

(d) *S. Leo I. epist. 85.*

(e) *Gelasius I. epist. 10. c. 23.*

(f) *Urbanus II. in Conc. Placent. c. Sanctorum dist. 70.*

(g) *Conc. Arel. sub S. Silvest. I. c. 2.*

(h) *Concil. Arel. citat c. 22.*

(i) *Vid. in ipsis Conciliis, & Corsolan. ad Conc. Nicæn. II. c. 10.*

(l) *Conc. Nicæn. II. cap. 10.*

(m) *Can. Apostol. cap. 13. & 15.*

(n) *Conc. Nicæn. I. cap. 5. & 16.*

(o) *Concil. Sardic. cap. 18. & 19.*

(p) *Concil. Antioch. cap. 3.*

(q) *Concil. Laodic. cap. 42.*

(r) *Conc. Aquisgr. cap. 59. & 61. 87.*

(s) *Concil. Epaon. cap. 6.*

(t) *Concil. Tribur. cap. 28.*

(u) *Conc. Vvormac. ann. 868 can. 19.*

(x) *Conc. Aurel. III. cap. 15.*

(y) *Concil. Aquens. ann. 1585.*

(z) *Concil. Rotomag. ann. 1581.*

(aa) *Conc. Burdigal. ann 1583. & 1624.*

(bb) *Conc. Remens. ann. 1564.*

(cc) *Concil. Turon. ann. 1583. Tolos. ann. 1590. Avenion. anno 1594.*

6. Et Concilium IV, Mediolanense: *Clericos quoscumque certæ Ecclesiæ, piove loco adscriptos, si ab Ecclesiâ, cui adscripti sunt clericali statione, sine Episcopi facultate, eâque literis exaratâ, discesserint; suorum ordinum munere ex ejusdem Concilii Tridentini sanctione, Episcopus interdicat* (a). Et ut multa in unum breviter congerantur, audiatur Cabassutius ad Canonem Arelatensem ità egregiè perorans: præscribit Concilium, *ut pœnam suspensionis ab executione ordinum incurrant qui ab præfixâ sibi statione discedere, aut alibi ordines susceptos exercere, citrà veniam proprii Antistitis præsumpserint. His astipulatur Nicænus Canon 15. quo cavetur, ne Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, ab Ecclesiis, ad quas fuerunt ordinati, in aliarum vel Ecclesiarum ministerium transeant. Et citatur in cap. non oportet Episcopum 7. qu. 1. suffragatur pariter canon 6. Chalcedonensis Concilii, prohibens quemquam absolutè ordinari, sed in ipsâ sui ordinatione jubens destinari certæ, cui famuletur Ecclesiæ, & profertur à Gratiano cap. neminem absolutè dist. 7. Eodem collimant Canones Apostolorum 15. & 16., quibus etiam pœna excommunicationis infligitur Episcopo alienum Clericum detinenti, invito, ad quem Clericus pertinet, Episcopo. Regulam istam aliquâ ex parte instaurare connixum est Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 16. Nemo, inquit, ordinetur, quin certæ Ecclesiæ ascribatur. Nec admittantur alieni Clerici ad divina officia celebranda sine Commendatitiis proprii Ordinarii Episcopi* (b).

(a) *Concil. Mediol. IV. Act. Eccl. Mediol. lib. 3. tit. 3. c. 13.*

(b) *Cabassut. ad Conc. Arelat. ann. 314. c. 2. fol. 99.*

7. Res ergò certa est, vera est, inconcussa est, nec difficultatem admittit, quod ecclesiasticarum legum vi Clerici ad Ordines promovendi, alicujus Ecclesiæ servitio debent adscribi, semèlque adscripti ab eâ recedere prohibentur. Verùm quantum ad Canones Concilio Tridentino anteriores, sivè in Conciliis editos, sive per Romanos Pontifices exaratos; adscriptio, de quâ ipsi loquuntur, valdè differt ab eâ, quæ per idem indicitur Tridentinum. Canones enim illi loquuntur præcipuè de adscriptione factâ per beneficii ecclesiastici, & quidèm residentialis consecutionem, & ut plurimùm de Episcopatibus, & Parochiis, eodemque modo de existentibus in Ordine Diaconatus, & de aliis Clericis, quos jam præventivè aliquis Episcopus inceperat ad aliquos ordines promovere, ne proprias relinquerent Ecclesias, ut alias pinguiores satagerent adipisci; vel ne proprio relicto Episcopo, à quo incæperant ordinari, reliquos ordines ab alio Episcopo consequi procurarent, quod ità se habere satis educitur ex ipsorum Canonum verbis, & lecturâ, ut ea consideranti patebit. Liquetque omninò aliundè ex Canone præcipiente; *Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis, beneficia, quæ residentiam exigunt assecutos, si ad alterius diœcesim absque tuâ licentiâ morandi causâ transierint; liceat tibi, si moniti non redierint, dictis beneficiis spogliare, nisi excusationem rationabilem ostenderint* (c). Ubi vides interdictum discedendi ab Ecclesiâ sibi assignatâ, ad solos Clericos coarctari, qui beneficia possident, residentiæ debitum exigentia. Et cum restrictio, seu exceptio firmet regulam in contrarium (d), sequitur quod Clerici, beneficio ecclesiastico residentiali carentes, non prohibentur ab Ecclesiâ, in quâ ordinati sunt, elongari, ac ad alia loca pro libito se conferre.

(c) *Cap. 17. de Cler. non resid.*

(d) *L. quæsitum §. denique ff. de fun. instrum. Barbos. tr. var. Axiom. 85. n. 4.*

8. At verò Concilium Tridentinum, in allegato capitulo, vel non loquitur de Beneficiariis residentialibus, & de Clericis ad alios ordines promovendis, quippè de his rebus alibi congruas edidit sanctiones; vel si eas quoque hìc comprehendi judicetur; certè mens Tridentini, per ipsam ocularem inspectionem enitescit, quod eo solùm tetendit, ut evagationem Clericorum compesceret, ac socordiam in Ecclesiæ servitio. Cum enim aliqui Clerici ordines acciperent, sed nunquàm Ecclesiæ deservirent; & alii hùc illùc peragrando, modò hìc, modò illìc se deservire ipsi Ecclesiæ simularent; alii susceptis ordinibus, tamquàm instabiles, & gyrovagi, vitam erronum agerent, ac velùt acephali, sine capite, sine loco moræ, sine disciplinâ vagarentur; Concilium

eorum

eorum vagationi occurrere gestiens, decrevit inposterùm nullos ordinari Clericos, qui non alicui adscriberentur Ecclesiæ, ubi suis persungerentur muneribus, & non vagantium modo incertis quotidie sedibus commearent.

9. Dissolutionem hujusmodi Clericorum aliquandò coarguit S. Isidorus Hispalensis, ità declamans: *duo sunt genera Clericorum. Unum ecclesiasticorum sub regimine Episcopali degentium. Alterum Acephalorum, idest sine capite, quem sequantur ignorantium. Hos nequè inter laicos secularium officiorum studia, nequè inter Clericos religio detentat divina: sed solutos, atque oberrantes sola vaga vita complectitur. Quisque dum nullum metuentes explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur; quasi animalia bruta libertate, ac desiderio suo fruuntur, habentes signum religionis, non religionis officium: Hippocentauris similes, nequè equi, neque homines, mixtumque (ut ait Poeta) genus hominis, prolisque biformis. Quorum quidèm sordidâ, atque infami numerositate, satìs superque nostra pars Occidua polluitur* (a). In quolibet homine vita instabilis, & vagabunda detestabilis est: potiùsque belluino, quàm humano ritu conversantur in terris, qui nec locum habent, ubi conquiescant, nec superiorem, cujus regimini se subiiciant: fugerente Psalmistâ, *constitue Domine Legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniàm homines sunt* (b): quasi quod homines, superiore carentes, cui obtemperent, se esse homines non cognoscant. Hoc autem est multò verius in Clericis, quos ad vitam ecclesiasticam vocatos, oportet locum stabilem habere, ac superiorem fixum, sub cujus disciplinâ vitæ incumbant, ad normam canonum institutæ, non verò dissolutis itineribus evagando, vitiis omnibus se se immergant. *Qui multum peregrinantur*, inquit ferventissimus Thomas à Kempis, *raro sanctificantur* (c).

(a) *S. Isidor. de Offic. lib. 2. c. 3. f. 596.*

(b) *Psalm 9. n. 21.*

(c) *Thomas à Kempis de Imitat. Christi lib. 1. cap. 23. n. 4.*

10. Ad compescendos ergò hujusmodi depravatos Clericos, vagos, & effrenes, atque ad ecclesiasticam disciplinam quoàd hunc abusum sarciendam, decrevit Concilium Tridentinum, quoslibet Clericos alicujus Ecclesiæ servitio esse formitèr adscribendos. Sed sivè hoc solo intuitu id fecerit, sivè etiàm ad retundendos Beneficiarios residentiales, nè à suis Ecclesiis abscederent, sivè demùm nè Clerici, postquàm ab uno Episcopo incæperant ordines adipisci, reliquos quibus carebant, ab aliis Episcopis extorquerent: sivè his, sivè aliis de causis Concilium Tridentinum, aliive Canones mandaverint, quod Clerici alicujus Ecclesiæ servitio adscribantur; quid facit hoc ad residentiam beneficiorum merè simplicium possessoribus ingerendam? Quid commune simùl habent hæc duo, Clericos alicujus Ecclesiæ servitio adscribi, & Beneficiarios merè simplices ad residentiam personalem arctari? Diversa sunt hæc inter se, toto cælo distantia, atque naturalitèr impermixta: benèque stat, quod Clerici tempore suæ ordinationis alicujus Ecclesiæ debeant servitio mancipari, nè incertis vagentur sedibus; & quod Beneficiarii merè simplices sint à residentiæ debito exempti.

11. Respondetur *secundò*, argumentum, sivè Objectionem, de quâ hìc agimus, nihil probare, quià nimium probat: probat enim, quod nedùm simplices Beneficiati, sed etiàm simplices Clerici, ordinibus tùm majoribus, tùm minoribus insigniti, tametsi beneficio carentes, ad residentiam teneantur: quippè omnes Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & inferiorum ordinum Clerici, alicui Ecclesiæ debent esse adscripti, ubi suis fungantur muneribus, & nullus ex eis sine commendatitiis literis sui Ordinarii ad celebranda Divina, & Sacramenta ministranda debet alibi admitti, ut ex ipso Concilii textu enitescit (d), quod utitur dictione *nullus* illimitatâ, universali, & quæ omnem, etiam minimam partem eorum, de quibus prædicatur, excludit (e). Adeòque cuncti Clerici cujuscumque gradus sub hâc Synodale dispositione capiuntur. Quis autem dicet, quod cuncti Clerici, sivè in sacris, sivè in minoribus constituti, si beneficio careant residentiali, ad residentiæ debitum obligantur, quià hi omnes alicujus Eccle-

(d) *Conc. Trid. sess. 23. cap. 16.*

(e) *Abb. in c. ad nostram n. 5. de elect. Bart. cons. 47 in princ. Soc. in cons. 22. n. 16. vol. 1. Barbos. tr. var. diction. 229. n. 1. 2.*

Eccleſiæ ſervitio affixi eſſe debent, nec ſunt ſine Commendatitiis literis propriorum Antiſtitum ab aliis Epiſcopis recipiendi?

12. Porrò tametſi vigere præfatæ ſanctionis Tridentinæ Clerici, alicujus Eccleſię ſervitio adſcripti, non valeant inconſulto Epiſcopo abeſſe, prouti deciſum referunt Doctores (*a*); Attamèn certum eſt licentiam diſcedendi, ſi juſtam cauſam habeant abeundi, non eſſe illis ab Ordinariis denegandam: undè ait Barboſa, *Presbyteros, & Clericos adſcriptos Eccleſiis, non poteſt Epiſcopus ob neceſſitatem Eccleſiæ cogere, ne diſcedant ab eâ, causâ ſtudii; imò tenetur illis Dimiſſorias, ſeu Commendatitias literas concedere, ut per Aldan. tit. 8. num. 4. atteſtan. ſic fuiſſe deciſum ſub die* 11. *Martii* 1617. (*b*). Et nedùm concurrente causâ ſtudii, ſed etiam aliquâ aliâ causâ occurrente: imò nec ullâ causâ exiſtente, adhùc licentiam diſcedendi, & literas Commendatitias non poſſe Clericis beneficio reſidentiali carentibus denegari, inſinuat idem Auctor, ſic ſcribens: *Nec ſunt denegandæ ab Epiſcopo Sacerdotibus, & Clericis, qui non habent beneficia in titulum, reſidentiam requirentia, prout etiam deciſum refert Armendar num. 36. Et iterùm in Sacr. Congreg. Cardinalium, negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, decretum fuit, illos non poſſe revocare ſubditos eccleſiaſticos alibi degentes, nec eos cogere, ſed teneri literas eis dare extravolentibus morari, ſi ratione beneficii non adſtringerentur in ſuâ Diœceſi reſidere. Dicis ità in causâ propriâ obtinuiſſe Campanil. in diverſ. jur. canonic. rubr. 9. cap. 6. num. 4. ſic etiam in facti contingentiâ reſpondiſſe aſſerit Aloyſius Riccius in prax. for. Eccl. dec.* 598 *in* 1. *edit. & reſol.* 524. *Ubi ampliat ad Clericum obtinentem ſimplex beneficium, qui etiam non poterit cogi reſidere in Diœceſi, ubi illud habet, ſed poterit ire quò velit. Et ità dicis in Rotâ deciſum in unâ Nullius Beneficii* 28. *Maii* 1604. *coram Ludoviſio &c.* (*c*).

13. Quæ literæ Commendatitiæ (ſpecies epiſtolarum, quas Antiquitas vocavit Formatas) ab aliquibus confuse cum Dimiſſoriis accipiuntur, ſed non rectè; quippè uti notatur à Balſamone ad Concilium Trullanum; omni Clerico duas ſcripturas afferre antiquitùs opus erat: *Ejus qui eum ordinavit, Commendatitiam ſcilicèt, & Dimiſſoriam; ut illâ quidèm utatur ad comprobationem illius gradus, qui ei ineſſe dicitur: hac verò, ut citrà ullum impedimentum ab aliâ Eccleſiâ in Clerum coopte tur* (*d*). Et alibi: *Canonibus cavetur, ut licèt Commendatitias literas habeant Clerici, & de fide rectè ſentiant, Dimiſſorias tamen literas ſuorum Epiſcoporum eos oſtendere oportere, alioqui ſacris non operaturos. Per Commendatitias enim literas eos eſſe ſacratos probatur: licere autem iis in alienâ terrâ ſacrificare, non ex iis, ſed ex Dimiſſoriis literis oſtenditur* (*e*). Similia de utriſque literis proferunt Matthæus Blaſtares (*f*), & Cabaſutius (*g*): Quarum literarum antiquitatem commendat ſanctio magni Concilii generalis Nicęni I. novam illis formam pręſcribentis, ne Impoſtores, & Hæretici eiſdem poſſent abuti: præcepit enim, ut tamquàm teſſera quædam eiſdem inſcriberentur prima elementa verborum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Petri Apoſtoli, ac Preſuli ſcribentis epiſtolam, cum aliis notis, de quibus videre eſt Cardinales Baronium (*h*), & Bellarminum (*i*), ac alios de hâc rè loquentes (*l*).

14. Itàque *Dimiſſoriæ* epiſtolæ ſupplere poterant pro Commendatitiis (quatenùs teſtes erant ordinis, in quo conſtitutus erat Clericus) non verò è contrà. Et vi harum Dimiſſorialium Clerici nedùm poterant in alienis regionibus ad ſacra peragenda, à locorum Ordinariis admitti, ſed etiam ab eiſdem proprio Clero interi valebant, ſeu alicujus Eccleſiæ ſervitio mancipari. Per illas enim dimittebantur Clerici ab Eccleſiis, in quibus fuerant ordinati; præbebaturque illis facultas aliò ſe transferendi, ut aliarum Diœceſeon Clerici fierent, inibique poſſent Eccleſias, ſive beneficia ſacra nanciſci. En formula literarum Dimiſſorialium, quarum antiquitùs uſus erat, ex Ivone Carnotenſi deſumpta: *Ego N. humilis Epiſcopus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & in unitate San-*

(a) *Barboſ. ad Conc. ſeſſ.* 23. *c.* 16. *n.* 12.
(b) *Barboſ. loco cit. num.* 4.
(c) *Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. p.* 2. *alleg.* 15 *num.* 5.
(d) *Balſam. ad Can.* 17. *Conc. Trull.*
(e) *Balſam. ad Can.* 33. *Apoſtol.*
(f) *Blaſtar. ad Can.* 33. *Apoſtol.*
(g) *Cabaſut. notit. Eccl. Sæc.* 2. *differt.* 8. *nu.* 4 & 5.
(h) *Baron. an.* 142 *à n.* 6 & *an.* 325. *n.* 162.
(i) *Bellarm. de Pontif. l.* 1. *c.* 24.
(l) *Cabaſut. & Ferrarius locis citat. Magri. Notit. vocab. Eccleſ. V. Formata.*

Sanctæ Ecclesiæ, in quâ Petro datum est jus ligandi, atque solvendi, absolvo Presbyterum N. de Civitate N. Indictione N. & licentiam de vobis N. inthronizandi eum in quâcumque Ecclesiâ vultis vestræ Parochiæ (*a*). Et hæ non solùm Presbyteris, & Diaconibus, verùm etiam inferiorum ordinum Clericis erant olim, suntque hodiè quoque communes. Et antiquitùs alio nomine vocabantur *Apostolia*, de quibus in Concilio Aurelianensi II. *Abbates, Martyrarii, Reclusi, Presbyteri, Apostolia dare non præsumant*. Ad solos enim Præsules has concedere pertinebat (*b*).

15. Demùm literæ *Commendatitiæ* non solis Clericis præbebantur, sed etiam laicis, ad alias Diœceses proficiscentibus: non cunctis autem laicis vulgaribus, & proletariis, sed honorationibus tantùm, & majoris momenti viris, ut honorificentiùs exciperentur. Laicis verò minoris notæ, solæ literæ *Pacificæ* porrigebantur (*c*). Quâ de rè Concilium Chalcedonense, decretum edidit peculiare (*d*), quod ità reddunt Ivo, & Burchardus: *omnes pauperes, & indigentes auxilio, cum proficiscuntur, sub probatione epistolis, vel ecclesiasticis Pacificis tantummodò commendari decrevimus, & non Commendatitiis literis, proptereà quod Commendatitias literas honoratioribus tantummodò præstari personis conveniat* (*e*). Itàque quoàd laicos differebant *Commendatitiæ* à *Pacificis*, quod illę laicis honoratioribus, istæ verò humilioribus iter agentibus porrigebantur, ut utrique hospitio susciperentur, & in communionem cum cœteris Christifidelibus susciperentur: talitèr tamen, ut viri Commendatitiis constipati lautiùs, & liberaliùs exciperentur (*f*). Meminit harum literarum Tertullianus sub nomine *Contesserationis hospitalitatis* (*g*).

16. Si ergò affixio Clerici ad servitium alicujus Ecclesiæ id efficit, ut ipse Clericus ità affixus, non possit sine literis Dimissorialibus, sive Commendatitiis indè discedere: ex unâ parte autem affixio non solùm fit Clerici, beneficium residentiale possidentis, verùm etiam ejus beneficio carentis; ex aliâ verò, prefatę literæ Clerico, qui beneficio residentiali caret, non possunt rationabilitèr denegari; demùm si literę Dimissoriales talis naturę sunt, ut competant nedùm Clerico in sacris constituto, & beneficiato, sed etiam Clerico inferioris ordinis, nullum beneficium retinenti: & literæ Commendatitiæ, anterito prisco ritu, non tàm Clericis debentur, quàm etiam Laicis; profectò patet, quod ex his nullum præsidium causæ Contradictorum infertur, ad Beneficiarios merè simplices residentiæ debito arctandos: quippè alioquin, si eorum ratio valeret; sequeretur quod nedùm Clerici, beneficio ecclesiastico præditi, & in sacris constituti, sed etiam Clerici minorum Ordinum, omni beneficio carentes: & non solùm Clerici majorum, & minorum Ordinum, sed etiam Laici ad residentiam tenerentur: quod quis audeat, vel sine dementiâ effutire, vel sine nauseâ audire?

17. Respondetur *tertiò*, negando suppositum; nempè quod adscriptio Clerici ordinibus decorandi, servitio alicujus peculiaris Ecclesiæ, sit de præcepto imprævaricabili, & ex necessitate observando. Nàm si vera loqui velimus, hujusmodi lex potiùs est directiva, quàm præceptiva, ideòque non necessariò, sed solùm congruentèr servanda: quod patet tùm ex eo, quod in aliquibus locis praxis est contraria, quatenùs in pluribus locis adscriptio hęc intermittitur. Tùm etiam quià ubicumque velit ad effectum perduci, oportet eam fieri in ipso actu promotionis ad Ordines (*h*). Quo tempore prętergresso, si adscriptio tùnc non est facta; Clericus non potest ampliùs ulli Ecclesiæ adscribi (*i*). Deberet autem posse fieri etiam post ipsam promotionem præfata Clerici adscriptio servitio alicujus Ecclesiæ, si lex esset præceptiva, & necessariò observanda, non verò tantummodò directiva: quemadmodùm cernimus, quod alię res necessariæ, ac de præcepto servandæ in sacrâ Ordinatione, si fortè omittantur, sunt successivè supplendæ.

(a) *Ivo Carnot. p. 6. c. 435. Burchard. lib. 2. c. 227. Franc. Bernardin. Ferrar. de antiq. Eccl Episcopalis lib. 1 c 8 fol. 58.*

(b) *Vid. Thomass vet. & nov Eccl. discip. p. 1. l. 2. c. 94. n. 1.*

(c) *Cabasut. loc. cit. Magri notit. de Vocab. Eccles. V literę.*

(d) *Conc. Chal. c. 11. & ibi Cabasut.*

(e) *Ivo p. 6. c. 216. Burchard lib. 2. c. 143. Ferrar loc. cit l. 2. c. 9. fol. 72.*

(f) *Cabasut. notit. Eccl. Sæc. 2. dissert. 7. num. 4.*

(g) *Tertul. de Præscript. c. 20.*

(h) *Garcia de benef p. 2. c. 3. num. 101. Barbos. ad Concil. sess. 23. c. 16. n. 2.*

(i) *Garcia loc. citat. Barbos. summ Apostol. decis. Collect 545. n. 1*

18 Ac-

18. Accedit quod etiam olim, & antiquis illis temporibus, in quibus à Contradictoribus floruiſſe diſciplinam eccleſiaſticam decantatur, adſcribi, ſive affigi ſervitio alicujus peculiaris Eccleſiæ, non erat quid neceſſarium, ſed arbitrarium, ità ut in libertate Clericorum, ordines recipientium eſſet pati affixionem illam, vel ab eâ diſſentire. *Clerici*, inquit Cabaſutius, *ad ordines expetiti, & rogati, non inſerebantur canoni, ſeu albo miniſtrorum ejus Eccleſiæ, in quâ ordinabantur, niſi ſe inſeri conſentirent; ità ut libertas eis relinqueretur aliò commigrandi, ut conſtat ex Paulini epiſtolis 8. & 45.* (a). Si ergò poterant Clerici reſiſtere ne adſciberentur, poterant quoque Epiſcopi arbitrari, ne Clericos ipſos adſcriberent; poſitoque hoc arbitrio pro utrâque parte, vel etiam pro illarum alterutrâ; ſequitur, quod adſcriptio ipſa non ſit neceſſaria, ſive præceptiva, ſed arbitraria, ſive ſimpliciter directiva, taliſque fuerit etiam temporibus prætergreſſis.

(a) *Cabaſut. notit. Eccl in Conc. Laodic. cap. 15.*

19. Profectò Adamantius *Origenes*, natione Ægyptius, patriâ Alexandrinus, illiuſque Eccleſiæ catechiſtes, ordinatus fuit Presbyter à Theoctiſto Epiſcopo Cæſarienſi, & ab Alexandro Epiſcopo Hieroſolymitano, nullique Eccleſiæ, cui peculiaritèr deſerviret, fuit affixus (b). Non Alexandrinę, quià inſcio Demetrio illius Patriarchalis Eccleſiæ Antiſtite promotus fuit, & nedùm inſcio, ſed etiam poſt notitiam habitam facti, contradicente, tantiſque adverſus illam ordinationem clamoribus ejulante, ut ſuis vocibus, & literis, de hâc re datis, totum orbem repleverit (c). Non Eccleſiæ Cæſarienſi, quià poſtquàm in illâ brevitèr eſt moratus, ad nativam Alexandrinam reverſus eſt, ut ibi moraretur; nullâ præconceptâ ſuſpicione, quod inventurus eſſet Demetrium ſibi valdè indignatum, ac totis viribus reſiſtentem. Neque figuretur, ſive aſſeratur, quod Origenes fuerit ſervitio Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſive Cæſarienſis adſcriptus, eo quod, Henrico Valeſio teſte, hi Epiſcopi *Alexandrinæ ſcholæ magiſtrum hoc facto ad Eccleſiam ſuam tranſtuliſſent* (d); Nàm non eſt facilè definire, an uterque Epiſcopus Hieroſolymitanus, & Cæſarenſis æqualitèr concurrerint ad ordinationem Origenis, vel alter eorum tantùm operâ; alter verò conſilio actioni illi interfuerit (e). Adeòque non conſtat quis eorum tamquàm verus Ordinator illum in propriâ potuerit Eccleſiâ retinere.

(b) *Thomaſ. vet. & nov. Eccl diſc. p. 2. l. 2. c. 2. n. 10.*

(c) *Euſeb. hiſt. l. 6. c. 8. S. Hier. de Script. Eccl. c. 54.*

(d) *Henr. Valeſ. ad c. 8. l. 6. Hiſt. Euſebii.*

(e) *Thomaſ. loco cit. num. 9.*

20. Et quatenùs etiam hoc non obſtaret, attamèn Valeſius non loquitur de translatione propriè ſumptâ per affixionem ad propriam Eccleſiam: quippè Origenes citò à Palęſtinâ diſceſſit: ſed potiùs impropriè per manuum impoſitionem: aliàs ſi verum eſſet dictum Valeſii, ſequeretur, quod Origenes non ſoli Eccleſiæ Ceſareæ Palęſtinæ, ſed etiam Hieroſolymitanæ affixus fuiſſet, quandoquidèm utriuſque illius Eccleſię Antiſtites ad ipſius promotionem ſupponitur concurriſſe: ſicque Origenes non uni, ſed binæ Eccleſiæ fuiſſet affixus, quod improbabile prorſus eſt. Nèc minùs eſt improbabile, quod ipſæ Origenes, cum jàm diù per 25. annos in Eccleſiâ Alexandrinâ officio Catechiſtę perfunctus eſſet, ſe permiſerit vel Hieroſolymitanæ, vel Ceſarienſi Palęſtinæ Eccleſiis applicari; & adhùc eſt improbabiliùs, quod ſemel iſtarum alterutri adſcriptus, ad Alexandrinam poſteà redierit ibi perpetuò moraturus, ſi proprium Epiſcopum in ſe irâ magnoperè concitatum non paſſus eſſet adverſum. Sed tollit omnem difficultatem Euſebius, de Origene ſcribens: *intereà jugi, & continuato labore, in explanatione divinorum voluminum perſiſtebat, ſive Alexandriæ, ſive apud Cæſaream poſitus* (f). Et infrà, de Firmiliano loquens Epiſcopo Cęſareæ Cappadocię; *tantum venerationis ergà Origenem, ſcientiæ, & doctrinæ gratiâ habebat, ut indeſinentèr conſtringeret eum ſecum morari* (g). Tandèm in urbe Tyri mortuus eſt, & ſepultus (h). Ergò Origenes ad Presbyteratum promotus, modò Cæſareæ Palęſtinæ, modò Ceſareæ Cappadociæ morabatur; modò Alexandriæ, modò Tyri, ut ex hac ipsâ locorum mutatione pateat, illum in ſuâ ordinatione nulli Eccleſiæ affixum fuiſſe.

(f) *Euſeb. 16. hiſt. cap. 20.*

(g) *Euſeb. loc. cit. cap. 21*

(h) *S. Hier. de Scri. ptur. Eccl. in Origen.*

21. Sic

21. Sic itidem *S. Martinus*, natione Hungaricus, patriâ Sabariensis, & in Urbe Ambianensi baptizatus (*a*), Ordinem Exorcistatus à D. Hilario Pictaviensi Episcopo accepit, non tamen Ecclesiæ Pictaviensi se affigi permisit, in quâ & Diaconatum recipere recusavit ab ipso Hilario, qui tentabat *imposito Diaconatus officio sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire Divino* (*b*). Exorcistatu suscepto, patriam repedavit, non consentiente, sed permittente Hilario, Martinumque lacrymis, atque precibus obtestante, ut rediret. Verùm ipse ad Pictaviensem urbem non rediit, sed apud Mediolanum primo constitit, ubi & sibi statuit Monasterium, à quo per Auxentium Antistitem Arrianum depulsus, in Gallinariam Ligustici maris Insulam se recepit, ibique aliquanto tempore vixit; deindè Romam profectus est: postmodùm ad eandem Pictaviensem urbem reversus, demùm Antistes à Turonensibus est delectus (*c*). Ex quibus patet, quod D. Martinus, nec ulli Ecclesiæ affixus est in statu Clericali, nec se ulli affigi permisit; permissurus profectò si hanc adscriptionem, sive affixionem necessariam fuisse cognovisset.

22. Similitèr *S. Paulinus*, origine Gallus, in Aquitaniâ natus (*d*), Romæ educatus, & Senatoris Consulis, atque Præfecti officio perfunctus (*e*), Baptismum à Delphino Episcopo Burdigalensi (*f*), & Presbyteratus ordinem à Lampio Barcinonensi suscepit: à quo tamen se dicit fuisse promotum eâ conditione, ut nulli Ecclesiæ esset affixus: *Scito*, scribit Severo amico suo, *voti communis eodem Domino præstante salvam esse rationem: nàm eâ conditione in Barcinonensi Ecclesiâ consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer; in Sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus* (*g*). Aliquandò Mediolanum divertens, ut morem geret D. Ambrosio Antistiti sibi plurimum dilecto, Ecclesiæ Mediolanensis Clero inseri passus est, lege quidem expresâ, non inibi personalitèr, & perpetuò residendi, sed libertate retentâ, ubi, quandò, quotiès, & quò vellet, semèl, ac pluriès abeundi. En ejus verba ad Alipium: *Nàm ego etsi à Delphino Burdigalæ baptizatus, à Lampio apud Barcinonam in Hispaniâ per vim inflammatæ subito plebis sacratus sim; tamen Ambrosii semper, & dilectione ad fidem nutritus sum, & nùnc in Sacerdotii ordine confoveor. Deniquè suo mè Clero vendicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius Presbyter censear* (*h*).

23. De facto S. Paulinus, & post Presbyteratum Barcinonæ receptum, & post sui aggregationem Clero Mediolanensi, quam dicere possumus honorariam, ad tempus, & nullâ perpetuitatis lege constrictam; hùc illùc per orbem, pro suo libito peragravit, donèc Nolanis fuit Infulis exornatus (*i*). Itàque si sanctus hic Antistes in Clerum cooptatus abnuit alicui Ecclesię peculiari perenni titulo adscribi, nullì loco affigi voluit, nullibi permisit se tamquàm ex debito retineri; satis ex ejus facto enitescit, quod suo tempore nulla lex ecclesiastica deposcebat, Clericos in suscipiendis ordinibus debere ex necessitate Ecclesiæ alicui adscribi; non enim ipsè prævaricator tàm urgentis legis fieri voluisset. Alibi advertimus, quod etiam *Paulinianus* frater D. Hieronymi à S. Epiphanio Episcopo Salaminæ in Cypro promotus est ad ordinem Presbyteratus, flens, & reluctans, apud Eleutheropolim in Palestinâ (*l*), nec tamèn ulli Ecclesiæ affixus est, à quâ non posset pro suo libito resilire (*m*).

24. Ipsè quoque *S. Hieronymus* natione Dalmata, patriâ Stridoniensis, Romę baptizatus, atque diù moratus (*n*), post varia itinera per orbem suscepta, quandòque in Syriam se recepit, ubi à Paulino Episcopo Antiocheno sacro presbyteratus est ordine decoratus, hâc interpositâ expresâ protestatione, se nolle per illam Sacerdotii susceptionem, Ecclesiæ Antiochenę servitutis esse debito affixum (*o*): quo nil clariùs potest in rè, de quâ agimus, allegari. Si dicatur Sanctum Hieronymum trepidantèr ordinem suscepisse cum reluctantiâ affixionis; ideòque judicium de justitiâ suę promotionis, absque affixione ad servitium alicujus

(a) *Hallier. de Sacri Ordin. p. 2. sect. 5. c. 3. art. 1. §. 4. n. 19. f. 6n8.*

(b) *Sever. Sulpit. Vit. S. Martin. c. 5. Surius 11. Novembris.*

(c) *Sever. Sulpit. loc. cit. cap. 4.*

(d) *Vit S. Paulin. p. 1 § natus f. 653.*

(e) *Baron. ann. 394. n. 80. 81.*

(f) *S. Paulin. ep 16. ad Delphin. & ep. 45. ad Alipium.*

(g) *S. Paulin. ep 6. ad Sever. Sulpic.*

(h) *S Paulin. ep 45. ad Alipium f. 400.*

(i) *Vit S. Paulin p. 3 f. 734. in fin ejus oper.*

(l) *Card. Baron. ann. 351. n. 40. & c.*

(m) *Vid. suprà to. 1. cap. 9. n. 5.*

(n) *Baron. ann. 372 num. 4n.*

(o) *Baron. ann. 378. num 65.*

cujus determinatæ Ecclesię, in Paulini ordinantis providentiam, & conscientiam refudisse, quem taliter interpellavit: *si sic Presbyterum tribuis, ut monachatum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo* (a); Futilis est, & insipiens hujusmodi verborum Sancti Doctoris, ad hęc significanda, interversio. Siquidèm ipse SanctusHieronymus non de jure suscipiendi ordines absque concomitanti affixioneEcclesię alicui titubavit, sed de compatibilitate presbyteratus, cum monachatu anceps aliqualitèr fuit: etenim ipse monachatum, quem anteà professus fuerat, à se abiicere recusabat, & quià dubitabat nùm fas esset monachi, & presbyteri officia in eodem homine copulare; ideò ęgrè annuebat sacri illius ordinis susceptioni.

25. Notum est eruditis, quod Monachi sub primis illis temporibus, sacros ordines suscipiendi consuetudinem non habebant (b): adeò ut etiam, si numerosa series Monachorum simul alicubi moraretur, nullus nihilominùs inter eos Sacerdotio præfulgeret: Sed *cum solemnitas ex more deposceret, ut mysteriorum cœlestium participes fierent, ex proximis viculis presbyteros convocabant, qui eis festivitatem lætitiæ spiritualis implerent* (c). Ratio hujus observantiæ legitur in vitâ S. Pachomii, & refunditur in eo, quod fastum, & arrogantiam quandam saperet in monacho sacros ordines adipisci, quatenùs hinc *frequentèr inter fratres contentiones, & ęmulationes inutilis nascerentur* (d). Sanctus igitur Hieronymus, de monachatus compatibilitate cum Sacerdotio dubius; ne errorem incurreret, in judicium Episcopi Ordinatoris conjecit, an tùnc, & super ipso expediret observantiæ hujusmodi consuetudinis derogare. Quodque hæc fuerit illius mens, convincitur ex facto per Sanctum Epiphanium recensito, nimirùm Sanctum Hieronymum nunquàm voluisse intrà limitesMonasterii Sacerdotali officio perfungi (e). Et ex eo, quod ipse S. Hieronymus constantèr obstitit Joanni Episcopo Hierosolymitano, conanti eum suæ Ecclesiæ subjugare: contestatus est enim se immunem esse à cujusvis Ecclesię peculiari affixione, hancque sibi exemptionem, expressis vocibus in ordinatione servasse (f).

26. Habemus igitùr exempla Sanctorum Paulini, Martini, Hieronymi, & aliorum, qui etiam sub antiquis sæculis, quando sacra disciplina summoperè florebat, dum ordines ecclesiasticos recipiebant, affixionem suam servitio alicujus peculiaris Ecclesię declinabant. *Isti ergò tàm sancti, tàm perfecti viri factis evidentibus elamant, posse, & debere fieri, quod fecerunt. Qui utrique homines tàm sæcularium, quàm divinarum literarum sine ambiguitate doctissimi* (g), nunquàm affixionem servitio alicujus Ecclesiæ devitassent, si conscii fuissent, hanc ullo modo cadere sub præcepto. Quod si fortè dicatur, hęc, quæ mox retulimus, exempla esse facta paucorum, quæ statum non faciant, nec vim legis generalis exolvant; nos respondemus, quod ubi agitur de rè antiquissimâ, & de probando priscorum sæculorum more, non est parum tot, & talia exempla congerere: quippè non omnium remotiorum successuum memoria ad nos pervenit: multæ nàmque historiæ periere: neque cuncta, quæ in Ecclesiâ evenerunt, fuerunt in codicibus registrata: pro magno ergò habeatur, quod ad probandum qualis fuerit antiquorum sæculorum disciplina, circà affixionem Clericorum servitio alicujus Ecclesiæ, pręfatis exemplis, & quidem magni ponderis ostendatur, affixionem præfatam non fuisse tùnc temporis necessariam.

27. Pręsertim quod si res seriò perpendatur, invenietur in his paucis exemplis non trium, vel quatuor tantùm virorum sensum, sed multorum, & quidem ex præcipuis Ecclesiæ Patribus, doctrinâ, & respectivè sanctitate quoque celeberrimis, in unum consentire cogeriem, nempè Origenis, Hieronymi, Martini, Pauliniani, Ambrosii, Augustini, Epiphanii, Paulini Nolani, Paulini Antiocheni, Hilarii Pictaviensis, Firmiliani Cęsariensis in Cappadociâ, Theoctisti Cæsariensis in Palęstinâ, Alexandri Hierosolymitani, Lampii Barcinonensis, Alipii Tagastensis, & aliorum, qui omnes, vel ordines conferendo, vel respectivè sine affixione, seu adscriptione servitio alicujus Ecclesię peculiaris suscipiendo, vel

(a) *S. Hier. ep. 61. ad Pammach.*

(b) *Vid Thomass. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 3. c. 13. n. 5. & 18 fol. 67. 690.*

(c) *Vit. S. Pachomii cap. 24.*

(d) *Ex ead. vita loc. citat.*

(e) *S. Prosper. de vit. contempl. l. 2. c. 9.*

(f) *S. Epiphan. ap. S. Hier. ep. 60.*

(g) *S. Hier. ep. 61. ad Pammach. Baron. loco citat.*

vel alitèr præfatis exemplis quomodolibet se immiscendo, dictitarunt, eorum sententiam hanc esse, quod eo tempore, in quo ipsi vixerunt, necessarium non fuit, Clericos, quibus ordines ecclesiastici præbebantur, alicujus Ecclesiæ servitio adscribere, & ut ibi personalitèr ministrarent, affigere.

28. Sed si deessent exempla Clericorum nulli Ecclesię affixorum, non desunt exempla plurimorum Antistitum, Episcopali honore præditorum, sine affixione ad aliquam determinatam Ecclesiam. Nàm apud Eusebium legimus, quosdam fuisse Episcopos non Urbium, sed Nationum, qui proindè affixione peculiaris Ecclesiæ caruerunt (a). Alios consimiles memorat Photius in suâ Bibliothecâ (b). Sozomenus agens de Syrię, & Edessę Monachis, recenset nomina Lazari, Barsę, & Eulogii, qui non Urbium, sed honoris ergò Episcopalis dignitatis pręsetulerunt insignia, *quamquàm Episcopatus nomen sit operis, non honoris* (c). *Adde his*, inquit Sozomenus, *Barsen, & Eulogium, qui ambo post creabantur Episcopi non urbis alicujus, sed honoris causâ, qui veluti vitæ piè anteactæ compensatio in propriis monasteriis illis deferebatur. Ad quem modum Lazarus quoque, de quo suprà diximus, Episcopus fuit* (d). Legitur adhùc privilegium, quod Hadrianus Papa I. Monasterio S. Dionisii contulit, *ut liceat ibidem habere Episcopum sicut à priscis temporibus, & usque hactenùs fuit &c. & quando Episcopus &c. de hoc sæculo migraverit, & alius ab Abbate, & Monachis dignus electus fuerit &c. à vicinis Episcopis consecretur* (e).

29. Nec dicatur, hujusmodi Monachos, Episcopali titulo decoratos, fuisse affixos Monasteriis, in quibus degebant, non secùs ac si essent Abbates in Episcopos versi, vel Episcopi Abbatum munere defungentes; quippè quidquid sit de aliis, an Monasteriis pręessent, in eisque Abbatum officium exercerent; certè Episcopus in Monasterio S. Dionysii degens, non erat Abbas, sed ab Abbate distinctus, & vix quidquam poterat sine Abbatis assensu, prout ex privilegio Hadriani Papæ innotescit. Et tàm iste, quàm alii præfati Episcopi Ecclesiâ carebant, cujus Cathedræ, velut cardinati Antistites insiderent; Cumque nunquàm Ecclesia consueverit Episcopos in Monasteriis intitulare, sive incardinare; sequitur, quod Monachi præfati, nullius Ecclesiæ Antistites proprii fuere, nullique omninò fuerunt Ecclesiæ desixi. Sic & Sanctus Bonifacius Anglus fuit à Gregorio Papâ II. constitutus Episcopus, sed sine titulo, atque sede, Germaniam hùc illùc excurrens, & sanctâ operatione fecundans, nec nisi post 25. annos fuit ei à Zachariâ Papâ Ecclesiæ Moguntinę titulus assignatus (f). Et dudùm antè, S. Augustinus Episcopus, à D. Gregorio ad Angliam directus, titulo caruit Ecclesię peculiaris, cui esset affixus, nec nisi post plures annos Cantuariensem est Cathedram assecutus (g). Similia evenère apud Hispanos Egilę, quem Valcharius Legatus Apostolicus in Episcopum consecravit.

30. Parum relevante, quod hujusmodi Episcopi essent quidem ordinati sine sede cardinali, sed non sine titulo cardinali, prout etiam fit modo quoàd Episcopos Titulares. Nàm quidquid sit de istâ distinctione; summa negotii est, quod quantum ad rem pręsentem intitulatio quoàd denominationem differt ab affixione quoàd servitium. Et sicut non per hoc, quod adsit aliquis Prælatus Romę, vel alibi, insignitus titulo Episcopali, exempli gratiâ, Patriarchę Alexandrini, fas est ordinare Clericum Romanum, & eum servitio Ecclesię Alexandrinæ affigere; ità ex eo, quod pręfati Episcopi carentes sede, haberent tamen titulum sui Episcopatus, non benè infertur, quod alicujus Ecclesię servitio Clerici sint necessariò affigendi. Alios Episcopos sic ut suprà nulli Ecclesiæ quoàd servitium affixos, memorat Concilium Ravennatense (h). Alios ex Hiberniâ *sine certo Episcopatus loco constitutos*, adeòque cardinali titulo sui Episcopatus carentes, recenset S. Anselmus Cantuariensis (i). Rursùs *Episcopos vagantes, & parochiam non habentes*, refert Concilium Vernense (l). Episcopos *in suis thronis non constitutos* commemorat Concilium Trullanum (m). Conciliabulo Ephesino,

(a) *Euseb. hist. lib. 3. c. 37 l 5. c. 10.*
(b) *Photius in Biblioth. c. 48.*
(c) *S. August. de Civit. l. 19. c. 19 tom. 5.*
(d) *Sozomen. lib. 6. cap. 34.*
(e) *Conc. Gall. to. 2. fol. 213.*
(f) *Vit. S. Bonif. ap. Surium die 5 Junii.*
(g) *Vit. S. August. Angl. ap. Surium die 26. Maii.*
(h) *Conc. Raven. III. an. 1314. c. 4.*
(i) *S. Anselm. lib. 3. ep. 147.*
(l) *Concil. Vernens. ann. 755. c. 13.*
(m) *Concil. Trullan. cap. 37.*

sino, ex Nestorianis composito, plures Episcopi interfuere, sedium, atque Ecclesiarum expertes (*a*). Hujusmodique qualitatis fuisse oportet Episcopos, quorum Clemens Papa V. vetuit ordinationem, utpotè Clero, populoque carentium (*b*).

31. Auget istorum numerum Joannes Filesacus de sacrâ Episcoporum auctoritate sic loquens: *Nequè verò illud prætermittendum, Episcopos aliquandò consecratos sine ullo titulo, sine Sede Episcopali. Cujusmodi extitit B. Bonifacius Moguntinus Episcopus, quià Gregorio II. Pont. Rom. ordinatus est sine sede, sine titulo. Sic enim Gregorius epistolâ ad eundem Bonifacium scriptâ, quæ est* 125. *inter Bonifacianas, tuam reverendam fraternitatem ad imitationem Apostolorum, qui Domino jubente, præcepti sunt euntes prædicate evangelium regni, gratis accepistis, gratis date, in partibus Hesperiarum ad illuminationem Germanieę gentis, in umbrâ mortis sedenti dirigere prævidimus. Idem firmatur epistolis* 120. 121. *quæ sunt Gregorii ad Saxones, & Thuringos, tùm* 143. *quæ est Zachariæ Pont. Rom. ad Bonifacium. Et apud Hincmarum epistola* 6. *cap.* 19. *Cui Bonifacio per annos* 25. *in eâdem prædicatione sine cardinali sede laboranti, præfatorum successor Zacharias Papa inter cætera in privilegio sibi directo scriptis &c.* Quo pacto *etiam Concilio Matisconensi II. subscripsere Episcopi non habentes sedes. Hos Scotos nominarunt nostri, Conc. Cabilon. II. cap.* 43. *quod repetitum in Capitularibus, de quibus ità statuerunt Episcopi Gallicani, Conc. Vernens. cap.* 13. *De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus de ordinatione eorum qualis fuerit; placuit juxtà instituta Sanctorum Patrum, ut in alterius parochiâ ministrare, nec ullam administrationem facere debeant, sine jussione Episcopi, cujus parochia est.*

32. Prosequitur in suo eloquio Filesacus: *Idem habet Concil. Vormac. cap.* 63. *citatur ex Concilio Carthag. nescio an allusum ad c.* 2. *Concilii Carthaginensis II. & Concil. Carthag. III. c.* 20. *Hispani ut malo ejuscemodi mederentur, Concil. Valent. c.* 6. *ità definiunt. Nèc ullum sanctorum sacerdotum, idest Episcoporum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non spoponderit. Quod localem hic nominat Synodus Hincmarus, loquens de B. Bonifacio Germaniæ Apostolo, qui sine sede Episcopali ordinatus fuerat Episcopus, ut dictum est anteà epistola* 6. *c.* 19. *cardinalem sedem appellat, idest certam, & definitam. Eodem sensu Concil. Meldens. cap.* 54. *tituli cardinales, idest fixi, & certi, quosque Episcopi canonicè, & sine retractatione ordinare, & disponere debeant. Cardinalem Sedem etiam præcipuam Interpretari licet, ut cardinalis aluens dicitur, qui præcipuus est, non diductus, apud Bernardum Benevall. lib.* 2. *de vit. S. Bernardi c.* 5. *Cui respondet illud Gelasii Pont. Rom. ad Cælestinum Episcopum, quo illum Visitatoris nomine alicui Ecclesię præfectum significat, non cardinalis Pontificis: hic* Cardinalis *non alitèr vocatur, quàm quod nec Corepiscopus, nec Coadiutor, nec incertę sedis, sed pręcipuus talis Diœceseos Pontifex. Nèc alieno sensu cardinalis dicetur idest authenticus, nec inuasor, aut usurpator alienæ Ecclesię, sic enim cardinalis authenticus exponitur Collatione Carthaginensi integrâ* (*e*). Sermonem alibi fusiùs habuimus, quid sit *intitulari*, quid *incardinari* significet. Illùc lectorem remittimus: Qui si plura desiderat, leget Auctores in margine citatos (*d*), ad satietatem etenim per hos ei satisfiet.

33. Itàque ex his, quæ hucusquè allata sunt, patet, quod elapsis temporibus ordinabantur Episcopi, nedùm sine sede, sed etiam interdùm sine titulo cardinali, & sine affixione ad ullam Ecclesiam, donèc fuit ecclesiasticis legibus interdictum, ne quis Episcopus ordinaretur sine sede, vel saltem sine titulo, eo quod episcopali nomine indigni esse censerentur illi, *qui nec ad aliquam Episcopalem sedem titulati erant, nec ad aliquam Episcopalem Cathedram ordinati* (*e*): Et qui *nec ut expediret, prodesse, nec pręesse ut deceret valentes, instabilitate vagationis, & mendicitatis opprobrio, serenitatem Pontificalis obnubilant*

(a) *Relatio Synod. Ephes. ad Cælestin. I.*

(b) *Clementin. in plerisque V. de elect. & elect. potest.*

(c) *Joan. Filesac. de Sacr. Episcopor. Auctor. c.* 10. *§* 3 *f.* 297.

(d) *Vid. Gratian post cap.* 3. *dist.* 71. *& glos. in cap. dudum* 54 *V. intitulatâ de election.*

(e) *Concil Gall. to.* 2 *fol.* 240. 241.

lant dignitatis (*a*). Quibus ità se habentibus, jam deducendo argumentum à majori ad minus, quod est optimum, & validissimum (*b*), dicimus, quod si absque affixione ad ullam Ecclesiam Episcopi olim poterant promoveri, multò fortius ordinibus insigniri poterant Clerici absque adscriptione ad servitium alicujus Ecclesiæ determinatæ. Et sic patet, adscriptionem istam non semper fuisse in Ecclesiâ observatam: quæ nùnc quoque, quià in Concilio Tridentino nulla adjectâ pœnâ insinuatur; fit ut non præceptiva sit, sed simpliciter directiva. Quarè si de facto intermittatur; nihil deperit necessariò in sacrâ ordinatione servandum: tametsi nullus prudens, & benè agens Præsul debeat Clericis sacros Ordines elargiri, quin & eos famulatui alicujus Ecclesię peculiaris affigat.

34. Quoàd reliqua, in Objectione hâc proposita, nempè censuras, atque pœnas fuisse à sacris Canonibus indictas contrà Clericos ab Ecclesiæ servitio discedentes; dicimus, quod Canones illi non nisi de Clericis loquuntur beneficio aliquo residentiali insignitis (*c*). Non verò de illis, qui solo titulo ordinationis sunt Ecclesiæ alicujus ministerio deputati: nisi quatenùs olim, & nùnc quoquè alicubi hujusmodi deputatio secum trahit jus participandi de proventibus ecclesiasticis, inter præsentes tantummodò dividendis: habet enim nunc, prouti & olim *habebat ista ascriptio suum onus, & suum commodum. Onus in obligatione ministrandi: commodum in jure participandi ex bonis communibus Ecclesiæ* (*d*). Certè Clerici sic affixi, si participes esse volunt illorum proventuum; ab Ecclesiâ sibi assignatâ discedere non debebunt. At extrà istas circumstantias affixio ut sic pœnis non involvit Clericum, ab Ecclesiæ servitio, cui adscriptus fuerat, discedentem. Et quod antiquis temporibus res ità sè haberet, convincitur ex eo, quod Concilium Agathense jussit Clericos ad Ecclesiam convenire solis diebus anni solemnioribus (*e*). Ad quid Concilium hoc præscribere, & ità limitate præscribere, si Clerici toto anni tempore, vi affixionis, ex ordinatione manantis, fuissent ad quotidiani servitii, & personalis ministerii bebitum obligati? Quod paritèr res ità nostrâ ætate se habeat, patet ex viribus superiùs allegatis (*f*).

35. Cæterùm Canones aliquandò pœnas comminantur etiam laicis ab Ecclesiâ discedentibus, sive ad illam per determinata tempora non convenientibus, ut ex Conciliis Sardicensi (*g*), Parisiensi (*h*), Turonensi (*i*), & Burdigalensi (*l*), enitescit; nèc tamen ideò quisquam asserere audebit, quod laici ad residentiam personalem in determinatis Ecclesiis teneantur, vel quod ex talibus sanctionibus debitum residendi in Beneficiariis merè simplicibus inferatur. Quâ paritèr responsione occurritur historiæ ex adverso allegatæ Nestorii, cui ad culpam datum est, quod alienos Clericos à suis Ecclesiis abstulisset: verum est hoc de Clericis, qui in aliis Ecclesiis ad parochialia, vel aliàs residentialia officia præventivè fuerant deputati: vel de iis, qui semèl à proprio Episcopo inceperant ad aliquos ordines promoveri: non enim poterat Nestorius illos ad se trahere, & reliquis Ordinibus insignire, absquè eo quod sacrorum canonum esset prævaricator, per quos districtissimè prohibitum legitur, ne quisquam Episcopus alieni Episcopi Clericum accipere auderet, ac suo Clero inserere, sinè Dimissorialibus literis proprii Antistitis (*m*). Fortè illâ ætate nondùm Præsules Constantinopolitani prævaluerant in jure accipiendi Clericos undecùmque, illosque ad suam, vel ad aliorum Ecclesias traducendi: de quâ rè alibi dictum est.

36. Historia postmodùm Archiepiscopi Thessalonicensis, quærelas multas in Concilio Sardicensi effundentis adversus Clericos extraneos illùc confluentes, & ut ad propria remitterentur instantis; nihil facit ad rem, & idcircò in Objectione perperàm allegatur. Nàm vel ipse quoque Archiepiscopus locutus est de Presbyteris, atque Diaconibus, ratione officiorum, sive beneficiorum, quibus præerant,

(a) *Clementin. in plerisq. V. de elect.*
(b) *Cephal. 10. 2. consf. 280. num 17 Sanch. de Matr. l. 3. disp. 1. n. 21. Barbos. tract. var. Loc. 67. 1.*
(c) *Cap. 17. de Cleric. non resid.*
(d) *Bail Sum. Conc. tom. 1. ad Can. 6. Conc. Chalc. f. 254. E.*
(e) *Concil. Agath. cap 64. cap si quis 29. 7. qu. 1.*
(f) *Vid. hic supr. num. 12.*
(g) *Concil. Sardic. cap. 14. Bail ibi.*
(h) *Concil. Parisiens. cap. 12.*
(i) *Concil. Turon. ann. 1583. tit 15.*
(l) *Concil. Burdigalens. tit. 5.*
(m) *Concil. Aurel. V. cap 5. Conc. Arvernens. cap. 10 Bracar. l. cap. 8. & Cabilon. c. 13*

erant, reſidentię debito adſtrictis: vel de talium Ordinum Clericis, gyrovagis, erraticis, & vagabundis, propriam diœceſim relinquentibus, ut ſine capite, ſine Antiſtite, ſine duce, tamquàm acephali, excuſſo omnis obedientię jugo, hùc illùc ſinè lege vagarent, quos corripi bonum erat, & ad proprias remitti ſedes: cum imò ſubſequentium temporum Canones juſſerint eos ad certam Eccleſiam deſtinare (*a*),& ſi opus eſſet,cuſtodiæ mancipari (*b*),ac omni etiam clericali honore privari (*c*). Finis prætereà Prӕſulis Theſſalonicenſis, in Concilio Sardicenſi clamantis, non fuit urgendi alienos Clericos, Presbyteros, & Diaconos, ut apud ſuas quique Eccleſias reſiderent, ſed alleviandi onus, quo propter ipſos premebatur Eccleſia Theſſalonicenſis, quæ cum ſubſidia multis Clericis ex propriâ Diœceſi porrigere teneretur, non habebat quid daret extraneis, eadem depoſcentibus, niſi ſubtraheret primis quidquid daret ſecundis; & ſic neque his, neque illis ſprębendas congruas miniſtraret. Undè ex facto Archiepiſcopi Theſſalonicenſis nihil prorsùs deduci poteſt ad involvendos Beneficiarios merè ſimplices onere reſidentię.

(a) *Concil. Tolet. IV.*
(b) *Concilium Moguntinum.*
(c) *Concilium Valentinum.*

37. Demùm ad id, quod poſtremo loco fuit Objectioni tandèm inſertum, de juramento per aliquos Epiſcopos in ordinatione Clericorum exacto, ut ſerviant Eccleſiis, ſibi peculiaritèr aſſignatis; dicimus, quod ſi agatur de beneficiis parochialibus, vel choralibus, aut alia ratione reſidentialibus; optimè adiguntur Clerici eorum poſſeſſores ad ſpondendam Epiſcopis fidelitatem, ac perſonale ſervitium in loco, ſeu Eccleſiis, ubi miniſtrare debent, actualitèr exibendum (*d*). Et ratione adminiſtrationis eis commiſſæ Clerici ſunt veluti vaſſalli non ſtricto modo loquendo, nec ſumpto vaſſalagio in legali acceptione, quâ ſumi ſolet; ſed lato modo, & per quamdam ſimilitudinem, ſicque præfati Clerici ſunt velut homines ligii ſui Antiſtitis, eique juſtum eſt per illos hominium exhiberi. Si verò ſermo ſit de Clericis, beneficio reſidentiali carentibus; dicimus, quod tametſi exigi ab eis poſſit juramentum fidelitatis Epiſcopo prӕſtandæ ratione beneficii, quantumvis non ſit reſidentiale, ſed merè ſimplex, tamen nec ipſi, neque Clerici ſimplices adigi debent ad ſpondendum jurejurando ſervitium perſonale Eccleſiis ſibi peculiaritèr aſſignatis. Imò nedum non debent, ſed etiam quod licitè non poſſint ad id impelli; per ea, quę ſequuntur, legitur definitum.

(d) *Cap nullus de jurejur. c. legebatur de major. & obed. c. fin. 22 qu. 5. Belet. diſquiſ. Cler. de fav. Cler. perſon. §. 5. n. 3.*

38. Etenim Barboſa, de prӕſenti rè loquens, ità ſuum ſenſum exponit: *Epiſcopum non poſſe ante ordinationem exigere ab Ordinandis promiſſionem de inſerviendo certæ Eccleſiæ, etiam poſt obtentum beneficium ſimplex, reſidentiam non requirens, dicit Sellus c. 13, n. 29. ubi refert deciſum in Lauretanâ* 15. *Aprilis* 1628. (*e*). Quod ſi aliqua Concilia in Objectione relata hanc ſponſionem exigi poſſe ſanxerunt, hæc tamquàm illa, quæ non faciunt legem generalem, ſed particularem, extrà loca, Conciliis ipſis ſubordinata, non obligant. Demumque ſi promiſſio iſta exigatur, & reſpectivè præſtetur, Clericus ad reſidendum, & perſonalitèr deſerviendum tenebitur Eccleſiæ ſibi aſſignatæ, non ratione adſcriptionis, & affixionis eidem, ſed ratione propriæ promiſſionis, & oneris ex ſe voluntariè ſuſcepti, ſub vinculo juramenti, quo ſibi legem peculiarem conſtituit impræuaricabilitèr obſervandam (*f*). Et ità quocumque modo, & ex quacumque parte accipiatur Argumentum in hâc Objectione propoſitum, tàm collectivè ſumptum, quàm diſtributivè in ſuis partibus conſideratum, nullatenùs probat, ineſſe Clericis beneficia merè ſimplicia poſſidentibus, debitum ſervitii perſonalis, & reſidentiæ.

(e) *Barboſ. ad Conc. ſeſſ. 23. c. 16. n. 13.*

(f) *Vid. cap. quod David. cum aliis ſeq. 22. qu. 4.*

CAPUT XXXII.

In quo datur congrua DUODECIMÆ OBJECTIONI *Responsio, petitæ ex spirituali conjugio, quod contrahitur intèr Clericum, Beneficio Ecclesiastico insignitum, & Ecclesiam, in quâ erectum est Beneficium.*

SUMMARIUM.

1 Duodecima Objectio, *quod inter Clericos, beneficio insignitos, & earum Ecclesias contrahitur spirituale conjugium, residentiam exposcens.*
2 *Intèr Episcopum, & suam Ecclesiam, contrahitur spirituale connubium: ideò vetitum est ei, suâ Ecclesiâ dimissâ, aliam accipere.*
3 *Hæc vera sunt solum metaphoricè: pluraque locum habent in spirituali matrimonio, quæ non verificantur in corporali.*
4 *Intèr Beneficiarios residentiales, & illorum Ecclesias non contrahitur spirituale connubium, sed* quasi *spirituale matrimonium.*
5 *Ipsa obligatio residentiæ, quæ inest Beneficiariis curatis, & choralibus, afficit strictiùs, vel laxiùs dependentèr à voluntate superioris.*
6 *Etiàm inter Clericum simplicem, & Ecclesiam, cujus servitio adscriptus est, contrahi dicitur spirituale connubium: tamèn non tenetur ad residentiam.*
7 *Si ratio spiritualis matrimonii valeret, etiam Clerici simplices alicujus Ecclesiæ servitio adscripti, ad residentiam tenerentur: quod non subsistit.*
8 *Matrimonium spirituale contrahitur inter Clericum, & Præbendam merè simplicem, non verò intèr Ecclesiam, in quâ præbenda ipsa est erecta.*
9 *Alioquin accideret interdùm polyviria spiritualis, quæ vitium est in matrimonio corporali. Quinam polyviriam admitterent?*
10 *Polyviria sicut non admittitur sine vitio in matrimonio corporali; sic & in spirituali admittenda non videtur.*
11 *Matrimonium, ut contractus, subjacet legibus ab Ecclesiâ præscriptis, quæ varietatem admittunt, ut patet de impedimentis.*
12 *Etiàm matrimonium spirituale est contractus, & ideò subjacet regulis Ecclesiæ, quæ immunem faciunt Beneficiarios merè simplices à residentiâ.*
13 *Connubium inter Beneficiarium, & suam Ecclesiam, seu Præbendam esse simile videtur potiùs matrimonio rato, quàm consummato.*
14 *Professio in religione dirimit matrimonium ratum, non consummatum: Hocque valet contractum cum conditione servandi castitatem.*
15 *Referuntur nomina multorum Sanctorum, piorumque Principum, & aliorum, qui in matrimonio castitatem servaverunt.*
16 *Bimestre Jura dant sponsis ad profitendam religionem antè consummatum matrimonium. Ex matrimonio spirituali non infertur obligatio residentiæ.*
17 *Romanus Pontifex dispensare potest pro dissolutione matrimonii rati, & nondùm consummati, prout pluriès factum est.*

18 *Multò*

18 ***Multò fortiùs dispensare, vel statuere potest in matrimonio spirituali Beneficiarios merè simplices eximi à residentiâ.***

1. 
BIICIUNT *Duodecimo loco* Contradictores adversus exemptionem Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ, hoc modo. Intèr Clericum, beneficio insignitum, & Ecclesiam, contrahitur spirituale matrimonium: siquidèm hoc proculdubiò contrahitur inter Episcopum, & suam Ecclesiam. Hinc Petilianus Donatista Constantiniensis Episcopus, in collatione Carthaginensi, ac decretum Ephesinæ Synodi de Eustathio Pamphyliorum Metropolitâ, necnon hujus Synodi Canon 15. mentionem faciunt de Cathedris, aut Ecclesiis viduatis. At verò *Viduitas*, ut rectè advertit Hincmarus, *conjugium supponit*. Sed Clerici, non minùs quàm Episcopi, sunt suarum Ecclesiarum sponsi: Undè inferebat Hayton Basileensis Episcopus eos debere illis immobilitèr adhærere, dicens: *Sciant quià in Ecclesiis, quibus præsunt, sponsi facti sunt, & ideò omni vigilantiâ, qualitèr eas decorent, & eis incessantèr deserviant, totius vitæ suæ vigilantiam impendant* (a). Ergò sicuti carnale matrimonium exigit cohabitationem viri cum uxore, sic spirituale, deposcit assiduitatem Beneficiarii cum suâ Ecclesiâ. Sed hæc assiduitas sine residentiâ esse non potest; ergò Beneficiarii ad residentiæ personalis debitum obligantur.

(a) *Spicileg. tom.6. fol.698.*

2. Respondetur *primò* verissimum esse, quod inter Episcopum, & suam Ecclesiam contrahitur spirituale conjungium, de quo Innocentius Papa III. si electus *electioni consenserit, ut per mutuum consensum eligentium, & electi quasi conjugale vinculum spiritualitèr sit contractum &c.* (b). Et dudùm anteà Evaristus Papa ad omnes Episcopos scripsit: *sicut vir non debet adulterare uxorem suam; ità nec Episcopus Ecclesiam suam, idest ut illam dimittat, ad quam sacratus est &c. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum; ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ &c. ità Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo se segregare, ut alterum, vivente eo, accipiat* (c). Hâc de causâ Eusebius se Antiochenum respuisse Patriarchatum, ultrò sibi à Costantio Cæsare oblatum, professus est, quia Cæsariensi Ecclesiæ connubiali nexu erat indissolubilitèr alligatus (d). Quam paritèr ob causam Canones Apostolici (e), nec non Concilia Nicænum (f), Sardicense (g), Carthaginense III. (h), & alia plurima interdicunt Episcopo de unâ ad aliam Ecclesiam transmigrare, & de minori ad majorem pertransire: nè, ut ait D. Hieronymus, *Virginis pauperculæ societate contemptâ, ditioris adulteræ quærat amplexus* (i). Porrò Episcopus dicitur *suæ Ecclesiæ alligatus*, atque idcircò non valet eligi ad aliam Ecclesiam, sed tantummodò postulari (l). Sicut & ob eandem causam liberum ei non est ad aliam Cathadralem transire, nisi ad eam auctoritate Summi Pontificis, dissolvente primum vinculum, transferatur (m).

(b) *Cap. cum inter 23. de elect.*

(c) *Capit. sicut 33. caus. 7. qu. 1.*

(d) *Euseb vit. Const. lib 3 c ult.*

(e) *Canon. Apostol. 14. & 15.*

(f) *Conc. Nicæn. I. c. 15. 16.*

(g) *Concil. Sardic. 1. & 11.*

(h) *Conc. Carthag. III cap 8.*

(i) *Hieron epist. 83. ad Ocean*

(l) *Cap. 1. etsi unanimiter 6. de postul. Prælat.*

(m) *Cap. cum inter corporalia de transl. Episc.*

3. Hæc inquam vera sunt (n), sed non sunt vera, nisi metaforicè, similitudinariè, & per quamdam analogiam, quæ claudicat multis pedibus: plurima etenim vera sunt de carnali matrimonio, quæ in hoc spirituali conjugio non habent locum: plura è contra locum habent in matrimonio spirituali, quæ de carnali verificari non possunt. Sic viro non est licitum dimittere uxorem, cum quâ matrimonialitèr se commiscuit: non eam permutare; non super insolubilitate conjugii consumati à quolibet dispensari; quæ tamèn omnia quoàd beneficia ecclesiastica, servatis servandis, & possunt, & potuere, & semper poterunt ex Ecclesiæ praxi compleri. Legitimâ nàmque concurrente causâ, & superioris auctoritate, fas est Beneficiario Ecclesiam sponsam suam dimittere, ac permutare semel, & bis, ac pluries, si opus sit, ità fieri. Quarè tametsi carnale

(n) *Cap. etsi unanimiter 6. de postul. prælat.*

matri-

matrimonium exigat personalem adhæsionem viri uxori suæ; non idcircò tamen sequitur, quod etiam spirituale connubium Beneficiarii cum Ecclesiâ deposcat personalem assiduitatem illius cum istâ, imprevaricabiliter observandam.

4. Tantò magis quod non caret difficultate, an intèr Beneficiarios inferioris ordinis, & eorum Ecclesias contrahatur verè, & proprie matrimonium spirituale, sicut inter Episcopos, & eorum Ecclesias, quippè Doctores in eo sensu versantur, quod intèr Beneficiarios inferiores residentiales, & illorum Ecclesias non matrimonium spirituale, sed *quasi* matrimonium spirituale cantrahatur (*a*): Multò magis ergò ratiocinium hoc esse verum reperitur respectu ad Beneficiarios merè simplices; quippè cum hi, vel ut plurimùm non habeant Ecclesiam suam propriam, & peculiarem, sed solummodò altare, ubi eorum erectum est beneficium; vel si habent, nullum ei spoponderint personalem famulatum, prout spondent Beneficiarii, residentiæ debito adstricti; videtur omninò dicendum, quod Beneficiarii merè simplices vel nullum contrahant spirituale conjugium cum suis Ecclesiis, vel ad summum cum eis contrahant *quasi* spirituale connubium, diversum ab eo, quod cum suis Ecclesiis contrahunt Beneficiarii residentiales, Hancque differentiam talem effectum parere dicendum erit, quod ubi Beneficiarii residentiales ad exhibendam personalem assiduitatem, & præsentiale ministerium suis Ecclesiis tenentur; Beneficiarii merè simplices è contrà ab hoc onere sunt exempti.

(a) *Glos. ip Abbat. in cap. etsi unanimiter de post. Præl. Alt: fer. ad c. 2. eod. tit.*

5. Auget vim hujus rationis alia ponderatio, quod nec etiam intèr Beneficiarios residentiales, & eorum Ecclesias contrahitur spirituale connubium cum obligatione indefinitâ, & absolutâ personalitèr residendi, sed conditionatâ, & limitatâ ad loca, tempora, & personas, de quibus alitèr per leges ecclesiasticas non disponitur (*b*). Uno verbo residentiæ onus est subordinatum voluntati superioris: quâ de rè Diana: *illud pactum inter proprium Episcopum, & suam Ecclesiam, ex naturâ rei subordinatur supremo Pontifici; itaut in illo pacto includatur conditio offerendi ministerio talis Ecclesiæ cum subordinatione ad supremum pastorem, qui habet in illâ Ecclesiâ excellentiorem potestatem &c.* (*c*). Pontifices ergò varias ediderunt, vel approbarunt sanctiones, regulam dantes oneri residentiæ à Beneficiariis, tàm curatis, quàm choralibus exequendę; ità ut in aliquo loco magìs, in alio minùs: & juxta varietatem personarum, temporum, & causarum, strictiùs, aut laxiùs istud onus afficiat, Si autèm ipsos Beneficiarios altioris, & inferioris ordinis ad residentiam obligatos, intèr quos analogicum, vel quasi matrimonium spirituale intercedit, & suas Ecclesias, non urget debitum personalis residentiæ, nisi subordinatè ad voluntatem Superioris, modum, locum, & tempus ipsius residentiæ regulantis, & limitantis, multò magis id verum erit in Beneficiariis mere simplicibus, intèr quos vel minùs rigorosè contrahitur idem quasi spirituale matrimonium, & quos voluntas Superioris, legesque à Superiobus conditæ, à personalis residentiæ debito exsolvunt (*d*).

(b) *Concil. Trid. ses. 23. cap. 1. in med.*

(c) *Diana par. 10. tract. 14. res. 66.*

(d) *Vid Diana p. 10. tract. 14. res. 66.*

6. Respondetur *secundò*, argumentum in præsenti Objectione contentum nihil probare, quià probat nimium: nàm spirituale conjugium, vel quasi spirituale conjugium, non contrahitur solummodò intèr Beneficiarium merè simplicem, & Ecclesiam, sive præbendam, quam recipit in titulum (si tamen rè verâ contrahitur, ut innuimus) sed etiam intèr simplicem Clericum, tametsi beneficio carentem, & Ecclesiam, cui adscriptus est. Quarè Christianus Lupus, semèl, atquè iterùm affirmat, quod *non solummodò Episcopatus, sed inferior Clericatus esse dicitur spirituale cum Ecclesiâ conjugium, quo Ecclesiis, ut uxoribus propriis, sacramentalitèr alligari etiam Clericos rectè scribit Stephanus Episcopus Tornacensis* (*e*), adeò ut inter spirituale connubium Beneficiarii cum suâ Ecclesiâ, quam habet in titulum, & Clerici cum Ecclesiâ, cujus servitio affixus est, non alia differentia intercedere videatur, nisi quod primum est firmius, quàm secundum (*f*). Firmioritas autem hæc est qualitas extrinseca, non tangens sub-

(e) *Christian. Lupus ad Can. 4. Conc. Chalcedon.*

(f) *Lup. ad Conc. V. Rom. sub Greg. VII. Can. 20.*

ftantiam vinculi fpiritualis, fed folùm illius vim augens, fecundum magìs, & minùs, quæ ex notiffimis, non mutant rei fpeciem, aut naturam (*a*).

7 Itàque fi argumentum probaret, fi ratio fpiritualis matrimonii attendenda effet; res eò ufque fe protenderet, ut probaret, quod nedùm Beneficiarii merè fimplices adftricti fint onere refidentiæ, fed etiam fimplices Clerici ad fervitium alicujus Ecclefiæ deputati; quod non fubfiftit. Retrotrahat benignus lector greffus aliquantulum, & excurrat refponfiones, quas præcedenti Objectioni dedimus, certus quod rem ità effe comperiet (*b*). Igitur fpirituale connubium, quantum eft in fe, non exigit debitum refidentiæ perfonalis, nifi fubordinatè ad leges ecclefiafticas. Et fi non illud expofcit à fimplici Clerico fervitio alicujus Ecclefiæ deputato, nec etiam expofcet illud à Clerico, qui eft fimplici beneficio infignitus.

(a) *L. fin ff. de fund. inftr. Barbof. tr. var. Axiom. 140. n. 6.*

(b) *Vid. hic fupr. cap. præced. per tot.*

8. Refpondetur *tertiò*, negando majorem propofitionem, in Objectione productam, fi generalitèr, & illimitatè fumatur. Quippè tametfi ponatur, quod inter Beneficiarios merè fimplices contrahatur fpirituale connubium; verum quidèm erit, quod contrahitur fpirituale conjugium inter Clericum beneficiatum, & prębendam, quam fortitus eft in titulum: non verò quod contrahatur fpirituale connubium inter Clericum beneficiatum, & Ecclefiam, in quâ prçfata præbenda erecta eft; ficuti contrahitur quidèm carnale, feu corporale matrimonium inter virum, & uxorem, non verò inter virum, & Civitatem, in quâ uxor nata eft, vel in quâ dotem tenet, vel paternam fortita eft habitationem; quandoquidèm locus nativitatis, vel dotis, vel habitationis paternæ, merè accidentalitèr, & extrinfecè fe habent ad contractum matrimonii, quod in folo mutuo confenfu viri, & uxoris confiftit, non verò in præfatis accidentalibus, & extrinfecis qualitatibus dotis, nativitatis, vel habitationis paternę &c. Ergò eodem modo fpirituale connubium (quod in folo confiftit confenfu, quo fe Clericus obligavit accipere in titulum præbendam ecclefiafticam) contrahitur quidèm inter ipfum Clericum, atque eandem præbendam; non verò inter ipfum Clericum, & Ecclefiam, in quâ præfata prębenda erecta eft: adeòque licet Beneficiarius debeat affiduè verfari cum fuâ præbendâ, quod facit retinendo apud fe illius titulum, recitando divinum officium, aliaque adimplendo onera ipfi adnexa, fi quę habent; non tamèn idcircò tenetur affiduè verfari, ideft refidere, & morari cum Ecclefiâ, in quâ præbenda ipfa erecta eft.

9. Alioquin fępèfępius contingeret, feu contingere diceretur polygamia, five polyviria fpiritualis: quippè cum crebrò accidat, quod in unâ, eâdemque Ecclefiâ, imò in uno, eodemque Altari, feu Capellâ ipfius Ecclefię, fint erecta duo, tria, & quatuor prębendæ beneficiales, diverfis Clericis in titulum conceffę; fequeretur, quod Ecclefia illa, & Capella dicenda effet fpiritualis uxor cunctorum ipforum Clericorum, qui eadem beneficia, five prębendas beneficiales inveniuntur poffidere: quod an convenientèr dicatur, prudens lector dijudicet. In matrimonio corporali Polygamia quandòque prifcis temporibus permiffa fuit, & tunc, ut ait D. Auguftinus, plures habere uxores *inculpabile erat, quià nulla lex erat, quæ polygamiam prohiberet eo tempore* (*c*): At Polyviria, quod unquàm fuerit licita, nobis non contingit reperire: Ipfa profectò à Lactantio Firmiano dicta eft *confufio generis humani* (*d*), vitiumque in fe continet communis uxorum, quę fint plurium hominum libidini proftitutæ: quam communionem admififfe magnâ turpitudine Parthos, & Ægyptios, refert Eufebius (*e*): Athenienfes, Laertius (*f*): Herodotus, Thraces (*g*): Cirenaicos, Pomponius Mela (*h*): Mauros, & Numidas, Salluftius (*i*): Plinius Garamantas (*l*): & alios populos, alii rerum antiquarum relatores (*m*): quam paritèr in Ecclefiâ introducere fategiffe Nicolaum, unum ex numero feptem primorum Diaconorum, habemus ex Apocalypfi (*n*): Simonem magum, legimus apud D. Auguftinum (*o*). Adamitas, narrat S. Ioannes Damafce-

(c) *S. Auguft. de Civit. l. 16. c. 38. & contr. Fauft. l. 22 c. 47.*

(d) *Lactant. de Divin. Inftit. libr. 3. c. 21.*

(e) *Eufebius de prępar. Evang. lib. 1. c. 8.*

(f) *Laertius in vita Socratis. Alex. ab Alexand. genial. lib. 1. cap 24.*

(g) *Herodotus in Hiftor. lib. 5 c. 1.*

(h) *Pompon Mela lib. 1*

(i) *Salluftius in Jugurtha.*

(l) *Plinius libr. 8. cap. 5.*

(m) *Didac. Trafmiera de Polygamia qu. 9. cap. 2.*

(n) *Apocalypf. c. 2. Eymeric. Direct. Inquif. p 2 qu. 6.*

(o) *S. Auguftin. lib. de hæref. cap. 1.*

nus

nus (*a*) : Picardos demùm, recenset Æneas Sylvius (*b*) : & de Luthero, ejusque sequacibus, Bellarminus (*c*): Nè alias barbaras gentes enumeremus, bestiali modo viventes, & communi usu mulierum abutentes: mixtìm, ac sine ullo discrimine sè cum eis libidine commiscentes, *canino modo per usum promiscuum fæminarum*, ut inquiebat D. Augustinus (*d*) .

10. Hujusmodi turpitudo quoàd connubium corporale, quæ fuit in tot Sectis, Populis, & Nationibus improbata, & quæ ipso jure naturali esse dicitur interdicta (*e*); adeò ut nec etiàm Summus Pontifex super illâ valeat dispensare (*f*); quoàd spiritualia non contingit. Attamèn si analogia, seu metaphora matrimonii in beneficiis merè simplicibus teneatur, videtur, quod in terminis, de quibus suprà dici poterit, alicubi dari polyviriam spiritualem, de quâ judicet lector. Igitùr magis propriè dicendum videtur, quod matrimonium spirituale succedit intèr Beneficiarium, & suam præbendam, non verò inter Beneficiarium, & Ecclesiam, in quâ præbenda erecta est: & ideò tenetur quidèm Beneficiarius jugitèr adhærere ipsi præbendæ, idest illius titulum apud se retinere, illum à sè sine causâ legitimâ non abiicere, divinum officium recitare, aliaque onera, si quæ habet, implere; non verò apud Ecclesiam, in quâ eadem præbenda erecta est, indivisibiliter residere. Dicimus hæc in illâ hipothesi (quæ siue magnâ difficultate non transit) quod Beneficiarius merè simplex suscipiendo beneficium, contrahat matrimonium spirituale in sensu de quo suprà, & respectu ad ipsa beneficia merè simplicia.

(a) *S. Jo. Damasc. in lib. Hæreseon. S. Epiphan. l. 2. c. 52.*
(b) *Eneas Sylv. de orig. Boemor. c. 42.*
(c) *Bellarmin. Controv tom. 3. de matrim lib. 3. c. 10.*
(d) *S. Augustin. de bono viduit. lib. unic. tom. 4. f. 323. D.*
(e) *Sanchez de matrim l. 7 disp. 80. nu. 4. Filliuc. tract. 10. cap. 5. qu. 9. n. 164.*
(f) *Sanch. loc. citat num. 8 Bonacin. tom. 1. de matrim qu. 3. pun. 10. n. 4. & 8.*

11. Respondetur *quartò*, quod matrimonium corporale, sive carnale, non est solummodò Sacramentum, sed est simûl etiam contractus (*g*): Et quidèm contractus ordinatus ad bonum commune totius Reipublicæ civilis, proùt illud vocat D. Thomas (*h*). Uti contractus autem subjacet legibus ab Ecclesiâ prescriptis (*i*). *Nàm omni humano contractui commune hoc est, ut pro varietate temporum, ac circumstantiarum, subindè alias, & alias conditiones, & quasi modum alium possit requirere, ut ejus usus sit opportunus, & conducibilis ad commune bonum Reipublicæ Christianæ* (*l*). *Et idcircò si matrimonium pro varietate temporum, & circumstantiarum alio, & alio modo oportet contrahi, ut conducat ad bonum commune Christianæ Reipublicæ, in quod tamquàm in finem est ordinatum; dubitari non debet, quin illa auctoritas, quæ toti Christianæ Reipublicæ præest, possit pro varietate temporum, & circumstantiarum, varias conditiones in illo ità requirere, ut sine ipsis aut non validè, aut non benè, & licitè contrahatur* (*m*). Sic Ecclesia varia introduxit impedimenta, matrimonium dirimentia, & nullum prorsus reddentia: non recenti adinventione, sed antiquissimâ disciplinâ, jàm usquè à prioribus Christianæ fidei temporibus efflorente. Nàm matrimonium inter Consubrinos ab Ecclesiâ prohibitum commemorat S. Augustinus (*n*): Vetitum inter Patrueles itidèm recenset S. Ambrosius (*o*): Inter Consanguineos, gradum septimum Cognationis non egressos, S. Gregorius innuit interdictum (*p*). Et quod potuit Ecclesia facere sæculis remotioribus, potuit procùldubiò etiam recentioribus temporibus adimplere: quippè Ecclesia una est, & semper est eadem, quæ fuit, est, & erit, æquali semper preditâ potestate: quæ tamquàm talis, in Synodo Tridentinâ decrevit nullitatem matrimonii, cui Parochi, & testium præsentia non intersit (*q*).

(g) *Valent. tom 4. disp. 10 qu. 1. pun. 1. & qu. 5. pun. 1.*
(h) *S. Thom. in 4. dist. 34 qu. 1 ar. 1. ad 4*
(i) *S. Thom. loc. cit. & dist. 4. art. 4. ad 2. & dist. 36. art. 5. in corp.*
(l) *Valent. loc. citat. to. 4 disp. 10. qu. 5 pun. 1. §. minor.*
(m) *Idem loc. cit. §. Id autem.*
(n) *S. Augustin. lib. 15. de Civit. c. 16.*
(o) *S. Ambros. ep. 66. ad Paternum.*
(p) *S. Greg lib. 12. epist. 32. Valent. loc. cit. §. secundo Vid. Gratian. caus. 35 qu. 3.*
(q) *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de ref.*

12. Quâ itàque ratione matrimonium corporale subest legibus Ecclesiæ, illud regulantibus, approbantibus, & respectivè invalidum declarantibus, eàdem imò, & fortiori ratione subest eisdem spirituale matrimonium, quale est illud, quod inter Beneficiarium, & illius præbendam, seu Ecclesiam occurrit, cum & ipsum sit contractus, præsertim respectu ad obligationem residentiæ, de quâ Diana loquens de beneficiis Episcopalibus: *obligatio residendi non insurgit, nisi mediante pacto, & vinculo inter Episcopum, & Ecclesiam: hoc autem pactum, & vinculum humanâ voluntate contrahitur, & ideò ex hàc parte mutabile est,* saltèm

faltèm per poteftatem publicam. cap. inter corporalia de transl. Epifcopi, & ideò per eandem relaxari poteft, & confequentèr etiam poteft naturalis obligatio, quę ex illo nafcitur vel mutari, vel auferri. Et declaratur ampliùs, quià illud pactum inter proprium Epifcopum, & fuam Ecclefiam ex naturâ rei fubordinatur fupremo Paftori: itàut in illo pacto includatur conditio offerendi tè minifterio talis Ecclefię, cum fubordinatione ad fupremum Paftorem, qui habet in illâ Ecclefiâ excellentiorem poteftatem, & immediatam etiàm curam (a). Igitùr matrimonium fpirituale eft contractus, & tamquàm contractus profectò legibus, & difpofitionibus Ecclefiæ fubeft, fub earumque dictamine talitèr eft regulandum, ut non ultrà earundem legum exigentiam prævaleat ad obligandum. Sed leges Ecclefiæ, uti centiès in hoc opere diximus, & infinitis propemodùm rationibus demonftravimus, abfolvunt Beneficiarios merè fimplices ab onere refidentiæ; ergò quantumvis inter ipfos, & præbendas fpirituale conjugium interveniat; non indè tamen fequitur, quod ullo perfonalis refidentiæ onere conftringantur, fed potiùs fequitur, quod ab illo fint penitùs abfoluti.

13. Refpondetur *quintò*, diftinguendo majorem propofitionem, in Objectione propofitam, & retorquendo argumentum. Intèr Clericum beneficio infignitum, & Ecclefiam, contrahitur fpirituale matrimonium ad modum matrimonii rati concedo: confummati, nego: feu analogia, & metaphora, quâ fpirituale conjugium accidit inter Beneficiarium, & fuam Ecclefiam, five præbendam, configuratur matrimonio corporali rato, non verò confummato. Notiffimum eft tàm apud Theologos, quam apud Canoniftas, quod duplex datur matrimonium, unum ratum, & alterum confummatum: ratum, quod in folo mutuo utriufque conjugis præftito affenfu confiftit: confummatum verò, quod prætèr voluntatis confenfum, etiàm fexuum permixtionem inter utrumque Contrahentium admifit. Nèc folummodò hoc fecundum effe Sacramentum certum eft, fed etiam primum; quippè commixtio carnalis inter conjuges non eft de primâ perfectione matrimonii, fed tantummodò de fecundâ (b): nec pertinet ad fignificationem rei in matrimonio contentæ, fed ad rem non contentam (c). Nequè confenfus, faciens matrimonium, eft explicitè in copulam, ut in finem neceffarium, fed folùm implicitè velùt effectus liber, & voluntarius in fuâ causâ (d). Ideò benè S. Auguftinus ait: *in conjugali vinculo fi pudicitia confervatur, damnatio non timetur* (e).

14 Hincque fit, quod cum profeffio caftitatis facta per alterutrum ex fponfis in monafterio, & regulâ monachali per Sedem Apoftolicam approbata, reddat matrimonium ratum, inane, ac nullum, de quo in Concilio Tridentino decernitur: *fi quis dixerit matrimonium ratum, non confummatum per folemnem profeffionem alterius conjugis non dirimi, anathema fit* (f); Ideò fequitur, quod etiam validum fit matrimonium fub hâc expresſâ conditione contractum: duco tè, fi tè ad fervandam perpetuam caftitatem obliges, vel ad profeffionem in religionem emittendam (g): Quià effentia matrimonii confiftit in mutuo confenfu, & traditione dominii cum fubiectione corporum per ordinem ad ufum matrimonii. Cum autem dominium diftinguatur ab ufu, fit, ut præfatum dominium, & fubjectio mutua corporum cum præfatâ conditione fubfiftat: adeò valeat matrimonium cum illâ ipsâ conditione contractum (h). Et ideò paffim Doctores affirmant, verum, & reale matrimonium fuiffe inter Beatiffimam Virginem Mariam, ejufque Sponfum S. Jofeph (i): de quorum fervatâ caftitate fic declamavit D. Auguftinus: *Hoc exemplo magnificè infinuatur fidelibus conjugatis, etiam fervatâ pari confenfu continentiâ, poffe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis fexu, fed cuftodito mentis affectu* (l).

15 Eodem modo S. Epiphanius commemorat, atque laudat matrimonium ratum, & non confummatum S. Teclæ (m): Metaphraftes, Sancti Alexii (n); San-

(a) *Diana par. 10. tract. 14. ref. 66. vel coord tom. 3. tr. 3. ref. 70. n. 2.*

(b) *S. Thom 3. par. qu. 29 art. 2. & in 4. dift 26. qu. 2 art. 4 & dift. 27. qu. 1 ar. 1. qu. 1. & dift 28 art 4 &c.*

(c) *S. Thom. in 4. dift. 26. qu. 2. ar. 4. ad 2*

(d) *S. Thom. in 3. dift. 28 art. 4.*

(e) *Conc. Trid. fef. 24. cap. 6.*

(f) *S. August de bono v du't lib. un. to. 4. fol. 221. D.*

(g) *Ledefm. de Matrim. qu. 47. art. 5. Rebel. l. 2. qu. 10 n. 19.*

(h) *Bonac. tom. 1. de Matrim. qu. 2. pun. 10 n. 13.*

(i) *S. Thom 3. p. qu. 29. art. 2. Joan. Gerfon. to 4. de conjug Jofeph, & Marię f. 219.*

(l) *S August. de Cõfenf Evangelift l. 2. c. 1*

(m) *S. Epiph. hæret. 78.*

(n) *Metaphr. in vit. S. Alex.*

Sanctus Gregorius, cujusdam Gorgoniæ (a). Et in historiis tàm celeberrima, quàm piorum virorum præconiis prędicata sunt matrimonia rata solummodò inter S. Henricum Imperatorem, & Cunegundem Palatinam ejus Uxorem (b): inter Pulcheriam Augustam, & Martianum itidèm Imperatorem (c): intèr Eduardum II. Britanniæ Regem, & Egitham ejus conjugem (d): intèr Boleslaum Pudicum Polonię Regem,& Cunegundem Belæ Hungarię Regis filiam (e): inter Egfredum Northumbrorum Regem, & Etheldredam Regum Anglorum sanguine natam (f): inter SanctamCęciliam, & Valerianum (g): intèr S. Julianum Antiochenum, & Basilissam (h): intèr Arnulphum Turonensem, & Stambergam (i): intèr Constantiam, Constantini filiam, & Galicanum (l): intèr S.Elzearium Comitem, ac Delphinam (m): & alios: nò referendis immoremur Emerico D. Stephani Hungariorum Regis filio (n): Alphonso Casto Asturię Rege (o): Conrado Henrici IV. Imperatoris filio (p): aliisque apud Historicos claris, qui matrimonio inito, castitatem cum suis uxoribus observarunt.

16. Cujus matrimonii rati, & non consummati, tanta est dignitas, & tàm inclytum privilegium, ut ex antiquâ Ecclesiæ traditione (q), atque expresso jure Canonico (r), cunctis matrimoniali fœdere copulatis, sacri Canones tempus concesserint ad deliberandum de Castitate servandâ, quod bimestre esse solet, potestque etiam à Judice, causâ rationabili concurrente, aliquantò latiùs prorogari (s). Si itàque admittatur, quod inter Beneficiarios omnes, & suam Ecclesiam, & quod etiam inter Beneficiarios merè simplices, & eorum præbendam, intercedat spirituale connubium, dicimus hoc esse connubium ęquipollens, sive correspondens matrimonio corporali rato, non verò consummato: hocque posito, argumentum facilimè retorquetur hoc modo. Quemadmodùm matrimonium ratum, non verò consummatum, cohabitationem viri cum uxore non exigit; ità etiam matrimonium Spirituale, inter Beneficiarios merè simplices, & eorum præbendas, sivè etiam Ecclesias succedens, illos nullatenùs impellit ad cohabitationem, sive residentiam, sive servitium personale in loco, ubi eorum præbenda erecta est, præstandam, & sic argumentum à Contradictoribus deductum ex matrimonio spirituali, consistente inter Beneficiarios merè simplices, & eorum præbendas, non concludit in istis debitum residentiæ personalis.

17. Præterquàmquod Matrimonium ratum potest ex gravi causâ per Summum Pontificem dispensari, sive talitèr dissolvi, ut tàm vir, quàm uxor, liberè valeant ad alia vota transire, sive cum aliis sibi benè visis conjugibus copulari. Quæ sententia tamquàm vera, & certissima à Canonistis communitèr reputatur (t): pręsertìm ab iis, qui scribunt super cap. ex publico de Convers. Conjug. uti Goffredus, Innocentius, Hostiens. Joannes Andr. Panormitanus, & alii: necnon ab iis, qui interpretantur Capit. Ex parte 9. eod. tit. & cap. fin. de Sponsduorum. Nèc minori constantiâ à Theologis optimæ notæ defenditur (u). Quorum sententiam roborat praxis Ecclesiæ, quam pluriès matrimonia rata solummodò, nec adhùc consummata, dissoluisse dubium non est. Nàm D. Antoninus testatur, sè vidisse Bullas Martini Papæ V. atque Eugenii Papæ IV. qui super hujusmodi matrimonio dispensarunt (x). Navarrus refert Paulum III. & Pium IV. tèr, vel quatèr ad sui petitionem super eâdem rè dispensasse (y). Cajetanus affirmat, suo tempore fuisse pluriès per Romanos Pontifices interpositas dispensationes (z). Demùm Henriquez commemorat Gregorium Papam XIII. unâ,& eâdem die undecim dispensationes hujusmodi generis concessisse (aa). *Et certè sufficere debet cuicumque Christiano, quamvis literato, Romanos Pontifices (& præcipuè Pium V. alioqui sanctissimum, ac eximium Theologum) sæpè dispensasse in prædictis matrimoniis nondùm consummatis* (bb).

18. Si itàque Romanus Pontifex matrimonium ratum, & nondùm consummatum, dissolvere potest, tùm per viam statuti, tùm per viam particularis dispen-

(a) *S. Greg. Dial. l. 3 cap. 14.*

(b) *Crantz. l. 3. c. 37. Fulgos. l. 4. c. 3 Egnat. lib. 4. c. 3. Baron. ann. 1042. n 9.*

(c) *Niceph l. 14 c. 2 & 58. Baron. tom. 6. an. 450 Cedrenus ubi agit. de Martian. & Pulcher.*

(d) *Marul. l. 4. c. 7.*

(e) *Cromer. l. 9. & 10.*

(f) *Beda hist. Eccl. lib 4. c. 20.*

(g) *Marul lib. 4. c. 8.*

(h) *Marul. lib. 4 c. 7.*

(i) *Marul. loc. cit.*

(l) *Marul. lib 1. c. 3. Sabel. l. 2. c. 9.*

(m) *Petr. Canis. l. 2. de Deipara c. 11. Surius 27. Septemb. in ejus vita c. 5.*

(n) *Bonfin. l. 1. deca. l. 2.*

(o) *Roderic. Tolet. lib. 4. c. 5.*

(p) *Crantz. l. 5. Saxon. c. 15.*

(q) *S. Thom. in 4. dist. 27 qu. 1. ar. 3. qu 2 ad 3. Valent to 4 disp. 10. q. 1. pun 7. § denique.*

(r) *Cap. verum c. ex parte c. ex publico de Conversat. conjugat.*

(s) *Sanchez de matrim. l. 2. disp 24. n. 12.*

(t) *Bald. l. Deo nobis in princ. n. 7. C. de Episc. Felyn. in c qua in Ecclesiarum n. 20. de Constit. Menoch. de arbitr. l. 2. cas. 455. nu 4. Fagnan. in c. ex parte 9. de convers. conjug. n. 7.*

(u) *Bellarm lib. 2. de Monach. c. 28 Cajet. Opusc. to. 1. tr. 28. de matrim qu. unic. Catharin. l. 6. con. Cajet. cap. 3. Sanchez de matrim lib. 2. disp 14. n. 2. Diana coord. tom 3. tr. 2. res. 94 95 96. 97. Tannerus to. 4 disp 8. qu. 5. dub. 4. n 62. Valentia, Vivaldus. Lessius, & alii.*

(x) *S. Antonin. 3. p. tit 1. c. 21 § 3. Sanchez loc. cit.*

(y) *Navar. in sum. cap. 22. n. 21.*

(z) *Cajet. Opusc. to. 1. tr. 28. de matrim. qu. unic.*

(aa) *Henriq l. 11. de matrim c. 8 n. 11 lit. F*

(bb) *Diana coord. to. 3. tr. 1. res. 94. n. 12.*

(a) *Fagnan. in cap. & parte 9. de Convẽ. Conjug. n. 7. cum aliis ibi.*

diſpenſationis (*a*), multò magis poteſt virum à cohabitatione mulieris nondùm carnalitèr cognitæ diſpenſare. Et ſi utrumque poteſt in matrimonio corporali, multò fortiùs idipſum poterit in matrimonio ſpirituali. Ideòque ſive ex ſuâ naturâ ſpirituale connubium inter Beneficiarium mere ſimplicem, & prębendam ſuam intercedens non exigat cohabitationem ipſius Beneficiarii apud Eccleſiam ſui beneficii, ſive ab hujuſmodi cohabitatione per Summum Pontificem diſpenſetur; hoc unum eſt, quod ipſi Beneficiarii ad reſidentiæ perſonalis debitum nullatenùs obligantur; & ità Objectio ex adverſo propoſita ex analogiâ matrimonii ſpiritualis cum corporali, nequaquàm prævalet ad probandum Beneficiarios mere ſimplices, reſidentię perſonalis eſſe vinculis allegatos.

CAPUT XXXIII.

In quo expeditur TERTIADECIMA OBJECTIO *poſtulata ex interdicto pluralitatis Beneficiorum, in uno, eodemque Clerico conglobata, quatenùs hujuſmodi prohibitionis ratio ſit onus reſidentiæ perſonalis, à ſingulis Beneficiariis indiviſum.*

SUMMARIUM.

1 Decimatertia Objectio *de pluralitate Beneficiorum interdictâ ſicut uni corporis membro non licet plurium membrorum officia exercere.*

2 *Pluralitas ipſa quod prohibeatur, quià ſingula beneficia exigunt ſervitium perſonale; & conſequentèr onus reſidentiæ.*

3 *Recenſentur plures Canones, & Concilia, nec non Pontifices interdicentes pluralitatem Beneficiorum in uno, & eodem Clerico.*

4 *Obligatio reſidentiæ in Beneficiariis nullatenùs eſt ratio, niſi inadequata, ob quam interdicta eſt pluralitas beneficiorum.*

5 *Aſſignantur duo motiva conſtantia veram rationem, proptèr quam beneficiorum pluralitas fuit interdicta à ſacris Canonibus.*

6 *Aliud motivum eſt, quià non debent uni dari plura beneficia, quibus poteſt ſatisfieri opportunitatibus plurium Clericorum.*

7 *Canones à Contradictoribus allegati, loquuntur de beneficiis reſidentialibus, non verò de merè ſimplicibus.*

8 *Canon in Objectione poſitus, & alii ſimiles non loquuntur de beneficiis merè ſimplicibus. Cæterùm pluralitas ipſa permiſſa fuit etiam antiquitùs.*

9 *Plures Papæ cum Pontificatu alias tenuerunt Eccleſias: In Oriente pluralitas beneficiorum aliquandò locum habuit.*

10 *Recenſentur plures Clerici, qui in Galliâ, Angliâ, Hiſpaniâ, Germaniâ pluribus eodem tempore præfuerunt Eccleſiis.*

11 *Alii referuntur ex Belgio, & Italiâ. Et quoàd Orientem innuitur ſenſus Balſamonis de pluralitate beneficiorum.*

12 *Non eadem ratio, quæ afficit in beneficiis reſidentialibus, afficit quoque in merè ſimplicibus, undè in his non infertur debitum reſidentiæ.*

13 *De jure novo, & de conſuetudine pluralitas beneficiorum ſimplicium non eſt prohibita: poteſtque ſuper eâ Eccleſiâ diſpenſare, ſi opus eſt.*

14 *Si*

1. OBIICITUR *Decimo tertiò* per Contradictores hâc formâ. Profusissimi sunt sacri Canones in prohibendâ pluralitate Beneficiorum, nè in uno, eodemque Clerico multiplices agglomerentur præbendæ, ac geminata coacerventur officia: nàm in cap. singula D. Gregorius ità decernit: *Singula ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus: sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ità in Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam in uno, eodemque spiritu, alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: nequè uni, quamtumlibèt exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quià si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat; ità varietas personarum per diversa nihilominùs officia distributa, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat, & sicut indecorum est ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ità nimirùm noxium, simùlquè turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa* (a). De quâ corporis mystici Ecclesiæ cum corpore humano analogia superiùs quoque sermo habitus est ex D. Paulo ad Romanos (b).

(a) Cap. Singula 1. dist. 89.
(b) Vid. supr. in hoc Tom. cap. 23. n. 1.

2. Hinc illi, qui plura occupant beneficia, nominantur à Guillelmo Parisiensi *ignis devorans ipsum corpus Ecclesiæ, ac membra ipsius, atque ut pestis idolatriæ, avaritiæ, & damnatæ ambitionis, vastans, & auferens ex magnâ parte honorificentiam cultus divini* (c). De illis etiam ità pronunciat Cujacius, non *minùs mihi monstruosi videntur, qui tot personas in Ecclesiâ sustinent, quàm Briareus ille, qui manus centum habuit, ut est in fabulis, aut Geryon, quem trium fuisse corporum perhibent* (d). Tota autem ratio, cur sic à sacris Canonibus interdicta legatur hæc pluritas Beneficiorum, est, quià unus non potest duobus

(c) Guillelm. Paris. lib. 1. de collat. & plur. benef.
(d) Cujac. cap. 3. de Cler. non resid.

bus beneficiis deservire, ac in binâ Ecclesiâ residere. Igitùr supponunt sacri Canones inesse beneficiis omnibus onus residendi, & per consequens nullum genus beneficiorum esse ab illo onere exemptum. Ergò etiàm Beneficiarii merè simplices, non minùs ac alterius cujusque generis præbendarii, hoc eodem personalis residentiæ onere constringuntur.

3. Respondetur *primò*, admittendo tamquàm verissimum, quod pluralitas beneficiorum est à Sacris Canonibus interdicta, Ecclesiæ injuriosa, penèque centiès fuit ab ipsis, & à Conciliis, atque à Summis Pontificibus condemnata. Prolixam seriem Canonum eam vetantium hìc in margine damus (*a*). Concilia quoque Agathense, & Epaonense (*b*), Venetense (*c*), Coloniense (*d*), Ravennatense (*e*), Burdigalense (*f*), Nicænum II. (*g*), Parisiense VI. (*h*), Toletanum XVI. (*i*), & novissimè Tridentinum ipsummet vetant (*l*): prætèr Concilium Viennense adversus eandem pluralitatem beneficiorum altè declamans (*m*): Londinense, pro eadem eradicandâ toto conatu decertans (*n*): Lateranense III. eandem declarans Sacris Canonibus inimicam (*o*): & Coloniense II, eidem ingerens hanc censuram, quod sit studium insatiabile à Sacris Canonibus detestatum (*p*). Ex Romanis Pontificibus demùm S. Gregorius Magnus pluralitatem ipsam non semel in suis epistolis improbat (*q*). Joannes Papa XXII. prolixam edidit Constitutionem, Juris corpori insertam, quâ coacervationem beneficiorum in uno, eodemque Clerico detestatur (*r*). Et post eum Urbanus V. aliam sanctionem non longa post tempora promulgavit, in quâ totus est, ut idem vitium Ecclesiæ perniciosum radicitùs evellatur (*s*). D. Bernardus eandem detestatur (*t*): Et D. Thomas improbat (*u*).

4. Omnia hæc libenti animo confitemur, sed nihil indè. Nàm intèr cætera negamus causalem in Objectione propositam, nempè quod tota ratio prohibens pluralitatem beneficiorum, sit, quià unus non potest duobus beneficiis, aut Ecclesiis deservire. Hæc etenim nedùm non est tota ratio, sed imò nec ratio est, ad summumque dici potest, vel aliqualis congruentia, vel ratio inadequata, intentum non concludens: quippè cum defectus residentiæ suppleri possit per ministerium Clerici substituti, qui defungatur omnibus officiis à Beneficiario impendendis; ex hinc postulanda non est ratio, seu causa prohibitionis pluralitatis beneficiorum: qui etenim per alium facit, per se ipsum facere videtur (*x*): id facere, inquam, non fictè, sed veracitèr., & propriè (*y*), etiam in beneficiis: Et ità Canones antiquos, ac Patres habemus admittentes, quod Parochi plura interdùm beneficia possidere valeant, & eorum aliquibus per substitutos presbyteros deservire (*z*). Sic & Arnulphus Lexoviensis repellendum esse clamavit à limine judicii Robertum quemdam, lite fatigantem Ricardum Ursellium, super Ecclesiâ de Cormorlem parochiali, Diœcesis Bajocensis, coràm Episcopo Abrincensi Judice delegato jàm ventilatâ, quià inquiebat, *Dominus Abrincensis, vir sanè religiosus, & prudens, veritate diligentiùs inquisitâ, cognovit Ricardum plus 30. annis continuè possedisse, & per Vicarias deservisse personas, suoque jure beneficia percepisse* (*aa*). Quo vides, etiam temporibus antiquis, justissimam rem esse censitam officia, & ministeria beneficiorum, Vicariorum operâ posse quandòque obiri, & competentèr impleri.

5. Tota ergò ratio, quarè prohibita sit pluralitas beneficiorum, ad tria motiva refertur: quorum *primum* est hoc, quod in beneficiis curatis, & servitoriis eligitur industria personæ Beneficiati (*bb*). Et ità Concilium Parisiense decrevit: *Rectores Ecclesiarum, quorum singularis electa est industria, compellantur per suffraganeos nostros, quoad fieri potest ad personalem residentiam* (*cc*). Si ergo in hisce Beneficiariis electa est industria personæ, per consequens ad personalem residentiam coarctantur, quià sine personali residentiâ non potest eorum industria exerceri. *Secundum* motivum est, quod pluribus beneficiis inhiare, sapit quandam turpidinem, & speciem negotiationis, ac deformis lucri, atque

ava-

(a) *C. unic 10. qu. 3. c. cùm in cunctis de excess. prælat. c. quià intantum c. ad hæc c. esferente c. de multa de præb. c. quià nonnulli de Cler. nõ resid. c. eam te decet de ætat. & qualit.*
(b) *Conc. Agathens. c. 57. Conc. Epaon c. 9.*
(c) *Concil Veneten. an. 1367. c. 18.*
(d) *Conc. Colon. an. 1310. c. 10.*
(e) *Conc. Raven. IV an. 1317. rubr. 9.*
(f) *Conc. Burdigal. an. 1295. c. 1.*
(g) *Conc. Nicæn. II. cap. 15.*
(h) *Conc. Paris. VI. an. 818. c. 49.*
(i) *Conc Tolet. XVI. cap. 5.*
(l) *Conc. Trid. sess. 7. c. 2. 4. 5 & sess. 24 c. 17.*
(m) *Raynald. ann. 1311. 61.*
(n) *Conc. Londin. ann. 1237.*
(o) *Conc. Later. III. cap. 14.*
(p) *Conc. Colon. II. ap. Bail. to. 2. f. 468 C.*
(q) *S. Greg lib. 1. ep. 24. & l. 5 ep 20.*
(r) *Extrav execrabilis de præb.*
(s) *Urbanus V. an. 1365.*
(t) *S. Bernard. epist. 291. ad Theobald. & de Consid. l 3. c. 6.*
(u) *S. Thom. in quodlib. 9. art 15.*
(x) *Capit. qui per alium 72. de reg. jur. in 6. c. mulieres de sent. excom. l. si per eum ff. ne quis eum l. nam idem C. de accus.*
(y) *Barbo. Axiom. 92. num 1.*
(z) *Arnulph. Lexov ep. 60 ad Legatos*
(aa) *Vid. Barbos. de Paro. h p. 1. c. 8. n. 40.*
(bb) *Concil. Emerit. ann. 666. c. 12. Concil. Nannetens. Can. 8.*
(cc) *Conc. Paris. an. 1528 c. 11.*

avaritiæ (*a*). Undè Concilium Nicænum II. fanctione generali decrevit: *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium, & ab ecclesiasticâ consuetudine penitùs alienum &c. Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt à Deo &c.* (*b*). Quià ergò removenda est ab Ecclesiâ, quantum fieri potest, nedùm avaritia, turpis quæstus, & negotiatio, sed etiam eorum species, & imago; ideò pluralitas beneficiorum fuit à Sacris Canonibus, & quidèm sapientèr, atque rationabilitèr interdicta.

(a) Concil. Parif. an. 819. c. 49.

(b) Conc. Nicæn. II. cap. 15.

6. Demùm *tertium* motivum est inæqualitas, quæ causatur in bonorum Ecclesiæ distributione, dùm plura beneficia in uno, eodemque Clerico conglobantur. Et ideò Joannes Papa XXII. in suâ Extravaganti Constitutione, de hâc rè verba faciens, improbavit, *quod interdùm unus, qui unicum, quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis literatis viris, vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collatâ* (*c*). Inæqualitas autèm ista non minùs conferentibus, atque distribuentibus, quàm suscipientibus ecclesiastica bona, & beneficia vitium ingerit, ipso Divino jure damnatum, saltèm radicalitèr: ubi D. Paulus abominatur, quod *unus quidem esurit, alius autèm ebrius est* (*d*). Salvâ nihilominùs semper dignitate personarum, ad quarum majorem, vel minorem qualitatem habendus est in bonorum ecclesiasticorum distributione respectus: dignum est enim, ut qui sublimi nobilitate, doctrinâ eminenti, ac dignitate notabili preditus est, majora quoque de bonis, & beneficiis ecclesiasticis percipiat emolumenta, id etiam Sacris Canonibus Ecclesiæ approbantibus eviдentèr. Hę sunt causę vetantes pluralitatem beneficiorum, non residentiæ onus, quod cunctis beneficiis insitum sit.

(c) Extrav. execrabilis de præb.

(d) 1. Corinthior. cap. 11. n. 21.

7. Respondetur *secundò* ad Argumentum, quod Canones vetantes pluralitatem beneficiorum, loquuntur de beneficiis Curatis, atque residentialibus, & incompatibilibus, nec ullus ex eis aperte sermonem habet de beneficiis merè simplicibus, quorum in præsenti res controvertitur. Ità intelligendum esse *Capit. Singula*, in Objectione allegatum, satis ex ipsâ lecturâ patet; cumque sit sumptum ex D. Gregorio, conferendum est cum aliâ doctrinâ ejusdem Sancti, & invenietur vim ejusdem Canonis ad beneficia merè simplicia non pertinere. Insupèr quià Canon hic insertus est Decreto Gratiani, satis erit glossam illi adjectam oculis intueri (*e*). Perpendantur quoque cæteri Canones superiùs recensiti, & alii quotquot poterunt allegari; in illisque nunquàm vel ullum verbum erit facilè reperire, quod beneficiorum merè simplicium mentionem faciat, & tamen cum simus in pœnalibus, certè operæ pretium erat, quod Canones eorundem facerent individuali verbo mentionem: lex etenim non comprehendit id, quod non nominat (*f*). Hocque magis attento generalis totius Ecclesiæ stylo, & consuetudine, excludente à residentię debito Beneficiarios merè simplices. Consuetudo autem præsertim generalis, & per totum orbem ab Ecclesiâ frequentata, ex notissimis est interpres legum Ecclesiæ.

(e) Glos. in cap. Singula 1. dist. 89.

(f) Barbos. tr. var. Loc. 76.

8. Non quod Canones approbent, ac ratam habeant pluralitatem beneficiorum merè simplicium, cum potiùs hanc quoque improbent, & detestentur; sed quod Canon ille, qui ex opposito allegatur, & alii similes de his beneficiis non loquuntur. Sufficit autèm nobis ad præsens negotium, quod Canones ipsi pluralitatem beneficiorum interdicentes, de merè simplicibus non loquantur, ut eorum pluralitas vetita non censeatur: eo modo quo D. Antoninus ponderans prohibitionem retinendi plures curas animarum, indè infert, prohibitam non esse pluralitatem alterius generis præbendarum; *Undè*, inquit, *cum de illis specialitèr prohibetur, videtur hodiè concessa pluralitas præbendarum* (*g*). Cæterùm dicimus, quod antiquitùs, & in veterum Canonum sensu, (priusquàm aliud subsequentes Canones definirent) nedùm prohibita non erat pluralitas beneficio-

(g) S. Antonin. p. 3. tit. 15. c. 1. §. 9.

rum merè ſimplicium, ſed imò neque pluralitas beneficiorum reſidentialium, uti videre eſt in Conciliis Nannetenſi (*a*), Emeritenſi (*b*), Pariſienſi (*c*), Metenſi (*d*), Aurelianenſi (*e*), Nicæno II. Generali VII. (*f*), & ex Decreto Gratiani, ubi eſt Canon è D. Gregorii ſcriptis excerptus, in quo legitur Agnellum Epiſcopum Fundanum, Epiſcopatum quoque Terracinenſem inſimùl poſſediſſe (*g*), & alius eſt Canon ex Leone Papâ IV. decerptus, ubi dicitur: *Qui plures Eccleſias retinet, unam quidèm titulatam, aliam verò ſub commendatione retinere debet* (*h*). Ergò ſi antiquorum Canonum vi licita erat pluralitas beneficiorum etiam reſidentialium, multò magis licitam fuiſſe oportet pluralitatem beneficiorum merè ſimplicium.

9. Conſonant his perplures hiſtoriæ ſanctorum, piorumque virorum, qui antiquis etiam temporibus multiplicia quandòque beneficia inſimùl tenuerant. Et omiſsâ hic ponderatione, quod S. Leo IX. tenuit cum Papatu Epiſcopatum Tullenſem (*i*): Victor II. ſimùl Pontifex Romæ fuit, & Abbas Monaſterii Caſſinenſis (*l*): Alexander II. eodem tempore Romanam rexit Eccleſiam, & Epiſcopus fuit Lucenſis (*m*): ac noviſſimè ſanctæ memoriæ Innocentius XII. Neapolitanus Archiepiſcopatum patriæ ſuæ per aliquod ſpatium temporis cum Papatu retinuit; memorat S. Baſilius, quod Euphronius cum Epiſcopale beneficium Eccleſiæ Colonienſis obtineret, Archiepiſcopali quoque Nicopolitano potitus eſt, Decreto Epiſcoporum provinciæ Armeniæ, ac exindè utrumque poſſedit (*n*). In Generali Concilio Epheſino, Epiſcopi provinciæ Europeæ libellum ſupplicem Synodo porrexerunt, petentes, ut eis liceret inpoſterùm, quemadmodùm uſque tùnc fuerat more antiquo permiſſum, binos, ternoſque Epiſcopatus unà ſimul retinere: ad quæ Synodus reſpondit; ſervandum morem illum, & nihil ſuper illâ rè de novo mutandum: *Ex Sanctis*, inquit, *Canonibus*, *& externis legibus*, *quæ veterem conſuetudinem jubent vim legis habere*, *nihil innovandum in Europæ Civitatibus*, *ſed juxtà veterem conſuetudinem gubernentur ab Epiſcopis*, *à quibus & olim* (*o*). Ità res ſe habuit in Oriente: nec difformitèr eſt in Occidente obſervata.

10. Nàm in *Galliâ*, S.Hugo Archiepiſcopus Rotomagenſis inſimùl fuit Epiſcopus Pariſienſis, & Bajocenſis, atque Abbas Fontanellenſis, & Senonenſis (*p*). S. Leodegarius Epiſcopus Auguſtodunenſis, dùm in Eccleſiâ Pictavienſi Archidiaconatus dignitate fulgeret, unà quoque Abbatiali beneficio S. Maxentii fungebatur (*q*). Eandem Abbatiam Senonenſem tenuit Angilramus cum Epiſcopatu Metenſi (*r*). S. Gregorius VII. ſcribit Manaſſi Archiepiſcopo Remenſi, ſe optare, quod Abbas S. Remigii Remenſis preeſſet quoque Abbatiæ Metenſi (*s*). Flodoardus narrat, quod Artaldo Remorum pridem Antiſtiti datæ fuerunt Abbatiæ S. Baſoli, & S. Auxentii (*t*). Vormundus Abbatiam Dolenſem cum Viennenſi Archiepiſcopatu habuit (*u*). Et ne Fulradum Abbatem, Aicardum, Alcuinum, Ebbonem Remenſem, & alios alibi memoratos, repetamus (*x*). Archiepiſcopatum Rotomagenſem Rainfredus cum Abbatiâ Fontanellenſi poſſedit (*y*). In *Angliâ*, S. Oſualdus eodem tempore præfuit Archiepiſcopatui Eboracenſi, & Epiſcopatui Vorceſtrenſi (*z*). Sanctus quoque Dunſtanus ejuſdem Vorceſtrenſis Epiſcopatus eſt moderatus habenas, dùm Londinenſi præeſſet (*aa*). In *Hiſpaniâ*, Felix ſe Concilio Toletano XVI. ſubſcribens tamquàm Epiſcopum Bracarenſem, & Portugallenſem, oſtendit utramque ſedem à ſe tùnc fuiſſe poſſeſſam (*bb*). In *Germaniâ*, Milo Abbas bini Epiſcopatus Trevirenſis, & Metenſis, extitit moderator (*cc*). Memoratque Lambertus Schafnaburgenſis Archiepiſcopum Colonienſem duas regentem Abbatias Malmendrenſem, & Endarenſem: Archipræſulem Moguntinum cum Archiepiſcopatu ſuo regentem Abbatiam in Selechinitat: & Archiepiſcopum Bremenſem duabus fruentem Abbatiis, Corbejenſi, & Laurenſi (*dd*).

11. In *Belgio*, habemus epiſtolam Stephani Tornacenſi, non audentis privare

pre-

(a) *Conc. Nannet. cap* 8.
(b) *Concil. Emerit. an.*666.*c.*12.
(c) *Conc. Pariſ.VI. c.*49.*ann* 829.
(d) *Concil. Metenſ. an.*878 *c.*3.
(e) *Conc. Aurel III. cap* 18.
(f) *Conc. Nicæn.II. cap* 15.*in fin.*
(g) *Cap.*5.*&*6.*cauſ.* 21 *qu* 1. *ibi gloſſa.*
(h) *Cap* 3 *cauſ.* 21. *qu* 1 *& ibi gloſſ.*
(i) *Card. Baron. an.* 1053.*n.*34.
(l) *Leo Oſtienſ. in Chron. Caſſin. lib.* 2. *c.*97.98.
(m) *Vid. ſupr. to.*1. *col* 8.*n.*15.
(n) *S.Baſil. ep.* 290.
(o) *Concil. Epheſin. Act.on* 7.
(p) *Martyrol. Gall.* 9. *April ſeries Archiepiſc. Rotom n* 25. *Thomaſſ p.*2.*l.*3.*c.*2 *n* 16.
(q) *Duchesne to* 1. *f.*218. *Thomaſſ p.*2.*l.*2 *cap.*2.*n* 7.
(r) *Spicileg. to.*1.*an.* 739 *f.*217.
(s) *S. Greg. VII. l.*2. *epiſt.*51.
(t) *Flodoard. hiſtor. Remenſ l.*4.*c.*28.
(u) *S.Greg VII.lib.*6 *ep.*27.28
(x) *Vid in Indic hujus oper V beneficium.*
(y) *Spicil loco citat. Thomaſſ p* 2.*l.*3.*cap.*3. *num* 12.
(z) *Surius in vit. S.Oſuald die* 15.*Octobris.*
(aa) *Surius in vit. S. Dunſtan. die* 19. *Maii.*
(bb) *Conc.Tolet.XII in ſubſcript.*
(cc) *Vid. ſeriem Archiepiſc.Trevirenſ. nu.* 58 *&* *Metenſ.n.*27.
(dd) *Lambert Schafnabur. an.*1063.*& educatio.*

præbendis Canonicos suæ Cathedralis, alibi beneficia possidentes, sed solis plenis stipendiis, sive distributionibus quotidianis, pro ratione servitii (*a*). In *Italiâ* præter alia occurrit memoria Stephani II. sive III. Papæ, qui Anscauso Episcopo Pompiliensi, Monasterium S. Hilarii Galiatensis contulit, toto suæ vitæ tempore possidendum (*b*). Memorat quoque Luitprandus, quod Manasses Arelatensis præfuit Ecclesiis Mediolanensi, Mantuanæ, ac Tridentinæ (*c*). In *Oriente* quomodò se res habuerit, ex jàm dictis superiùs enitescit: quibus addimus Theodorum Balsamonem, asserentem extrà urbem Constantinopolis liberum fuisse Clericis in duabus Ecclesiis constitui, sive in eis beneficia possidere; quod etsi prohibitum esset intrà eandem urbem vi Canonis Ephesini (*d*); tamen id non servabatur, inquiens. *In reginâ autèm Urbium, non solùm in duabus, sed etiam in pluribus Ecclesiis constituuntur. Ut est autèm verisimile præsens Canon neglectus est habitus, eò quod non puniantur ejus infractores, vel propter Ecclesiarum multitudinem, vel propterea quod, qui digni sunt, unà cum rebus ipsis in angustium contracti sunt* (*e*). Ex quibus patet, quod tàm secundum Canones antiquos, quàm secundum antiquam praxim Ecclesiæ pluralitas beneficiorum fuit permissa. Quæ si permissa fuit in beneficiis residentialibus, & curatis; multò magis locum habuit in beneficiis merè simplicibus.

(a) *Stephan. Tornac. epist. 8.*

(b) *Vid. post epistolam 29. Pauli Papæ I. ap. Binis to. 5. f. 522. E.*

(c) *Luitpr. ap. Bin. to. 7 Conc. pot. in vit. Leon. VII f. 174.*

(d) *Conc. Ephesin. II c. 1. in fin.*

(e) *Theodor. Balsam. in Can. 15. Concil. Nicæn. II.*

12. Hinc perperàm decantatur, eandem rationem, quæ urget adversus pluralitatem beneficiorum residentialium, afficere quoque adversus pluralitatem beneficiorum merè simplicium. Nàm in primis hoc merè gratis asseritur, cum longè diversæ rationes concurrant in beneficiis residentialibus, quę non prævalent in merè simplicibus: Undè quidquid fit, an aliquis Auctor ex privatâ ejus opinione, vel ad opportunitatem suæ causæ, vel in alio sensu, posuerit æqualitatem inter utriusque generis beneficia; certè tamen diversæ rationes præfatæ aliud exposcunt. Secundariò, si ex hucusque relatis, etiam beneficiorum residentialium pluralitas aliquandò fuit admissa, tàm secundum priscos Canones, quàm secundum antiquum Ecclesię morem; multò magis licere nùnc debet pluralitas beneficiorum merè simplicium. Pręterquàmquod dato etiam, & non concesso, quod eadem prorsus ratio concurreret in utrisque beneficiis, adhùc tamen hinc non concluditur obligatio residentię in beneficiis merè simplicibus: quippè optimè stare potest, quod alicui non sit licitum duo simùl beneficia merè simplicia possidere, & tamen quod, qui eadem beneficia possident, ex vi neutrius residentię debito constringantur: cum pluralitas beneficiorum, ut mox vidimus, non sit interdicta ratione obligationis residentiæ, sed aliis ex causis.

13. Respondetur *tertiò* ad Argumentum, quod quatenùs etiam daremus tamquàm verum pluralitatem beneficiorum merè simplicium esse prohibitam, hoc intelligendum esset *primò* salvâ potestate Ecclesię sanciendi, & admittendi eandem, & super ipsâmet dispensandi, ut mox dicemus: Nàm si dispensat super ploralitate beneficiorum residentialium, prout accidere cernimus in Germaniâ, ubi unus, & idem quandòque pluribus præest Episcopatus, vel plures possidet Canonicatus, & Dignitates in Cathedralibus; multò magis dispensare potest in pluralitate beneficiorum merè simplicium. *Secundò* id esset intelligendum ad summum de jure antiquo, non verò de jure novo, quod in Ecclesiâ observatur, & pluralitatem beneficiorum merè simplicium admittit (*f*). *Tertiò* esset intelligendum salvâ contrariâ consuetudine generali, per omnes nationes Christianitatis frequentatâ, per totam Ecclesiam observatâ, & ab infinitis viris piis, sanctis, & religiosis ad effectum perductâ, quàm in iis, quæ ad fidem non pertinent, sectandam esse, & imprævaricabilitèr custodiendam clamant uno ore Patres (*g*), atque ecclesiasticæ leges (*h*). Nèc eam sine notâ magnæ temeritatis impugnari posse certum est. Eamque individuè in beneficiorum pluralitate attendendam esse definivit Concilium generale Ephesinum superiùs memoratum constat eo quod

(f) *Cap. conquerente de Cler. non resid. cap. de multa de preb.*

(g) *S Greg. l. 1. ep. 79 l. 7. ep. 81. S. Hier. epist. 28 ad Lucinum S. August. epist. 118. ad Januar.*

(h) *Cap. 3. cum plur. seq dist. 12.*

quod & Sacri Canones, & civiles leges *veterem conſuetudinem jubeant vim legis habere* (a).

14. Præſertim quod, ſi vellemus conſuetudinem hanc damnare, oporteret penè totam Eccleſiam damnare, ac pœnis infernalibus deſtinare infinitos viros ſanctos, ac reſpectivè pios, & probos Clericos, Presbyteros, Diaconos, & Epiſcopos, qui ab initio Chriſtianæ fidei, uſque ad præſentem ætatem plura beneficia poſſederunt, & tùnc actualitèr poſſident, Itali, Galli, Hiſpani, Germani, Hungari, Luſitani, Poloni, Neapolitani, Siculi, Sardi, & omnium Nationum Clerici: quod nec ſine impietate affirmari poteſt, nec ſine dementiâ contendi; eſtque tanti ponderis hæc ratio, ut eam in propoſito, de quo agimus, D. Antoninus non obnuat allegare, ex mente celeberrimi Canoniſtæ Hoſtienſis, Natione Galli, quem laudat Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis (b), & de quo ipſe D. Antoninus ait: *Quod liceat habere plures præbendas, vel beneficia, arguit, & intèr alias rationes has inducit, quia nimia multitudo damnabitur, ſi dicotur eſſe mortale, & qui nimis emungit, elicit ſanguinem, diſt. 4. deniquè. Nèc jura contraria ſunt recepta diſt. 4. §. leges, & per conſuetudinem videtur Papa diſpenſare quaſi tacitè: ad hoc facit cap. de multâ de præbend.* (c).

(a) *Concil. Ephes. Act. 7 Thomaſſin. p. 2. lib. 3. c. 8. n. 8.*

(b) *Bellarmin. de Script. Eccleſ. in Henric. Oſtienſ.*

(c) *S. Antonin. Sum. 3. p. tit. 15. c. 1. §. 9.*

15. Reſpondetur *quartò*, quod iterùm dato, ſed non conceſſo, prohibitam eſſe beneficiorum pluralitatem, præſertim merè ſimplicium: adhùc tamen hæc prohibitio non ſubſiſteret, niſi, ut innuimus, ubi deeſſet legitima diſpenſatio (d). Eſtque de hoc textus expreſſus in jure ſanciens: Contingit, *quod unus interdùm etiam ad unum beneficium eccleſiaſticum minùs idoneus in diverſis Eccleſiis, nedùm vicinis, ſed etiam ab invicem longè diſtantibus, imò nonnunquàm in diverſorum Regnorum partibus ſituatis, duas, aut tres, aut plures dignitates, perſonatus, officia, ſeu prioratus, aut diverſa eccleſiaſtica beneficia, curam animarum habentia, poſſit diſpenſatione, cum olìm non liceret de jure communi recipere, & ſimùl licitè retinere* (e). Conſonant & alii Canones (f). Jàmque nedum non revocatur in dubium, an ſuper pluralitate beneficiorum diſpenſari poſſit, ſed quæritur, an juſtâ causâ concurrente, debeat diſpenſari, de quâ rè eſt gloſſa notabilis, ità loquens, an diſpenſatio *ſit debita, ubi ſubeſt cauſa, & quo jure peti poſſit, & an peccet non diſpenſans, ubi cauſa ſubeſt: vide quod not. in d. cap. ut conſtitueretur, & exigunt, & 50. diſt. Domino Sancto* (g).

(d) *Gloſ. in c. ſingula V. ſinguli 1. diſt. 89.*

(e) *Extrav. execrabilis de præb.*

(f) *Cap. 1. in fine c. 2. & 5. Cauſ. 21. qu. 2.*

(g) *Gloſ. in d. extrav. execrabilis V. diſpenſativè de præb.*

16. Tota ergo difficultas reſtringitur in caſibus practicis, ad videndum, an dum aliquibus plura beneficia tribuuntur, adfuerit juſta cauſa, ut eis conferrentur nec nè. Nàm ſi causâ juſtâ concurrente diſpenſari poteſt ſuper pluralitate beneficiorum reſidentialium, proculdubio diſpenſari quoquè poteſt ſuper pluralitate beneficiorum merè ſimplicium. Intèr cauſas autem ſuper hâc re diſpenſandi, una eſt dignitas, nobilitas, & prærogativa perſonæ, beneficiis eccleſiaſticis decorandæ (h): Juſtum eſt enim, ut quantò aliquis eſt doctrinâ, & notabili nobilitate inſignis, tantò amplioribus, pluribuſque beneficiis, muneretur (i). Quæ ratio tam gravis ponderis reputata eſt olim in Concilio Londinenſi, tempore Gregorii Papæ IX. celebrato (l), ut inſtante Othone Cardinali Legato prò extirpandâ pluralitate beneficiorum; *Epiſcopus Vvigornienſis Vvalterus ſciliceèt de Cantelupo, ſurgens in medio, depoſitâ mitrâ ſuâ, ſic Dominum Legatum eſt effatus: Pater Sancte cum multi Nobiles, quorum ſanguis noſter eſt, plura obtineant beneficia, eum quibus nondùm diſpenſatum eſt, quorum etiàm aliqui provectæ ſunt ætatis, & uſque ad præſens honorificè vixerunt, & hoſpitalitatem ad poſſe procurando, eleemoſynas patentibus januis erogarunt; Durum eſt nimis tales ſuis beneficiis ſpoliatos in ignominioſam tradi paupertatem &c.* (m).

(h) *Gloſ. in c. conquerente. V. ſufficientia de Cler. non reſid. S. Antonin. loc. cit.*

(i) *Fagnan. in c. 4. num. 13. de præbend. lib 3.*

(l) *Concil. Londin. an. 1237. ap. Bin. to. 7. Bal to. 2 f 423.*

(m) *Matth. Pariſius ann. 1237.*

17. Sed quid alia quærimus, ſi expreſſos textus in jure habemus, cavendes, locum eſſe diſpenſationi ſuper pluralitate beneficiorum propter perſonarum ſublimitatem? Audiatur textus ipſe, de pluralitate præfatâ ſic decernens: *Circà ſublimes tamèn, & literatas perſonas, quæ majoribus ſunt beneficiis honorandæ:*

norandæ; cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari (*a*). Et alibi. *Cardinalibus tamèn S. Romanæ Ecclesiæ, qui circà nos universali Ecclesiæ serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt, ac Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem, sunt potioris prærogativâ gratiæ attollendi, dumtaxat exceptis &c.* (*b*). Undè nec sine causâ, nec sine juris assistentiâ semper fuit in Ecclesiâ observatum, ut quoàd Clericos, doctrinâ, sanguine, & dignitate eminentes, dispensatio concederetur super plurium beneficiorum consecutione, eorumque licitâ retentione: Per talem nàmque dispensationem consulitur bono publico (*c*).

18. Prætèr causam verò sublimitatis personæ, doctrinâ, dignitate, aut nobilitate eminentis, aliæ duæ causæ assignantur, propter quas licitum est super pluralitate beneficiorum dispensare, nempè causâ utilitatis,& necessitatis (*d*). Causam utilitatis passim admittunt Doctores (*e*): sed & glossa eam approbat (*f*). Ideòque quotiès Superior, consideratis considerandis, judicat expedire, ac esse utile, quod cum aliquo super pluralitate beneficiorum dispensetur; dispensatio licita est, rationabilis, ac legitima. Multò fortiùs autem licita est ex causâ necessitatis (*g*): quâ de rè nulli, qui mentis non patiatur defectum, potest esse ambiguitas, & dubitatio. An autem dispensatio hæc fit à Summo Pontifice concedenda, vel etiam valeat ab Ordinario loci conferri; non est necesse hìc fusiùs perscrutari: satisque est dicere super incompatibilibus beneficiis solùm Papam, super compatibilibus verò tàm Papam, quàm etiam Episcopum intrà propriæ Diœcesis limites dispensare, quandò, & in quibus casibus, videndi sunt Canonistæ, ad quos Lectorem nostrum remittimus (*h*).

19. An autem ad hoc ut valida, & licita sit dispensatio, debeat adesse causa gravis, aut levis eam interponendi; res est requirens altiorem indaginem. Aliqui tenent, quod nec etiam Papa sine justâ causâ valeat super beneficiorum pluralitate dispensare (*i*): Alii alitèr censent. Consultat idcircò Lector Auctores, si de hâc rè plura desiderat. Non satis ergò tutè dicitur, quod pluralitas beneficiorum interdicta sit jure naturali, aut divino; quippè multi Doctores opinantur, illam esse solo ecclesiastico jure prohibitam (*l*), consertque ad hoc praxis, & effectus, à quo validum deducitur argumentum (*m*). Cùm enim Ecclesia non valeat nec super divino, nec super naturali jure dispensare, possit autem dispensare, & quotidiè dispenset super pluralitate beneficiorum; necessariò consequitur, quod ipsa pluralitas nequè divino, nequè naturali jure sit interdicta: Imò aliquandò utilius esse Ecclesiæ, & fieri rem Deo magis gratas, meliusque esse inquit Marchinus, *plura uni Sacerdoti pio, docto, & prudenti beneficia conferri propter Sacerdotum paucitatem, quam singula singulis ineptis dari, & omnibus illis satisfiat* (*n*). Sed fortè res hæc aptiùs in casibus practicis deliberatur juxtà exigentiam locorum, temporum, & personarum, quam de illâ speculativè fiat sermo.

20. Licitum est itàque, justis concurrentibus causis, dispensare super pluralitate beneficiorum etiam residentialium: ergò multò magis id est licitum super pluralitate merè simplicium. Quæ dispensatio vel fiat expressè à superiore, vel tacitè per Ecclesiam, scientem, & non improbantem consuetudinem ipsius pluralitatis (*o*); dat justam causam Beneficiariis merè simplicibus ipsa sua beneficia retinendi, & apud ea non residendi. Nàm quià dispensatio præfata super pluralitate beneficiorum necessariò includit dispensationem super residentiâ ipsorum, si eam de sui naturâ requirant (*p*); restat quod multò fortiùs censendi sint dispensati: quatenùs opus esset, Beneficiarii merè simplices ab onere residentiæ: Sicque à pluralitate beneficiorum nihil præsidii capere possunt Contradictores, vi cujus persuadere valeant ullo modo, quod Beneficiarii merè simplices onere personalis residentiæ constringantur.

21. Respondetur *quintò* ad Argumentum, quod pluralitas beneficiorum, anima-

(a) *Cap. de multa in fin. 28. de præbend.*

(b) *Extrav. execrabilis de præbend.*

(c) *Fagnan in c. dudum n. 17. 18. de elect. lib. 1.*

(d) *Glos. Marginal. ad c. de multa V. per Sedem 28. de præb.*

(e) *Vid. Fagnan. in c. dudū de elect l. 1. & in c. quia in tantum de præbend & in c. super. inordinata de præben. lib. 3.*

(f) *Glos. in c. singula V. eodem 1. dist. 89.*

(g) *Glos. in cap. de multa V. per Sedem de præbent & in Extrav. execrabilis V. dispensatiuè eod. tit.*

(h) *Vid. Fagnan. loc. citat. & in cap. referente, in c. de multa, in c. cum jam dudum, in c. ad hæc, & aliis cap. de præbend. l. 3.*

(i) *Vid Dianam par. 10 tract. 13 res. 1. & Coordin. tom. 1. tr. 2. res. 172. cum aliis ab eo alleg.*

(l) *Innocent. in cap. cum jam dudum de præbend. Zabarel. in Clem gratiæ de rescr. quæst. 19. Vers. Vento.*

(m) *Cap. at si Clerici de judic. c. cum cessante de appell.*

(n) *Philib. Marchin. de Ordin. tr. 2 p. 6 cap. 10 n. 21. f. 293.*

(o) *S. Thomas quodlib. 9. art. 15. circ. fin. S. Antonin. Sum. 3. par. tit. 15. c. 1. §. 9.*

(p) *Fagnan. in c. dudum el. 2. num. 25. de elect. lib. 1.*

animarum curâ carentium, probabilitèr poteſt, vel ſaltèm juxtà vetuſtiora jura potuit, etiam ſine diſpenſatione, à Clericis retineri: Rationem dat D. Thomas integro articulo ſuper hâc difficultate propoſito, in quo quęrit: Utrum habere plures præbendas ſine curâ animarum, abſque diſpenſatione, ſit peccatum mortale, & reſpondet negativè, quià hujuſmodi pluralitas non eſt ex actibus de ſui naturâ ſuper malis, ſed eſt actus, qui, aliquibus juſtis concurrentibus circumſtantiis, poteſt eſſe bonus: & ſic ſecundùm jus naturale, nullam videtur inordinationem involvere. Jus quoquè poſitivum non ei obſiſtit, quià eſt contrariâ conſuetudine abſumptum. Quarè ſi pluralitati beneficiorum naturale jus non reſiſtit, & *ſi antiqua jura ſunt per conſuetudinem abrogata, tùnc prædictis circumſtantiis ſupervenientibus, etiam ſine diſpenſatione licitum eſt plures præbendas habere, ſine quibus circumſtantiis licitum non eſt* (a).

(a) *S. Thomas quolib. 9. art. 15.*

22. Aliam etiam optimam rationem allegat D. Thomas, & eſt ſequens: *Illud, quod vergit in commune periculum, non eſt ab Eccleſiâ ſuſtinendum: ſed Eccleſia ſuſtinet, ut aliqui communitèr habeant duas præbendas: ergò in hoc non eſt periculum peccati mortalis* (b). Et ſanè ſi pluralitas beneficiorum eſſet damnabilis, ſecùm traheret damnationem majoris partis Eccleſiæ, cum in eâ infiniti ſint Clerici pluribus præbendis eccleſiaſticis decorati: Non eſt autem credibile hos damnari, neque Eccleſiam ſibi perſuadere, quod Clerici ipſi in ſtatu ſint damnationis, alioquin non deberet iſtud permittere. Tangit hanc, & alias rationes Diana plures allegans Doctores pro pluralitate ipsâ ſentientes, quippè *ità conſuetudo obtinuit, & ſervat, quam Papa ſcit, & tolerat, & conſequentèr excuſat, & reddit licitam dictam pluralitatem, & alitèr dicendo eſſet illaqueare multas animas, vel, ut inquiunt, totus mundus eſſet in ſtatu damnationis: conſuetudo enim generalis poteſt de illicito facere licitum, & è converſo. cap. cum olim de cler. Conjug.* (c). Utitur D. Thomas verbo *præbendæ*: per quod ſi intelligit de beneficiis merè ſimplicibus, jam ſecundum ſententiam iſtius Doctoris plura beneficia merè ſimplicia licitum eſt inſimùl retinere. Si verò loquitur de beneficiis reſidentialibus, prout ſunt Canonicatus, & Præbendæ chorales; jam ejus ratio deducta à majori ad minus eſt efficax (d). Nàm ſi beneficiorum reſidentialium eſt licita, vel ſaltèm Divi Thomæ tempore licita erat poſſeſſio, etiam ſine diſpenſatione; multò magis licita eſt in ſe pluralitas beneficiorum merè ſimplicium, & cum diſpenſatione, quando illa opus eſt.

(b) *S. Thom. loc. cit. in Argum. Sed Contr.*

(c) *Diana par. 10. tr. 13. reſ. 1. & coord. to. 3. tr. 2. reſ. 172. n. 3.*

(d) *Vid. Barboſ. trac. var. Loco 67.*

23. Poſſent Contradictores opponere, ex Thomâ Cantipratenſi, quem citant, cum Guillelmo Pariſienſi, & aliis, exemplum ab eo relatum, cujuſdam Philippi Cancellarii Pariſienſis, quem dicit poſt mortem præfato Guillelmo apparuiſſe, ac miſerrimè falſum eſſe, ad pœnas inferi ſe damnatum propter plura, quorum unum fuit pluralitas beneficiorum (e). Poſſent etiam opponere terribilem illam ſententiam D. Bernardi clamantis, *qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis, non unus, ſed plures erit in ſuppliciis* (f). Sed quoad primam partem, quæ reſolvitur in merâ, & privatâ, nec per Eccleſiam, quod ſciamus, approbatâ, unius hominis revelatione attendendâ; cum nos divinum eloquium doceat, *nolite credere omni ſpiritui* (g); poſſet veritas hujuſmodi revelationis in dubium revocari: Et fortè ſi ad hoc argumentum reſpondere deberet celeberrimus Cajetanus, diceret id, quod de aliâ revelatione, ſibi parum probatâ, eſt effatus; nimirùm hæc eſſe, vel eſſe poſſe *phantaſias, vel etiam figmenta pro mulierculis, nec digna, de quibus verba fiant* (h): quippè ſi revelatio hæc admittatur pro verâ, major pars Clericorum erit ad inferos condemnata: quod an admitti debeat, patet ex mox firmatis, & de eo prudens, ac doctus Lector judicet ex ſe ipſo.

(e) *Thom. Cantiprat. lib. 1. Apum c. 19. n. 5.*

(f) *S. Thom. quodl. 9. art. 15.*

(g) *I. Joann. cap. 4. num. 1.*

(h) *Cajet. Opuſc. tom. 1. tr. 1. c. 5. § nove.*

24. Nos tamèn benigniori animo, ad utramque partem oppoſitionis reſpondendo; dicimus, tàm narrationem Thomæ Cantipratenſis, quàm ſententiam D. Bernardi, verificari poſſe de beneficiis reſidentialibus, præſertim curatis,

non

non verò de merè simplicibus: vel verificari de utrisque, non in sè, sed uti sine legitimâ dispensatione susceptis: crebrò enim contingere potest vel dispensationem non fuisse interpositam, vel non ex justis causis fuisse collatam, vel fuisse per subreptionem, aut obreptionem extortam, in quibus casibus procùldubio pluralitas beneficiorum mortalem culpam involvit (*a*). Vel utramque narrationem verificari de coacervatione beneficiorum ultrà id, quod opus sit Clerico ad congruum ejus statum. Vel adhùc meliùs dici potest utrumque Auctorem intelligendum esse, non de pluralitate beneficiorum præcisâ, sed potiùs de malo usu redituum, ex beneficiis perceptorum; qui etenim his abutitur, in culpâ est, abscondens in terrâ pecuniam domini sui, quam ad comparandum sibi lucrum acceperat, si ea benè usus fuisset: Itàque, ut ait D. Bernardus, sicut fuit non unus, sed plures in beneficiis; ità non unus, sed plures erit in suppliciis. Verùm hæc culpa non minùs occurrere potest in singularitate, quàm in pluralitate beneficiorum.

(a) S Thom. quodl 9. art. 15 in fin. Gullielm. Paris. de Coll. benef. cap. 6.

25. Cæterùm D. Thomas quæstionem formitèr ventilando, *Utrum ille, qui habet plures præbendas, peccet*, non eo facile pergit, ut asseveret quod peccet (*b*). Quis ergò condemnabit quem tantus Doctor non damnat? Sed demus ex abundanti, quod possidens plura beneficia, etiam merè simplicia, culpam incurrat, peccet, in conscientiâ sit reus: quid inde? non propter hoc probatur intentum Contradictorum, quod Beneficiarii merè simplices ad residentiam personalem teneantur: quandoquidèm, uti notavimus, pluralitas beneficiorum non est interdicta propter debitum residentiæ inhærens Beneficiario, sed propter alias causas superiùs allegatas: Adeòque argumentum ex pluralitate beneficiorum deductum, nihil proficit causæ Contradictorum.

(b) S. Thom. quodl. lib. 8. art. 13.



CAP.

CAPUT XXXIV.

In quo refellitur QUARTADECIMA OBJECTIO, *illùc directa, ut ostendat Clericos, Romanæ Ecclesiæ deservientes, Ecclesiæ Universali non deservire, ac proindè teneri apud Ecclesias, in quibus beneficia simplicia obtinent, personalitèr residere.*

SUMMARIUM.

1 Decima quarta Objectio de *Clericis Romæ residentibus, quod non serviant Ecclesiæ Universali, & de Card. Bellarmino renuente Romæ morari cum retentione Archiepiscopatus.*

2 *Papa est Episcopus Universalis Ecclesiæ, & in quo sensu. Lutherus id impugnavit, nolens vim veritatis intelligere in disputatione Lipsianâ.*

3 *Antiqui Scriptores Regni Neapolitani, ut S. Thomas, & Joannes de Neapoli dictant, quod Papa est Episcopus Universalis Ecclesiæ.*

4 *Servire Ecclesiæ Universali non est ratio cur Beneficiarii simplices exempti sint à residentiâ, sed aliis rationibus hæc immunitas innititur.*

5 *Objectio Contradictorum sive concedatur, sive negetur, nil proficit: non soli enim Clerici Romæ degentes, sed alii quoque beneficia simplicia possident, alibi commorantes.*

6 *Clerici, Sedi Apostolicæ deservientes, serviunt Universali Ecclesiæ, & reputantur pro præsentibus apud propria beneficia residentialia.*

7 *Hocque non fictione juris, sed verè, & realitèr: Nulla enim est in Canonibus dictio, quæ hanc fictionem juris ostendat.*

8 *Fictio juris imitatur naturam, operando in casu ficto, quod operetur veritas in casu vero, quemadmodùm contingit in rè judicatâ, in adoptione, in civilitate &c.*

9 *Clerici occupati in servitio sui Episcopi, vel Cardinalis titularis, vel Legati, habentur pro residentibus apud suas Ecclesias.*

10 *In eis fictio juris quoàd residentiam, non minùs salvaret ipsos in conscientiâ, quàm salvent aliæ fictiones juris.*

11 *Licitum est Beneficiariis residentialibus ob Reipublicæ utilitatem, & multò magis ob servitium Sedis Apostolicæ à suis Ecclesiis abesse.*

12 *Vel una, vel plures ex causis admissis à Concilio Tridentino, in servientibus Apostolicæ sedi concurrant, pro residentibus apud suas Ecclesias habentur.*

13 *Romæ morantes S. Sedis servitio non addicti, hi non habentur pro residentibus: tamèn hoc in Beneficiariis merè simplicibus nihil afficit.*

14 *Morantes in Curiâ ad quæstum proprium, pro residentibus non habentur. Sed hoc non arctat Beneficiarios simplices ad residentiam.*

15 *Clericos Apostolicæ Sedi servientes haberi pro residentibus, dudùm antè translatam Sedem ipsam ad Urbem Avenionensem censebatur.*

16 *Quod plura mala secuta sint ex dictâ translatione, hoc nihil facit alligandos residentiæ onere Beneficiarios merè simplices.*

17 Car-

17 *Cardinalis Bellarminus fuit vir insignis doctrinâ, & probitate: tamèn ejus facta non dant legem necessariò observandam.*
18 *Noluit retinere Ecclesiam Capuæ, Romæ interìm commorando. At dirigendam sumpsit Ecclesiam Politianensem in absentiâ Ubaldini Episcopi.*
19 *Interdùm unus, vel plures faciunt opera opposita, quæ non cadunt sub præcepto: ut fecerunt S. Paulus, Centurio, Zachæus, & alii.*
20 *Etsi Bellarminus ut suprà retinere Capuanam Ecclesiam detrectavit; Alii tamèn pii viri non dubitarunt contrarium facere.*
21 *Benè fecit Bellarminus ità se gerendo, & benè fecerunt alii oppositum agendo. Interdùm pii viri laudabilitèr contraria opera faciunt.*
22 *Anastasius Cardinalis depositus fuit, quià à suo Titulo aberat sine licentiâ, & Antipapatui sibi assumendo totus incumbebat.*
23 *Ille Cardinalis non aberat in servitio Sedis Apostolicæ. Tituli Cardinalitii quid ab initio essent? Olim obligabant ad residentiam.*
24 *Bulla Bonifacii VIII. in Objectione posita, non loquitur de beneficiis merè simplicibus, neque de absentibus in servitio Sedis Apostolicæ.*
25 *Pontifex ibi tollit licentias non residendi concessas personis, non verò beneficiis, qualia sunt merè simplicia, carentia onere residentiæ.*

1. BJICIUNT *Decimoquarto* Contradictores, hoc modo. Intantum fautores exemptionis Beneficiariorum merè simplicium à debito residendi, eos ab hoc onere absolvunt, in quantum autumant, quod fictione juris illi, qui Romæ resident, ubilibet residere censeantur, tamquàm qui serviant Ecclesiæ universali (*a*). Sed hæc ratio nullius est ponderis, & momenti, tùm quià hic est merus prætextus à Fleurio detestatus, natusque eo tempore, quo translatâ Avenionem Sede Pontificali, tota cæpit pietas, ac vetus, & sancta disciplina confundi: tùm etiam, quià fictio juris afficit quidem pro foro fori ad eximendum homines à pœnis forensibus; non verò pro foro poli ad reatum culpæ coràm Deo declinandum, uti docent Cajetanus, Sotus (*b*), Fagnanus, Thomassinus (*c*), & Natalis ab Alexandro (*d*). Favet exemplum Cardinalis Bellarmini, qui maluit Episcopatum Capuanum dimittere, quàm illum Romæ commorando tenere (*e*). Favet exemplum Leonis Papæ III. qui Anastasium Cardinalem, in suâ Ecclesiâ non residentem, deposuit (*f*). Favet tandèm decretum Bonifacii VIII. qui permanentiam in Romanâ Curiâ à justis causis non residendi prorsus excludit. Ergò Romæ morari non est causa sufficiens ad eximendos Beneficiarios merè simplices ab onere residendi.

2. Ad hoc Argumentum radicitùs evertendum, non abs re esset de titulo Episcopi universalis Ecclesiæ fusiori stylo sermonem habere, quandòquidem titulum ipsum Contradictores Romano Pontifici nullatenùs dubitant denegare. Sed quoniam de hàc rè nos alibi ex proposito disseruimus; illùc lectorem remittimus, ne ibi dicta hìc denuò repetamus (*g*). Unum est, quod Summus Pontifex est Episcopus universalis Ecclesiæ: titulumque Papæ universalis ei attribuunt, atque ità de illo sentiunt & Canones (*h*), & Concilia (*i*), & Patres (*l*), & Theologi (*m*), & Jurisconsulti (*n*), & Historici (*o*), & Reges, ac Principes (*p*), & Episcopi (*q*), & alii, quos ubi suprà, dùm ageremus de hoc titulo, fusiùs allegavimus. Episcopus universalis Ecclesiæ, inquam, non in essendo, sed in causando: non ut sponsus immediatus, & proprius cujuslibet particularis Ecclesiæ: sed ut sponsus totius Ecclesiæ universalitèr sumptæ, quæ ab uno Capite Christi Vicario, & Petri successore, dirigitur, & gubernatur (*r*). Distinctio hæc optimè rem totam explicat, & significat. Alii rem ipsam exponunt, dicendo, Papam non esse Episcopum universalem, sed Episcopum universalis Ec-

(a) *Cajetan. 2. 2. qu. 185. art 5. Natal. ab Alex. Theol. lib. 2. reg. 36.*
(b) *Cajetan. loc. cit. Sot. de just. & jur. lib. 10. qu. 3. art. 5. vers. si autem necessitas.*
(c) *Fagnan. in c. ex parte de Cler. non resid. n. 85. Thomass. p. 2. l. 2. c. 33. n. 10.*
(d) *Natal ab Alex. loco cit.*
(e) *Bellarm. ep. 241.*
(f) *Cap. 2. de Cler. non resid.*
(g) *Cap. final. de rescript. in 6.*
(h) *Vid. suprà to. 3. cap. 10. & 11.*
(i) *Cap. 7 & 15. caus. 2. qu 6.*
(l) *Conc. Remens. an. 1049 ap Bin. to. 3. p 1. fol. 258.*
(m) *S. Petr. Dam. l. 1. ep. 17. & opusc. 23. de brev. vitæ S Thom. de error. Græc. opusc. 19.*
(n) *Bellarm. de Pontif. Cajetan de primatu Ecclesiæ c. 13. ad 5. Boetius Epo de jur. Sacr. l. 1. c. 4. n. 283.*
(o) *Tarrecr. in c. in novo n. 6. dist. 21. Solva de benef p. 2. qu. 1. n. 18. Barbos. jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. n. 12.*
(p) *Baron. to. 8. ann. 595. fol 64. 68. Ciacon. vit. Pontif in Bonif. III*
(q) *Bzovius de Pontif. c. 6. Thomass. p. 1. l 1. c. 56. num 8. in fin. Baron ann. 519 f. 35.*
(r) *Baron. ann. 649. n. 13 vid & inter epistolas Steph. VI. quod Bin. to. 7. f. 131.*

Ecclesiæ: quam distinctionem, non minùs temerè, quàm ignavissimè deridebat impius Lutherus, teste Cardinali Pallavicino, quando effutiebat, *che haveva cavato da tante spese nella disputatione di Lipsia l'imparare, che il Papa non era Vescovo universale, mà benì Vescovo della Chiesa universale. E pure basta il sapere leggere, à fin di vedere, che tal è per appunto secondo il senso di què Papi, i quali rifiutarono il titolo di Vescovi universali: poiche ne allegarono per ragione, che quindi parrebbe, che gl'altri non fosser Vescovi. Non volevano pertanto essi quell'intitolazione, la quale potesse importare, che il Papa sicome è di Roma, così fosse Vescovo d'ogn'altra Chiesa. Mà non negarono, ch'egli fosse Vescovo della Chiesa universale, cioè in quanto ella non si considera divisa in varie Diocesi, mà si prende come una, e richiede un capo visibile, che la governi* (*a*).

(a) Pallavic. Istor. del Conc. l. 1. c. 17. n. 3.

3. Titulum *Papæ universalis* datum centiès Romanis Pontificibus à Patribus, Conciliis, Imperatoribus, Regibus, Scriptoribus Ecclesiasticis, aliisque primariis viris, vidimus suprà (*b*). Huncque eundem sensum habere quoque de Papâ Contradictores nos, modestè de illis cogitando, censemus; tametsi, vel tamquàm Politici suggerendo, vel tamquàm Advocati scribendo, potius ad opportunitatem suæ causæ, quàm ad sinceram animi sui opinionem declarandam, in dubium revocaverint, an Summus Pontifex sit Ecclesiæ universalis Episcopus: Alioquin nimiùm discordare invenirentur à majoribus suis, à celebrioribus inquam Scriptoribus Regni Neapolitanis, quos inter Angelicus D. Thomas adversus errores Græcorum strenuè tuetur Papam esse Ecclesiæ universalis Episcopum (*c*). Et in Summâ profitetur, erroneum esse dicere, quod Papa, Vicarius Christi, non habeat universalis Ecclesię Primatum (*d*). Joannes quoque de Neapoli, solemnis Doctor à pluribus appellatus (*e*), in speciali quæstione, quam proponit de potestate Papę, totus est, ut ostendat, quod Pastor universalis Ecclesiæ fuit Christus, donec est inter homines conversatus: quod post Christi Ascensionem Pâstor universalis Ecclesię fuit D. Petrus: quod demùm post obitum D. Petri, Pastores universalis Ecclesiæ fuerunt ejus in Summi Pontificatus dignitate legitimi Successores, & talis est Papa (*f*). Quibus positis.

(b) Vid. supr. tom. 3. c. 13. à n 30. ad 43.

(c) S. T. in opusc. 19 de error. Græcor.

(d) S. Thom. 1. par. qu. 112. art. 2. ad 2. in fin. & opusc. 1 c. 65.

(e) S. Antonin. & Jo. Turrecr. ant. oper. Joan. de Neapol.

(f) Joan. de Neapol. qu. var. qu. 35. punt. 1. & 2.

4. Respondetur *primò* ad Argumentum, negando suppositum, nempè quod ideo Beneficiarii merè simplices sint à residentię debito immunes; quià Romæ permanendo, Ecclesię universali deserviant, & huic famulando, censeantur residere, ac Ecclesię propriæ deservire. Nàm immunitas pręfata non huic rationi innitur, neque totalitèr, & primariò, neque secundariò, sed multis aliis rationibus, & motivis, per nos in toto decursu hujus operis allegatis: adeò ut pręsens assumptum, servitii, Ecclesię universali pręstiti, à famulantibus Apostolicę Sedi, non sit nisi una ex congruentiis, quę justificant immunitatem ipsam favore Beneficiariorum residentialium, non verò favore merè simplicium, quę illâ non indigent: & sic hęc congruentia conserta cum aliis rationibus, earum numerum auget: quę tamen absque illâ, adhùc suum effectum haberent. Nàm etiam si Clerici Romanę Curiæ non censerentur universali Ecclesiæ deservire, adhùc tamèn ex infinitis aliis rationibus, superius memoratis, immunes essent ab onere personalitèr residendi apud Ecclesias, in quibus erecta sunt beneficia per eos possessa.

5. Tantò magis, quod etiam si hæc ratio totalis esset, ac præcipua, & à Contradictoribus non impugnaretur, sed ultrò nobis concederetur pro verâ; ipsa nec nobis multùm proficeret, nec eis valdè noceret, quandòquidem omnia beneficia merè simplicia non complectitur: Sed aliquam tantùm eorum partem, & fortè minorem, ne dicamus minimam. Etenim non cuncta beneficia merè simplicia possidentur à Clericis Romanæ Ecclesiæ, sive Sedi Apostolicę deservientibus; sed multò numerosiora possidentur à Clericis, Diaconibus, Presbyteris, Abbatibus, Episcopis, à viris tandem ecclesiasticis per Italiam, Germaniam, Hispaniam, Franciam, Lusitaniam, Poloniam, utramque Siciliam, aliasque

que

que Christianitatis Regiones, distributis, qui apud Ecclesias non resident, ubi eorum erecta sunt beneficia: sicque argumentum vel concedatur, vel negetur, tàm à Contradictoribus, quàm à nobis, parum refert: quippe cujus vis, non ad cuncta generaliter beneficia merè simplicia se protendit, cum tamen omnia deberet complecti.

6. Respondetur *secundò*, iterùm negando suppositum, nempè quod Clerici Romæ commorantes, vel Sedi Apostolicæ deservientes, solâ *fictione juris* habeantur pro residentibus apud propria beneficia: Non enim fictione juris, sed expressâ, rutilanti, atque cubitali juris dispositione hoc privilegio potiuntur, ex Decretali Honorii Papæ III. jàm à quingentis propè annis editâ, & Juris corpori insertâ, cujus tenor est, qui subsequitur, Capitulo Metensi directus; *Mandamus quatenùs non obstante constitutione, quæ contrà absentes Canonicos inter vos dicitur emanasse, fructus præbendæ suæ assignetis eidem in nostro servitio commoranti: Cum familiares nostri, qui circà nos se obsequiales exhibent universis, minori non debeant prærogativâ gaudere, quàm vestrum singuli, quorum negotia per ipsos sæpiùs promoventur* (*a*). Consonat textus in Extravaganti execrabilis, ubi à Papâ cunctis prohibetur pluralitas beneficiorum, exceptis tamen, inquit, *Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui circà nos universali Ecclesiæ serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt &c.* (*b*).

7. In quibus textibus nullum vel unum verbum legitur, quod fictionem juris involvat, qualitèr esset si diceret, *quodammodò* (*c*), vel *Ac si* (*d*), aut, *Creditur* (*e*), vel quid simile: Ubi autèm leges nullâ utuntur dictione, quæ fictionis speciem contineat, sed absolutè, auctoritativè, ac liberè decernunt aliquid sic, vel sic esse faciendum; id quod præcipitur, non fictione juris præcipitur, sed expressâ, & absolutâ dispositione juris præcipitur; adeòque veracitèr, & non fictè: fictio etenim cessat, ubi veritas locum habet (*f*). Alioquin se quereretur, quod major pars illarum rerum, de quibus jura tum ecclesiastica, tùm civilia disponunt, diceretur fictione juris ità se habere, tametsi in lege, vel canone nulla vox appareret fictionem juris indigitans: quod quippè prudens rerum æstimator bene agnoscit subsistentiam non habere.

8. Sed quatenùs etiam Clerici Romanæ Ecclesiæ deservientes non reputarentur præsentes locis beneficiorum suorum, nisi fictione juris, quid inde? Nonnè hoc sufficeret? Certè sufficeret: nàm fictio juris naturam imitatur (*g*), ac tantùm operatur in casu ficto, quantùm veritas in casu vero (*h*). Et ideo dici solet in jure, quod fictio idem operatur, ac veritas (*i*), ità res judicata, quæ pro veritate habetur, idem operatur, ac si esset veritas (*l*). Adoptio, quæ est ficta filiatio, tantùm operatur, quantùm veritas in vero filio, & naturali (*m*). Confessio ficta idem operatur, ac vera. Civis talis factus fictione juris, est verè, ac realitèr civis, & sic de aliis rebus: Ubi etenim concurrit potestas in disponente, seu in legislatore; actus, seu res, quam lex præcipit fictione juris esse talem, ità se habet ac si verè esset talis. Quare cum nec in Legislatore, nec in lege ecclesiastica desit potestas disponendi, ut Beneficiarii Sedi Apostolicæ famulantes, fictione juris habeantur pro residentibus apud sua beneficia, hoc satis esset ad illos eximendos ab onere residentiæ. Multo magis autèm hoc verum est in casu nostro, in quo Beneficiarii præfati non verbis fictionem redolentibus, sed terminis fortibus, & expressis, imperativis, absolutis, atque inconcussis, lex canonica disponit, ut pro residentibus personalitèr apud sua beneficia reputentur verè, & non fictè.

9. Profectò Clerici cujuslibet Ecclesiæ in servitio proprii Antistitis occupati, à Jure decernuntur habendi pro personalitèr residentibus apud sua beneficia, per textum in pluribus locis (*n*). Jamque hoc transit sine difficultate apud omnes Doctores (*o*): & praxis totius Christianitatis id confirmat: textusque præfatus dat hujus rei rationem, dicens, *cum absentes dici non debeant, sed* præ-

(a) *Cap. cum dilectus 14. de Cler. non resid.*

(b) *Extrav. exec. de præb. & dign.*

(c) *L. prætor §. 1. ff. de edend. l. 1. ff. de Verbor. oblig. Barbos. dict. 328. n. 2.*

(d) *L. si alterius ff. de hær. instit. Barbos. dict. 4. n. 1.*

(e) *Menoch. de præsumpt. l. 6. præsumpt. 17. n. 25.*

(f) *L. nec ei §. 1. ff. de adopt. Barbosa Axiom. 97. n. 6.*

(g) *L. adoptio ff. de adoption. Bartol. & alii in l. si is qui ff. de usucapt.*

(h) *L. 1. C. de rei uxor. act. l. 1. §. hoc ff. ad Trebel. Barbosa tract. Axiom 97. n. 1.*

(i) *L. 1. ff. de adopt. l. cum ex ff. de excus. tutor. Surd. cons. 488. num 16.*

(l) *Alex. cons. 3. n. 10 l. 1.*

(m) *Bart. in qu. 3. in princ. num. 10. Barbos. loc. cit. n. 3.*

(n) *Capit. de cæterò cap. ad audientiam de Cler. non resid.*

(o) *Genuens. prax. fori Archiep. Neapol. cap. 95. n. 2. Barbos. de Canon. c. 25. n. 5 & 6.*

præſentes, *qui tecum* (ideſt cum Epiſcopo) *pro tuo*, *& ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur* (*a*). Epiſcopus enim eſt in Eccleſiâ, & Eccleſia in Epiſcopo (*b*). Quod quidèm verificatur, nedùm de Clericis aſſiſtentibus ſuo Epiſcopo, ſed etiam de Clericis alicujus tituli Cardinalitii, aſſiſtentibus Cardinali ſuo Titulari (*c*): & de Clericis alicujus Provinciæ occupatis in ſervitio Legati, ibidem Legationem Apoſtolicam exercentis (*d*). Si autem Beneficiarii etiam reſidentiales, qui Epiſcopi, vel Cardinalis, aut Legati famulatui addiƈti ſunt, pro præſentibus habentur apud ſua beneficia; cur apud ea prò præſentibus non habebantur Beneficiarii cujuſcumque qualitatis, & multò magis merè ſimplices, obſequiis Summi Pontificis applicati?

10. Nèc obſtat doƈtrina Cajetani, & Natalis ab Alexandro in Objeƈtione memoratorum, atque aliorum ſi qui ſunt, eorum opinioni ſuffragantium, quod Beneficiarii Romæ commorantes in ſervitio Sedis Apoſtolicæ non habeantur pro preſentibus in ſuis Eccleſiis, niſi *fiƈtione juris*: nàm ex hùcuſque diƈtis patet eos hallucinari: & benè uterque loquitur dubitativè, dum alter utitur particulâ *fortè*, & alter sè *Juriſtis remittit*. Et quatenùs etiam ſubſiſteret hypotheſis fiƈtionis juris, errant ſi cenſent, hanc non ſufficere coràm Deo. Nàm ſicut ſufficit coràm Deo, ut res judicata prò veritate habeatur: ut confeſſio tacita, ſive fiƈta in judicialibus habeatur pro verâ: ut adoptio operetur in adoptato effeƈtus, quos parit paternitas naturalis in filio carnali, & ſimilia, quià Legiſlator, juſtis de cauſis, potuit fiƈtione juris dare talibus aƈtibus vim veritatis, ad bonum regimen Reipublicæ; ità etiam ſi fiƈtione juris decreviſſet, famulantes Apoſtolicæ Sedi haberi pro reſidentibus perſonalitèr apud ſua beneficia; cur hoc apud Deum non prodeſſet. Profeƈtò in Concilio Tridentino quatuor cauſæ admittuntur, excuſantes Beneficiarios, alioquin reſidentiales, à debito reſidentiæ, nempè *Chriſtiana charitas*, *urgens neceſſitas*, *debita obedientia*, *ac evidens Eccleſiæ*, *vel Reipublicæ utilitas* (*e*): Petimus, hæc verba importantnè reſidentiam fiƈtam, ſivè per fiƈtionem juris, an veram? Si veram; ergò veram etiàm important jura ſuperiùs allegata, quæ prò reſidentibus declarant inſervientes Apoſtolicæ Sedi. Et ſi eorum reſidentia eſt vera, non eſt cur non ſuffragetur quoque quoàd forum conſcientiæ. Si verò præfata verba Concilii important reſidentiam fiƈtam, ſive talem fiƈtione juris, & nihilominùs hæc ſuffragatur quoàd forum conſcientiæ; ergò etiam reſidentia ſervientium Sedi Apoſtolicæ, tametſi talis fiƈtione juris, eiſdem ſuffragatur, nedùm quoàd forum fori, verùm etiàm quoàd forum conſcientiæ.

11. Quæ diƈta ſint ex abundanti, cum ut oſtendimus, famulantes præfati non fiƈtione juris, ſed veraci, & expreſsâ legis diſpoſitione, pro præſentibus habeantur apud ſuas Eccleſias. Cæterùm Auƈtores præfati intelligendi ſunt de beneficiis reſidentialibus, non verò de merè ſimplicibus, de quibus nobis eſt queſtio. Et quidèm Cajetanus, quem ceteri præallegati ſequuntur, evidenter effatur de beneficiis curatis, utens exemplo Cardinalis Epiſcopi, quem expreſsè fatetur, ob urgentiam ſervitii Eccleſiæ Romanæ, cœterarum habentis ſollicitudinem Eccleſiarum, poſſe à propriâ Eccleſiâ abeſſe, & Romæ, vel alibi in ſervitio Sedis Apoſtolicæ permanere (*f*). Sanè licuit ſemper, ſemperque licebit Epiſcopis à propriis Eccleſiis abeſſe, ut ad publicam utilitatem eviden tèr ſic exigentem in aulis Principum commorentur, ibique bono Reipublicę regimini operam ſuam impendant, uti docet Thomaſſinus, exempla plurima referens Sanƈtorum Antiſtitum, qui operam ſuam in his officiis, aut in legationibus juſſu Principum obeundis impenderunt (*g*). Sed & Concilium Tridentinum expreſsè admittit inter cauſas abſentiæ à reſidentiâ, ſedulitatem in ſervitio *Reipublicæ*, quæ diƈtio, inquit Hiſtoricus præfatæ Synodi, *fù poſta ad inſtanza del Cardinal di Lorena*, *intento à non eſcludere i Veſcovi da publici officii de Regni* (*h*). Si autèm proptèr ſecularis Reipublicæ utilitatem hoc licitum eſt; neſci-

(a) *Cap. ad audientiam 15. de Cler. non reſid.*

(b) *Cap. Scire debes 7. qu. 1.*

(c) *Genuens, & Barboſ. loc. cit. Gutier. can. lib. 1. c. 1. n. 149. Lotter. de benef. lib. 3. qu. 27. num. 189.*

(d) *S. Antonin. Sum. par. 3. tit. 15. c. 1. §. 14. Gambar de Off. Legat. lib. 1. n. 66. Barboſ. ubi ſupr.*

(e) *Conc. Trident. ſeſ. 23. de ref. cap. 1.*

(f) *Cajet. in D. Tho. 2. 2. qu. 185. art. 5. §. quoad 2. poſt medium.*

(g) *Thomaſſin. vet. & nov. Eccl. diſcipl. part. 2. l. 3. c. 36. 37. 38. &c.*

(h) *Card. Pallavic. Stor. del Concil lib. 21. cap. 12. n. 3. §. Ch'eſſendo.*

nescimus videre, quarè idem non liceat Episcopis, Romæ, vel alibi, jussu Romani Pontificis, servitio Sedis Apostolicæ, ac Ecclesiæ Universali addictis.

12. Verùm circà hoc syllogizzent, prout volunt, Auctores: doctrinam solidam, vel dicteria pronuncient; quod eorum scripta in hâc parte non dant legem, neque faciunt auctoritatem, neque normam præfigunt imprevaricabiliter observandam: sed legem, auctoritatem, normam, & veritatem habemus à S. Concilio Tridentino, quod quotiès approbat pro legitimis non residendi causis præfatas quatuor, quæ sunt, *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas* (a); vel hæ omnes, vel ferè omnes unà simùl, vel aliqua earum concurrat in eo, qui abest, ut in Sedis Apostolicę Romæ, vel alibi servitio maneat occupatus; hoc sufficit, & plusquàm sufficit, ut prò certò ponamus, quod Beneficiarius Romanæ Ecclesiæ famulatui addictus, habeatur prò residenti apud Ecclesiam, in quâ obtinet beneficium, quidquid dicant, vel seminent, vel alibi fingant Scriptores, suadere oppositum satagentes; ecquid prævalent enim privati Doctores coràm sanctione clarâ, & rutilanti Concilii generalis? Quiescunt opiniones privatorum Doctorum, ubi loquitur generale Concilium: nec digni honore ullo essent Doctores sua scripta typis evulgantes, nisi ipsi priùs honore debito sanctiones Concilii generalis prosequerentur.

(a) *Concil. Trid. sess. 23. c. 1.*

13. Si dicatur aliquos quandòque Beneficiarios Romæ commorari, qui vel non sunt in servitio Ecclesiæ generalis, aut Summi Pontificis occupati: vel si sunt, non sunt ministri necessarii, & tales, sinè quibus Sedes Apostolica non possit optimè se habere, & sua exequi ministeria; replicamus hanc instantiam locum habere non in Beneficiariis merè simplicibus, sed in solis residentiariis. Et quoàd residentiarios etiam non verificatur de illis, qui verè, & realitèr sunt Sedis Apostolicæ obsequiis applicati, sed tantum de illis, qui proprio arbitrio sine causâ, & ex solo eorum pruritu, in Romanâ Curiâ commorantur (b), quibus quadrant verba D. Bernardi ad Eugenium, à Contradictoribus allegata: *Clericum Curiam frequentantem, qui non sit de Curiâ, ad idem noris pertinere ambientium genus* (c). His certè privilegium Romanæ permanentiæ non suffragatur prò causâ illos absolvente ab onere residentiæ, quià non serviunt Ecclesiæ generali, sed sibi: non obsequuntur Pontifici, sed ejus potiùs voluntati resistunt. Verùm hoc totum est extrà casum, ideòque nihil probat adversum nos.

(b) *S. Antonin. 3. p. tit. 13. cap. 1. §. 14.*

(c) *S. Bernard. de Consid. lib. 4. c. 4. n. 9.*

14. Ultròque assentimur, quod si contingat casus à Contradictoribus exaggeratus, & à Cardinali de Turrecrematâ summoperè detestatus, nimirùm quod in Romanâ Curiâ Episcopi, vel alii Rectores animarum *conveniant, non devotionis gratiâ, sed ambitionis spiritu propulsati, ut ulteriora quærant, aut beneficia addant beneficiis, aut honores honoribus, atquè officia, & legationes quærant, quæ curæ animarum commissarum afferunt plurimum impedimenti* (d); Si contingat, inquam, iste casus, assentimur non debere talia facientes frui absentiæ privilegio, sed potiùs debere à Romano Pontifice ad residentiam coarctari, si ad eam ratione beneficii tenentur. Idem dicimus de illis, qui non sunt Sedis Apostolicæ servitio necessarii. Sed hoc quid probat adversus eos, qui verè sunt necessarii, qui verè Sedi Apostolicæ famulantur, qui verè de mandato Papæ ministeriis ecclesiasticis, vel Romæ, vel extrà Curiam incumbunt, quos uno ore tàm Theologi, quàm Canonistæ residendi debito exemptos pronunciant? (e). Et multo magis quid probat adversus Beneficiarios merè simplices, quos & jura, & praxis totius Ecclesiæ, & omnium Scriptorum concors doctrina, perhibent esse à residentiæ vinculis absolutos.

(d) *Cardin. Turrecremat.*

(e) *Azorius l. 7. c. 4. qu. 7. Mosef. in sum. tr. 6 c. 11 n. 36. Garcia de benef. p. 3. c. 2. n. 388 Barbos. de pot. Episcopi alleg. 43 n. 27. Vasq. opusc. de benef. c. 4 § 2 art. 1. dub. 2 num. 137. Bonacin. to. 1. de oner. & oblig. benef. disp. 5. pu. 5. n. 9.*

15. Respondetur *tertiò* ad Argumentum, denuò negando aliud suppositum, nempè quod sententia docens, Clericos in Romanâ Curiâ morantes, ac in officiis, legationibus, & servitio Sedis Apostolicæ, Summique Pontificis applicatos, haberi pro præsentibus apud suas Ecclesias, ortum habuerit post translatam Sedem

dem Pontificalem ad urbem Avenionensem; dicimus non subsistere: Nèc Fleurius id affirmans apud Contradictores vir tantæ auctoritatis est, qui non patiatur notabiles exceptiones, & cui potiùs, quàm historiæ chronologicæ, & legibus sacris debeamus cæcâ mente deferre. Nàm quoàd historiam, *plena est historia sacra Legationum Episcopalium, quas Summi Pontifices destinabant, vel ad Concilia generalia Orientis, vel ad Patriarchas, vel ad Imperatores ad præscandas exorientes hæreses ad contutandam avitam fidem, ad repurgandam disciplinam, ad pacem restituendam, deniquè ad ejus momenti res profligandas, ut particolarium damna Ecclesiarum, pastoribus suis interim orbatarum, abundè resarciret utilitas Ecclesiæ Universalis. Tot penè occursant in Annalibus Ecclesiæ harum Episcopalium legationum exempla, quot causæ majores* (a). Quoàd sacras leges, & chronologiam, habemus inter cętera textum expressum in jure, superiùs allegatum, in quo disertissimis verbis mandatur, habendos esse pro præsentibus apud suas Ecclesias Clericos Sedi Apostolicæ deservientes: qui textus desumptus est ex epistolâ Honorii. Papæ III. ad Capitulum Metensem (b).

16. Porrò Pontifex iste fuit electus anno Christi 1216. (c), & cum profectio Romanæ Curiæ ad urbem Avenionensem non contingerit, nisi post annum 1316. quo electus est Pontifex Joannes XXII. (d). qui fuit primus omnium Pontificum Avenione residentium: Vel ad summum post annum 1305. quo electus est Clemens Papa V. per quem translata est Sedes Apostolica in Galliam (e), hinc fit, quod lex Honorii Papæ III. præcessit per centum circiter annos translationem Curiæ præfatam, adeòque malè Fleurius, & qui cum ipso sentiunt Contradictores memoratam doctrinam à Juris dispositione divellunt, & posteriorem faciunt profectioni Avenionensi pręfatæ. Quod posteà ex hoc transitu Romanę Curię ad oras Gallicas, multa secuta sint inconvenientia, & mala, tàm ipsi Sedi, quàm ferè toti Christianitati perniciosa, nos non negamus (f), sed sivè id affirmetur, sivè negetur, hoc parum refert, quià parùm, vel nihil facit ad rem, de quâ impręsentiarum est sermo. Sicut etiam parùm refert sententia pręfata, Clericos in Sedis Apostolicę servitio commorantes, absolvens ab onere residentię, ortum habuerit ante, vel post perfectionem Avenionensem, quià prioritas, vel posterioritas temporis nihil pręjudicat veritati. Undè quandocùmque prodierit hæc doctrina, satis est, quod sit doctrina verax, juri consona, ęquitati consentanea, nihil detrimenti Ecclesię inferens, à cunctarum Nationum Clericis frequentata, prò beneficiis merè simplicibus nullatenùs necessaria: & quoàd beneficia residentialia, juri, & praxi Ecclesię in omnibus consentiens; nèc leges laudabilis disciplinę solvens, sed observans: non lędens, sed conservans: non destruens, sed adimplens.

17. Ad id, quod opponitur de Cardinali Roberto Bellarmino, qui Episcopatum Capuanum resignare maluerit, quàm Romæ commorando, retinere; dicimus Cardinalem hunc adeò doctum fuisse, ut de illo Clemens Papa VIII. in sermone ad Cardinales habito, professus fit: *Hunc elegimus, quià non habet parem Ecclesia Dei quoàd doctrinam &c.* (g). Et quanta fuit in eo doctrina, tanta quoque fuit pietas, & morum sanctimonia, uti apud Auctorem vitę illius legere est (h). Verùm non ideò talis fuit, ut illius opera sint de necessitate salutis à cunctis Clericis imitanda: alioquin veh mundo, & Clericis majoris, & minoris ordinis, si sub penâ pręvaricatæ legis Divinę, tenerentur omnes actus vitę suę actionibus Cardinalis Bellarmini conformare? Quolibet anno ille per mensem Exercitiis spiritualibus incumbebat. A summo Pontifice nunquàm reditus ecclesiasticos postulabat, quinimò pluries, antecedenter habitos resignavit. Munera à Principibus accipere detrectabant. Vestibus obsoletis utebatur, terebratis, ac ex pluribus panni fragminibus, veteramentarij alicujus Sartoris industria coassutis. In prandio nunquàm tertium potus haustum excessit: sępè jejunabat: mortificando suo corpori incumbebat; hyema-

(a) *Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. p.2.l.3.c.36 n.10.*

(b) *Cap. cum dilectus 14. de Cler. non resid.*

(c) *Odoric. Raynald. ann.1216. 16.*

(d) *Idem an.1316.2.*

(e) *Genebrard. Chronol. l 4. ad ann. 1305. Volater. l.22.*

(f) *Ciacon. & Platin. loc. in Clem. V. Genebrard. loc. cit.*

(g) *Anton. Baldassar. Compendios. ristretto in Robert. Bellarmin.*

(h) *Jacob. Fuligatus in Vit. Card. Bellarmin.*

li tempore ignis commodum non admittebat: Æstivo, refrigerium blandiendientis aureę non quęrebat: nèc muscas suo vultui infestas, neque cinifes sibi utcumque molestos, manibus unquàm, aut ventilabro fugabat. Alia demùm fecit, quę brevitatis gratiâ intermittimus (a). Ergonè tantundèm tenentur de necessitate salutis exequi omnes Cardinales, Episcopi, Abbates, Parochi, Canonici, Prępositi, cuncti demùm viri ordinis Clericalis? Absit.

(a) *Fuligat. ubi supr. c. 17. & 18. &c.*

18. Nihilominùs ne à negotio residentiæ Beneficiariorum discedamus, notandum est, quod ipse Cardinalis Bellarminus gubernandam suscepit Ecclesiam Montis Politiani ex condicto cum Domino Ubaldino illius Antistite in Gallias proficiscente, ut ibi Nuncii Apostolici munere fungeretur (b). Romæ, inquam, consistens Bellarminus, operâ industriorum hominum Ecclesiam Politiauensem rexit, quod tametsi ex motivo charitatis exercuerit, adhùc tamen videtur, quod id facere salvâ conscientiâ non potuisset, cooperando qualitercumque absentiæ Ubaldini, & præjudicio, quod Ecclesia Politianensis, ut supponitur, patiebatur propter distantiam sui Præsulis; si servitiis Apostolicæ Sedis applicari non agnòvisset esse causam legitimam, & sufficientem pro exemptione à debito residentiæ personalis. Cum autèm hoc sine ullo scrupulo egerit; postmodùm verò Archiepiscopatum Capuanum noluerit Romæ commorans retinere; dignoscitur, quod istud ultimum facere recusavit, quià sic voluit, non quià ut sic faceret opus esset. Alioquin nec etiam dirigendam à longè suscepisset Ecclesiam Politianensem in absentiâ Ubaldini: non enim majorem causam habuit Ubaldinus retinendi Ecclesiam illam, dùm in Galliâ serviens Sedi Apostolicæ moraretur, quàm potuisset habere Bellarminus tenendi Archiepiscopatum Capuæ, Romæ in obsequio Sedis Apostolicæ commorando, & rem agendo, quam alii plures pii, & sancti viri sine scrupulo egerunt.

(b) *Idem Fuligattus cap. 29.*

19. Equidèm inter mundanas res multæ sunt, quas agere, vel vitare sub præcepto non cadit: & ideò tàm benè facit, secundum diversos respectus, qui easdem operatur, quàm qui abstinet ab eisdem. Nàm cum in cœlo non unatantùm, sed plures mansiones sint (c), unica quoque in terris non est, sed multiplex via, quâ tenditur ad easmet. Gloriosissimus Paulus Apostolus interdùm res aliquas agebat, interdùm ab ipsismet abstinebat, de quo D. Joannes Chrysostomus: *creditæ sibi dispensationis modum sæpè variando, nequaquàm de Domini sui imitatione culpatus est, cum modò Judæus fieret, modò se illis nullâ communicatione misceret: & nùnc quidèm custodiret legem, nùnc verò despiceret: & aliquandò conservaret præsentem vitam, aliquandò contemneret: & nùnc quidem etiam postularet pecunias, nùnc autèm oblatas etiam repudiaret: nàm & sacrificium obtulit, & purificationem ex more celebravit, & caput rasit: sed rursùs & anathematizavit ista facientes: & nùnc quidèm circumcidebat ipse, nùnc circumcisionem penitùs excludebat. Et erant facta equidèm ipsa diversa inter se, atque contraria, mens verò, atque sententia ex illâ fiebat valdè sibi concinens, & concordans* (d). Si autèm in uno, & eodem homine interdum facta opposita præconio digna sunt; multò magis laudabilia sunt in diversis. Centurio Evangelii se indignum censuit, ut ejus domum Christus personalitèr introiret (e). E contrà verò Zachæus eum gaudens introduxit in domum suam (f). S. Bonifacius Moguntinus uonnisi unicam in die missam celebrabat: E contrà verò S. Leo Papa III. celebrabat pluries in die (g). Aliqui quotidiè communicant, alii è contrà magis rarò ad Eucharistiam accedunt: omnes autèm bene faciunt, quià, ut inquit D. Augustinus, *& ille honorando non audet quotidiè sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere* (h).

(c) *Joan. c. 14. nu. 2.*

(d) *S. Jo Chrys. homil 5. de laud. S. Paul. tom. 5. f. 604.*

(e) *Matthæi c. 8. n. 8.*

(f) *Lucæ c. 19. nu. 6.*

(g) *Walafr. Strab. de reb. Eccl. c. 21.*

(h) *S. August. ep. 118 ad Januar. to. 2.*

20. Democritus philosophabatur omnia irridendo: Eraclitus è contra id faciebat omnia deplorando. S. Franciscus, ut ajunt, amabat loca defęcati aeris, ut ubi Conventus suę Religionis erigeret. E contrà verò S. Bernardus eligebat loca potius aeris fęculenti, sive parùm salubris. S. Joannes Chrysostomus se

prom-

promptum exhibuit rationem reddere administrationis bonorum Ecclesię, declamans: *sumus etiam parati vobis reddere rationem. Sumptus non sunt minores proventibus, sed aliquandò majores* (a). E contrà verò S. Cyrillus Alexandrinus, nedùm ad hoc se promptum non obtulit, sed imò alienissimo ab eâ rè fuit animo, censens illam in totius ordinis Episcopalis injuriam redundare, quem Deo, non hominibus rationem præfatę administrationis reddere debere unicè cogitabat, dicens: *malè habet, magnâque tristitiâ afficit sanctissimos Episcopos &c. quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur, sive ex ecclesiasticis reditibus, sive ex fructu aliundè percepto. Unusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Judici* (b). Ità homines abundant in suo sensu, faciendo, vel vitando, ut magis eis libet, opera opposita, quorum nec actio, neque omissio cadit sub præcepto. Ad rem nostram autèm redeundo dicimus, quod etsi Bellarminus recusaverit retinere Archiepiscopatum Capuæ, non ibi residendo, ut servitio Sedis Apostolicę incumberet; alii tamèn pii, docti, & insignes viri non dubitarunt facere oppositum. S. Leo Papa IX. adepto Pontificatu, & Romę commorans, adhùc Ecclesiam Tullensem retinuit (c). Idipsum fecerunt alii optimi Pontifices, quorum exemplum sectatus est felicis recordationis Innocentius XII. Neapolitanus, qui suæ patriæ Archiepiscopatum, cui antecedentèr præerat, per aliquod tempus cum Summo Pontificatu retinuit: ne plura alia exempla congeramus Episcoporum, Cardinalium, Abbatum &c. non mediocris probitatis, & animi integritatis, qui vel Romę, vel alibi, Legationibus, Nunciaturis, & muneribus publicis, in servitio Sedis Apostolicæ incumbentes, beneficia etiam curata, & residentialia, sine ullius peccati scrupulo tenuerunt. Nunquid omnes isti apud inferos igne torrentur ęterno, quià Bellarminus, contrariam sequendo semitam, Archiepiscopatum Capuanum dimisit? Profectò non: nec quisquam hoc effutire audebit, qui dementiâ non laboret.

(a) S. Joan. Chrysost. hom. 21. in ep. ad Corinth.

(b) S. Cyrill. Alex. Epis. canon. tom. 5. p. 2. fol. 213.

(c) Card. Baron. an. 1049. n. 4. Ciacon. Platin. Forest. & alii in S. Leon. IX.

21. Benè quidem fecit Cardinalis Bellarminus dimittendo Archiepiscopatum Capuanum, ut Romæ negotiis Sedis Apostolicæ incumberet: sed benè quoque fecerunt plurimi alii, qui officia Romanę Curię exercentes, vel alibi Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ obsequiis incumbentes, sua beneficia, etiam Episcopalia, tenuerunt; & ità agendo, ille perfectioni operam dedit, isti usi sunt jure suo, utrique autem benè fecerunt, quià utrique virtutis opera, sub diversis prospectibus exercuerunt: eo modo, quo etiam benè fecit S. Cœlestinus V. Pontificatum dimittendo, & benè fecit S. Pius V. Pontificatum ipsum tenendo. Igitùr *is, qui manducat, non manducantem, non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet* (d), nec Bellarmini exemplum dimittentis Ecclesiam, arguat eos, qui Ecclesias retinent; nec eas retinentes, exemplum Bellarmini, Ecclesiam dimittentis, impugnent: parùm attento, quod hi contrariâ inter se viâ processerint, quippè ut egregiè notat Facundus Hermianensis, *pro eâdem religione, quâ rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicem, verùm etiàm laudabilitèr pugnare adversum se religiosi, ac rectissimi possunt* (e). Ultrà quod exemplum Bellarmini nihil facit ad rem, quià ipse dimisit beneficium residentiale, quæstio autèm nostra est de beneficiis merè simplicibus: ab his autèm ad residentialia ingens distantia est, & præsertìm ratione residentię, quę in merè simplicibus sub precepto non cadit.

(d) Rom. 14. 3.

(e) Facund. Hermian. l. 3. c. 5.

22. Paritèr ad exemplum Cardinalis Anastasii, depositi à Leone Papâ III. sive IV. præsto est responsum ex Anastasio Bibliothecario, dicente: *In hâc deniquè post cætera Synodo Anastasius Presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli, ab omnibus canonicè est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contrà Canonum instituta deseruit, & in alienis usque hodiè moratur. Qui neque ad duo pro eo congregata Concilia venire volens, neque per Apostolicas epistolas, neque per tres vocatus Episcopos, Nicolaum videlicèt, Petronacium, & Joannem: ideò meritò uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur Canonibus,*

cum

eum Sancta Synodus deposuit, & Sacerdotali honore privavit (a). Româ discesserat Anastasius, ut Imperatorem adiret, alliceretque manus imponere in futurâ Summi Pontificis electione, atque ipsum Anastasium in Pontificem destinare (b). Quâ rè compertâ Leo Papa illum revocavit ad Urbem, & recusantem parere depositione mulctavit, Concilio 67. Episcoporum in idipsum consentiente (c); cujus rei series, Juris corpori inserta est (d). Ipsomet nihilominùs Cardinali Anastasio fovente propriam ambitionem, & Antipapatum adversus Benedictum III. sibi usurpante (e), à quo fuit ingenti dedecore expulsus (f).

23. Laborat ergò in æquivocis argumentum, si supponit, quod Anastasius Sedi Apostolicæ deserviret, quippe desertâ Ecclesiâ suâ titulari, & parochiali, jàm per quinquennium Aquilejæ, uti profugus latitabat (g), & sic neque in suo titulo, neque in Romanâ Curiâ, neque alibi manebat in servitio Summi Pontificis occupatus. Porrò *Tituli* Cardinalium, quos ab initio fuisse domos Divino cultui consecratas aliqui censent (h): Alii, fuisse primarias Romæ Ecclesias (i): Alii, Ecclesias baptismales, ubi sacramenta ministrabantur (l); Olìm possessores eorum ad personalem residentiam coarctabant (m). Cumque officium Cardinalium sit assistere Papæ (n); hinc est, quod tenentur, vel saltèm tùnc tenebantur in Curiâ residere (o), nec ab illâ discedere illis unquàm fuit licitum sine Summi Pontificis permissione (p). Cardinalis ergò Anastasius, qui & Titulum Divi Marcelli deseruerat, & Româ inconsulto Papa discesserat: & nec pluries monitus, ac citatus regendi voluerat, certè Sedi Apostolicæ non deserviebat: & si non ei deserviebat, jàm illius eventus nihil facit ad propositum nostrum.

24. Respondetur *quartò* ad Argumentum ex eâ parte, quâ innititur Constitutioni Bonifacii Papæ VIII. (q), negando alia duo supposita. Primum est, quod in ea sit sermo de Beneficiariis, Sedi Apostolicæ deservientibus: cum re verâ de hâc rè ibi nullatenùs agatur, sed de illis, qui Romę, non pro servitio Sedis Apostolicæ, sive Summi Pontificis, sed pro solo eorum proprio, & privato commodo permanent, ut etiam apertè insinuat glossa eidem textui aptata (r). Secundum suppositum est, quod ibi agatur de beneficiis etiam simplicibus: nullum enim ibi verbum est, quod beneficia simplicia comprehendat, sed solùm sit sermo de beneficiis choralibus, & residentialibus, ex quibus Beneficiarii ultrà reditus præbendæ, distributiones etiam quotidianas valeant adipisci, quas certum est nonnisi pro beneficiis Choralibus solitas esse concedi. Ista vero beneficia, uti Archidiaconatus, Præpositurę, Canonicatus, Mansionariæ, & similia Chori servitium deposcentia, tametsi in aliquo sensu dicantur, omnia, vel aliqua eorum, beneficia simplicia, prout contradistinguuntur à Curatis, tamen rè verâ sunt duplicia, quià Chori servitium, & personalem residentiam exposcunt. Vel si dici velint simplicia, non sunt merè simplicia, qualia sunt ea, de quibus agimus.

25. Præterea argumentum retorquetur adversus Contradictores. Nàm Pontifex in dictâ Constitutione revocat licentias non residendi, concessas personis tantùm, non verò collatas Dignitatibus, vel Ecclesiis: ait enim: *Nos nolentes emendare præterita, & quantum possumus adversus futura cavere, omnes hujusmodi, & similes indulgentias, personis, non Ecclesiis, vel Dignitatibus datas, penitùs revocamus* (s), ergo supponit aliqua dari Beneficia, seu Ecclesias, aut Dignitates, quibus insita sit, vel collata exemptio ab onere residendi: hæc autèm beneficia, hæ Dignitates, hę Ecclesię vocantur, & sunt beneficia merè simplicia, quę tàm à commorantibus in Romanâ Curiâ, quàm alibi permanentibus, de jure, & de consuetudine, absque ullo peccati scrupulo retineri possunt, & sine debito personalis residentię possideri.

(a) *Anastas. Biblioth. Leon. IV.*
(b) *Binius in not. ad Concil. Rom. ann. 853. tom 6.*
(c) *Conc. Rom. an. 853*
(d) *Cap. ex gestis 2. de Cler. non resid.*
(e) *Card Baron. an. 853. 33. & an. 855. 38.*
(f) *Idem an. n. 855. 41. & 46.*
(g) *Ciac. in Leon. IV.*
(h) *Baron. an. 112. n. 4. 5. 6 &c.*
(i) *Anton. Forest. to. 3 f. 31. § 50.*
(l) *Magri Vocab. Eccles. V. Titulus.*
(m) *Barbos. in c. 2. n. 1. de Cler. non resid.*
(n) *Flamin. de resign. benef. l. 2. q. 1. n. 34. & l. 7. q. 12. n. 14.*
(o) *Borel. sum. decis. tit. 10. n. 8.*
(p) *Gonzal ad reg. 8 Canc. Glos. 24. nu. 124. Barbos. loc. cit. n. 2.*
(q) *Capit. quid per ambitiosam 15. de rescr. in 6.*
(r) *Glos. ibi Ver. Romana Curia.*
(s) *D. c. quià per ambitiosam de rescr. in 6.*



RESPONSIO
ALIIS OBJECTIONIBUS
IMPUGNANTIBUS EX DIVERSIS MOTIVIS MEMORATAM

IMMUNITATEM BENEFICIORUM MERÈ SIMPLICIUM AB ONERE RESIDENTIÆ.

CAPUT XXXV.

In quo discutitur vis QUINTODECIMÆ OBJECTIONIS, *ad id prospicientis, ut evertat velut inanem, & illicitam, Consuetudinem, cujus vigore Beneficiarii merè simplices eximuntur ab onere personalis Residentiæ.*

SUMMARIUM.

1 Decimaquinta Objectio *de consuetudine, quod non salvet Beneficiarios simplices à debito residentiæ: nec ista sit consuetudo, sed abusus jura lædens.*

2 *Malo consuetudo eliminanda est, velut corruptela, contrà quam clamant Patres, & Pontifices, ut eradicetur.*

3 *Ecclesia quod restiterit huic consuetudini, nec Beneficiarii simplices ex Claudio de là Place sint per eam tuti.*

4 *Objectio hæc continet sex supposita. Beneficiarii simplices non residendo, non lædunt jus naturale, neque divinum.*

5 *Idipsum non est contrà jus canonicum, sed potiùs est contrà illud velle ad residentiam Beneficiarios merè simplices arctare.*

6 Omis-

6 *Omissio residentiæ in iis non est punctum disciplinæ immobile. Immobilia puncta sunt ea, quorum subtractione deformaretur Ecclesia.*

7 *Alia minoris momenti puncta disciplinæ, quorum aliqua indicantur, mutabilia sunt, & recta ratio flagitavit illa mutari.*

8 *Olim pluriès in die celebrabatur à Sacerdote: nùnc semel tantùm. Olim ter id fiebat etiam in festo S. Jo. Baptistæ: nùnc fit in solo Natali Domini.*

9 *Quod Beneficiarii simplices non resideant, ad punctum disciplinæ invariabilis non spectat, sed potius opportunum est ad aliquos bonos effectus,*

10 *Nimiam perturbationem pareret in Ecclesiâ velle Beneficiarios simplices ad residentiam arctare, usque nùnc ab hoc onere immunes.*

11 *Patres, Doctores, & Pontifices allegati in Objectione, non loquuntur de beneficiis merè simplicibus, adeòque nihil officiunt.*

12 *Consuetudo quod Beneficiarii merè simplices non resideant, est legitimus mos, nec ulla fortè datur consuetudo meliùs fundata.*

13 *Consuetudine olim totus orbis terrarum tenebatur. Nèc fragminibus vagis doctrinarum impetendæ sunt laudabiles consuetudines.*

14 *Oportet à Contradictoribus allegari Canones, Patres, & Concilia individuè improbantia consuetudinem non residendi in beneficiis merè simplicibus.*

15 *In Concilium Ephesinum jussit servari consuetudinem habendi plura beneficia residentialia: multò magis ergò proficit consuetudo merè simplicibus.*

16 *Mutatâ rerum causâ, rectè mutantur quæ aliter olim fiebant: & plures ecclesiasticas res mutationem habuisse certum est.*

17 *Nullus canon expressè præcipit residentiam in beneficiis merè simplicibus: & an verum sit, quod de jure hæc quoque ad illam obligentur.*

18 *Canones dicentes Beneficiarios teneri ad residentiam intelligendi sunt de generibus singulorum, non de singulis generum.*

19 *Canon, qui pro residentiâ beneficiorum merè simplicium adducitur, non de illis loquitur, sed de choralibus, & residentialibus.*

20 *De generali consuetudine beneficia merè simplicia excludunt residentiam. In beneficiis consuetudo multum prævalet.*

21 *Idipsum ostenditur aliis motivis. Consuetudo quod Beneficiarii merè simplices non resideant, est à Sacris Canonibus approbata.*

22 *Sicque jàm facta est de jure, tametsi fuisset olim contrà jus. Sicut & juspatronatus est de jure, quod anteà erat contrà jus.*

23 *Consuetudo non residendi in beneficiis merè simplicibus jàm est lex, cui Canones, & Ecclesiæ totius praxis favet,*

24 *Si erant jura residentiam poscentia, jàm per consuetudinem sunt abrogata. Si non erant, jàm hæc ipsa consuetudo lex est.*

25 *Consuetudo quot actibus contrariis vulneretur. Concilia præfatam consuetudinem Beneficiariorum merè simplicium non impugnant.*

26 *Ecclesia nedùm tolerat negativè, sed etiam positivè approbat Immunitatem Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ.*

27 *Differunt non ulcisci opus prohibitum, & ratum habere opus de suâ naturâ bonum. Hoc secundum contingit in dictâ immunitate.*

28 *Plures consuetudines per Ecclesiam sublatæ sunt, quæ erant corruptelæ. Talis autem non est illa, de quâ hìc sermo est,*

1. BIICIUNT *quintodecimo* Contradictores hoc modo: Potiſſima ratio fovens immunitatem Beneficiariorum merè ſimplicium à debito reſidendi, eſt conſuetudo jam inolita de reſidentiâ apud beneficia hujuſce generis non facienda: ſed hæc ratio nihil probat, quià conſuetudo iſta non eſt vera conſuetudo, ſed abuſus, & corruptela: *non eſt libertas ex fundatione, aut conſtitutione, ſed magis ex longâ conſuetudine, & Clericorum malitiâ uſurpata* (*a*). Eſt abuſio, quæ jus divinum, & naturale lædit, contrà quod nulla conſuetudo ſuffragari poteſt, aut præſcribere (*b*): Eſt corruptela irrationabilis, inimica Sacris Canonibus, & uti talis reprobanda, eo modo quo plures aliæ conſuetudines ſacris legibus adverſæ, fuerunt ab Eccleſiâ ſublatæ: Eſt abuſio tandèm, quæ nunquàm potuit, neque poterit in juſtæ conſuetudinis rationem tranſire, quoniàm ea, quæ ſpectant ad mores, ſunt immutabilia, & nullius conſuetudinis varietati ſubjecta: Ea etenim quæ Eccleſia ſciens, & prudens conſtituit, nullâ deſuetudine, nullâ poſſunt etiam prolixi temporis longinquitate aboleri (*c*), quippè manente eâdem ratione, propter quam lex primò utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit (*d*).

2. Adverſus hanc corruptelam Cardinalis Bellarminus apud Clementem Papam VIII. ut ab Eccleſiâ eliminaretur, inſtetit. Uti corruptela ergò, & abuſio habet contrà ſè voces Oſii Cordubenſis, in Concilio Sardicenſi exclamantis, non tàm mala conſuetudo, quàm pernicioſiſſima rerum corruptela &c. ex ipſis fundamentis penitùs extirpanda eſt (*e*). Habet contrà ſè murmur S. Cypriani docentis: *Conſuetudo impedire non debet, quominùs veritas prævaleat, & vincat; nàm conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt* (*f*). Habet S. Auguſtinum, altis clamoribus perſtrepentem, *veritate manifeſtatâ cedat conſuetudo veritati* (*g*). Habet tandèm Alexandri III. Clementis IV. Tertulliani, Gerſonii, aliorumque Pontificum, Patrum, & Scriptorum fremitus, uno ore pravas conſuetudines reprobantium.

3. Quibus accedit, quod mos iſte non reſidendi in beneficiis nunquàm in juſtæ conſuetudinis rationem abivit; quippè ad tollendam conſuetudinem ſufficit quilibet actus contrarius. Contrà morem hunc autem totiès fuit oppoſitum, quotiès in Conciliis fuit de beneficiorum reſidentiâ tractatum. Nihil relevante quod Eccleſia connivendo permiſerit exemptionem præfatam, quià *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ, non debent tolerari* (*h*). Hinc Claudius de là Place ſeriò declamat conſuetudine non eſſe tutos Beneficiarios merè ſimplices à debito reſidendi, ait etenim intèr cætera: *Deniquè tàm ſimplices iſti, quàm duplices Beneficiarii, ex hâc parte gravitèr peccant non reſidendo, quià faciunt utrique contrà præceptum juris naturalis in materiâ gravi: propterea comprobatum habemus generalem iſtam propoſitionem omnia beneficia, ne quidèm ſimplicibus exceptis, ſub gravi ex naturâ ſuâ peccato, obligare ad reſidentiam, perſonalemque miniſterii ſui functionem; ex eo quod beneficium axiomate juris, luminiſque naturalis evidentiſſimo, detur proptèr officium.*

4. Reſpondetur *primò* ad hoc argumentum, vaſtæ quidèm apparentiæ, ſed tenuiſſimæ ſubſtantiæ; potiùſque dicendum argumenti larvam, quàm argumentum; reſpondetur, inquam, negando ſex ſuppoſita in eo perperàm complicata, *Primum* eſt, quod non reſidere apud Eccleſias, ubi erecta ſunt beneficia merè ſimplicia, jus divinum, atque naturale offendat: nàm ex hùcuſque propoſitis in toto decurſu iſtius Tomi, tàm in probationibus, quàm in reſponſionibus ad argumenta, evidentèr oſtendimus nec divinum, nec naturale jura violari per non reſidentiam præfatam. Et quidèm tribus Capitulis oſtendimus Beneficiarios merè ſimplices ad reſidentiam non teneri de jure naturali (*i*). Aliis tribus Capitu-

(a) *Vuillelm. Pariſienſ. de collat. beneſ. cap 6.*
(b) *Tertul. de Virgin. veland. c. 1.*
(c) *Cap 8. de Simonia.*
(d) *S. Thom. 1. 2. qu. 97. art. 5 Natal. Alex. Theol. mor. lib. 3. art. reg. 22.*
(e) *Concil. Sardicenſ. cap. 1.*
(f) *S. Cyprian. epiſtola 74.*
(g) *S. Auguſt. l. 4. de bapt. c. 3.*
(h) Cap. *cum jàm dudùm 18. de preb.*
(i) *Vid. ſupr. in hoc tom. cap 24. 25. & 26.*

lis idipsum ostendimus ut de jure divino (*a*). Et integro Capitulo conferto ex analogiâ Beneficiariorum novi testamenti ad Sacerdotes, & Levitas antiqui fœderis (*b*), ostendimus, Clericos beneficia merè simplicia possidentes omninò exemptos esse à debito residentiæ. Et sic illos non residere, nedùm non est contra jus divinum, sed imò potiùs aliquo modo est juxtà illud.

5. *Secundum suppositum* est, quod ipsum ut suprà non residere, sit Sacris Canonibus inimicum: seu, quod in idem recidit, Clericos non residentes apud sua beneficia merè simplicia, Sacrorum Canonum jus transgredi, prævaricari, prosternere; hoc etenim gratis asseritur, estque probandum, non supponendum. Nedùm autem Contradictores non id probarunt, nec unquàm probabunt, quamvis verba Canonum per vim trahere, & ad suum intentum torquere connixi sint; sed imò potiùs nos tribus integris Capitulis (prætèr adducta in responsionibus ad Objectiones) fortissimè probavimus, quod vi Canonum in Conciliis Generalibus, Nationalibus, & Provincialibus, & in corpore Juris contentis, Beneficiarii residentiales à residentiæ personalis debito sunt immunes (*c*). Adeòque quod ipsi non resideant, nedùm Canones non lędit, sed imò prorsùs canones lædit velle illos ad residentiam coarctare, quando jura onus hoc ab illis abscindunt.

6. *Tertium suppositum* est, quod debere residere in beneficiis etiam merè simplicibus, sit punctum disciplinæ immobile, & invariabile. Nàm hoc tàm gratis fingitur, quàm sine ullâ hæsitatione affirmatur: & supponitur quidèm ex adverso, sed non probatur. *Præceptorum*, inquiebat B. Petrus Cluniacensis, *quædam pro ratione causarum, & temporum mutantur, quædam se mutari nullâ ratione permittunt* (*d*). Immutabilia sunt primo loco divina mandata, de quibus D. Bernardus: *quod est non ab homine traditum, sed divinitùs promulgatum, nisi à Deo qui tradidit mutari omninò non patitur, ut exempli causâ, non occides, non mæchaberis &c.* (*e*). Immutabilia quoque, sive immobilia sunt aliqua puncta disciplinę, quorum generali subtractione decoloraretur formositas Ecclesiæ: Vel omnes illius ordines scandalum paterentur: Vel status universalis Ecclesiæ mutaretur, confunderetur, perturbaretur. Hęcque talitèr sunt immobilia, ut secundum Doctores nec etiam Pontifex ea valeat totalitèr abrogare, nec in eis generalitèr dispensare (*f*): Sic esset tollere prorsùs, in perpetuum, & quoàd omnes Jejunium quadragesimale: Vino consecrando nè misceatur aqua interdicere: Abstinentiam à carnibus quibusdam anni diebus omnimode prohibere: Cunctos Clericos Canonis privilegio privare: Viros omnes ecclesiasticos generali lege potestati laicali submittere, & alia majoris momenti, per quæ nimium Ecclesia deformaretur, scandalizaretur, & turbaretur.

7. Alia verò, spectantia quidèm ad ecclesiasticam disciplinam, sed non tanti momenti; mobilia sunt, variabilia, & juxtà locorum occasionum, ac temporum contingentias, diversitati subjectas. Quæ quià, ut ipsemet D. Bernardus ait, *inventa, atque instituta fuerunt, non quià alitèr non liceret, sed quod magis ità expediret, nec planè ad aliud, quàm ad lucrum, vel custodiam charitatis &c. nonnè justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoquè, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodiùs demutentur* (*g*). Ità cernimus in desuetudinem abiisse, aut elanguisse, vel alitèr abrogatas fuisse, abstinentiam à sanguine, & suffocato: quotidianam laicorum Communionem in missâ post peractam consecrationem: Agapes sive prandia, quæ in Ecclesiis fiebant: mutuum osculum, quo se fideles, post preces finitas vicissim complectebantur: Pænitentiæ publicæ frequentem usum, & similia (*h*). De his benè dici potest cum D. Augustino: *mutata temporis causâ, quod rectè antè factum fuerat ità mutari vera ratio flagitavit, ut cum ipsi dicant rectè non fieri si mutentur; contrà veritas clamet rectè non fieri, nisi mutentur* (*i*).

(a) *Vid supr. cap. 21. 22. & 23.*

(b) *Vid. hic supr. cap 9. per totum.*

(c) *Vid. hic supr. cap. 16. 17. 18.*

(d) Petr. Cluniac. *epist. 28. §. Hoc.*

(e) *S. Bernard. de præcept. & dispensat. cap. 2. tom. 2.*

(f) *S. Bernard. loco citato.*

(g) *DD. ap. Barbos. Jur. Eccl. univ. l. 1. c. 2. à n. 190 ad 194.*

(h) *S. August. in epistola ad Marcellin.*

(i) *Vid. Petr. Aunati appar. ad posit. Theol. l. 3. ar. 6. §. Nàm*

8. Quid

8. Quid plura? Ipsum venerabile Altaris Sacrificium, quo nihil sanctiùs, nihil augustiùs, olim plurièsin die à Sacerdotibus poterat celebrari, adeò ut aliquos bis (a), alios plurièś, & Sanctum Leonem Papam III. septiès, octiès, & ultrà in die celebrasse apud Historicos inveniatur (b). Et tamen jam à septingentis annis non licet unâ, & ipsâ die plus quàm semèl celebrare, ex quo Urbanus Papa II. generali lege decrevit: *Sufficit Sacerdoti unam missam in die unâ celebrare, quià Christus semèl passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, & valdè felix est qui unam dignè celebrare potest* (c). Cur autem hoc? quià unam vel plures in die missas celebrare punctum est disciplinæ, sed punctum, quod qualitèrcumque observetur, non alterat integritatem fidei, nondecolorat venustatem Ecclesiæ; non pietatem fidelium diruit, non scandalum causat, non perturbationem in Ecclesiâ producit, ideòque mobile, variabile, alterabile fuit, prò temporum, locorum, & personarum circumstantiis. Hinc nostrâ ætate tres missæ in die Natalis Domini celebrantur ex præcepto Papæ Telesphori (d), totidemque olim in festo S. Joannis Baptistæ celebrabantur (e), sed subsistente nùnc Natalis observantiâ; alia festi Sancti Præcursoris jam recessit ab aulâ. S.Leo III. ut innuimus, novemusque vicibus in die celebrabat: ex opposito S. Bonifacius non nisi semèl in die missam facere audebat; *ambo*, inquit Vvalafridus Strabo, *tàm scientiâ, quàm gradu præcipui. Itàquè unusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet* (f).

9. Idem dicendum est de similibus aliis punctis, & præsertìm de illo residentiæ, quæ sive fiat, sivè non fiat, in hoc, vel illo beneficio, & præsertìm in beneficiis mere simplicibus, ad ecclesiasticam quidèm disciplinam pertinet, verum non est punctum disciplinæ immobile, & invariabile, sed potiùs mobile, & variabile, quià sivè resideant Beneficiarii simplices sivè non resideant; nihil deperit Ecclesiæ decoris, nullum scandalum in Ecclesiâ gignitur, nulla inter fedeles perturbatio causatur, sed potiùs custoditur decor ille, qui refunditur in Ecclesiam, quod sit *circumdata varietate*, dùm alii ex ejus ministris in eo loco, alii in alio Deo famulantes stipendia suæ servitutis accipiunt: alii personaliter resident, & officia propria ex se ipsis complent, non aliorsum ad aliud officium exercendum addicti: alii non per se, sed per alios beneficiis inserviunt, ut alibi utiliùs Ecclesiæ famulentur, studiis literarum, ministeriis ecclesiasticis, vel Sedis Apostolicæ, aut Reipublicæ Christianæ pro illorum habilitate congruis utilitatibus applicati. Tàm ad venustatem quoque, quàm ad æquitatem Ecclesiæ pertinet, quod viri nobiles, & egregii, vel doctrinâ, vel insigni sanguinis claritate non cogantur in locis ruralibus & solitariis, tamquàm exules, & eremitæ, habitare, ubi beneficia merè simplicia possident, ut studio scientiarum, & artium liberalium postposito, in solitudinibus errent, otientur, vel rebus ruralibus applicentur, cum solis rusticis conversantes.

10. Proptèr quæ, & quoniàm usquè ad præsens tempus in totâ Ecclesiâ, in cunctis Christianitatis Regionibus, omissa est residentia à Beneficiariis merè simplicibus, etiam Doctrinâ, & Sanctitate præclaris, & ità in dies frequentatur ab infinitis Clericis, morum probitate, & Sacræ Scripturæ, Theologiæ, atque Canonum peritiâ excellentibus, piis tandèm, & doctis; velle nùnc omnes Beneficiarios hujusce speciei ad residentiam personalem arctare, idem esset ac Ecclesiam perturbare, atque inquietare: hicque prævalet sensus ille celebris D. Augustini, quod *ipsa mutatio consuetudinis etiàm quæ utilitate adjuvat, tamèn novitate perturbat, quaproptèr quæ utilis non est, perturbatione infructuosâ consequentèr noxia est* (g). Oportceret quoque perturbare, ac inquietare Beneficiarios simplices omnes, qui sunt, & qui hucusque fuerunt, peccati, & respective damnationis æternæ damnare; Cunctos demùm Papas, Episcopos, Reges, & Laicos, quà conferentes beneficia simplicia, quà Clericos ad ea nominan-

(a) Domin. Magr. Vocab. Eccl. V. Missa.
(b) Vvalafrid. Strab. de rebus Eccl. cap. 21. Baron. ann. 816. n. 54.
(c) Can. sufficit 53. de Consecr. dist. 1.
(d) Vvalafrid. Strabo de reb Ecclef. c. 21.
(e) Magri loc. cit.
(f) Vvalafrid. loco citato.
(g) S. Augustin. epist. ad Januar.

minantes, nec ad residentiam urgentes, gravis peccati proprii, vel cooperationis ad peccatum Beneficiariorum, arguere, & sic totum mundum ad pœnas erebi condemnare, quod non est sapere, sed delirare, & parùm providè se gerere. Cæterùm quoàd legum, & rerum ecclesiasticarum mutabilitatem requirat Lector, quæ alibi in hoc opere sumus fusiùs elocuti (*a*).

11. *Quartum suppositum* est, quod S. Augustinus, S. Cyprianus, S. Thomas, Osius Cordubensis, Vvillelmus Parisiensis, Tertullianus, Gersonius, Bellarminus, Alexander III., Clemens IV., & alii Pontifices, Patres, & Scriptores quà circà hoc in oppositum allegantur, sermonem habeant de Beneficiis, & Beneficiariis merè simplicibus: quandoquidèm nec unus illorum de tali rè sermonem habet, sed vel loquuntur de Beneficiis, & Beneficiariis curatis, atque residentialibus; de quibus nobis nulla est disputatio: Vel sermocinantur de dogmatibus fidei, aut de rebus ad traditionem Divinam, vel Apostolicam pertinentibus, cum quibus præsens controversia nihil habet commune: Vel demùm agunt de aliis causis, & negotiis, ad rem nostram non facientibus, & quæ toto cælo distant ab articulo, quem discutimus: adeòque cum unumquodque illorum sit adiaphorum, sit parergon respectu negotii nostri, nihil ad nos refert, quidquid ipsi scripferint, vel protulerint: à diversis enim ad diversa non valet argumentum, & consequentia non tenet.

(a) *Vide supr. Tom. 2. cap. 19. n. 3. 4. c. 21. per tot. & in Tom. 3. c. 6. n. 8.*

12. Respondetur *secundò*, negando causalem minoris, in argumento propositæ, nempe quod consuetudo non residendi in beneficiis merè simplicibus, non sit legitima consuetudo, sed corruptela, & abusus, cui adaptari debeant, & possint doctrinæ in oppositum allegatæ pro pravis consuetudinibus evertendis; ideòque ista quoque consuetudo sit ab Ecclesiæ limitibus obleganda: falsum est hoc enim, ac merè commentitium, & ideale. Non enim dici potest corruptela, nequè abusus, nequè quid pravum, ritus, observantia, sive mos, qui tot rationibus innititur Scripturalibus, Theologicis, Legalibus, Historicis, Politicis, ac ex Sanctorum Patrum, & Conciliorum auctoritate desumptis, quot suprà enumeravimus: Nec esse potest prava consuetudo illa, quam omnes Papæ frequentarunt, omnesque Episcopi, omnes Clerici, omnes Reges, omnes Laici, alii conferendo beneficia merè simplicia, alii respectivè ad ea nominando, alii eadem tandem suscipiendo: praxi quæ ab initio Ecclesię usquè ad nostra tempora invaluit, & nùnc quoque indesinentèr viget, dùm cuncti Christiani sic vivunt, & sine scrupolo observant. Imò si vera loqui volumus, nulla fortè reperibilis est consuetudo tot justis titulis innixa, totque rationibus constipata, quot habet pro se consuetudo, de quâ tractamus.

13. Nèc valet inutilitèr aggregare fragmenta doctrinæ, & segmina auctoritarum, ex Patribus, Conciliis, Summorumque Pontificum Constitutionibus carptitata, generalitèr contrà pravas consuetudines declamantia, quasi & nos non possemus centum alia frustula, incontrarium resonantia, congerere, ac Patrum, Conciliorum, & Pontificum doctrinam proferre, bonas consuetudines collaudantium. Quis negat etenim pravas consuetudines eliminandas esse, atque è medio tollendas? Sed quis negabit etiam, si sanè mentis est, quod bonæ consuetudines custodiendę sint, & pro viribus observandę? Olim *consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem* (*b*). Bonę consuetudines ergò servandę sunt, *& sicut prævaricatores legum divinarum; ità contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt* (*c*), quidquid alicubi clament Pontifices, Patres, & Canones contrà pravas consuetudines. Alioquin si vis argumenti, & modus arguendi, quo hic utuntur Contradictores, pręvalere deberet; cum viris doctis, & peritis, notum sit Patres, Pontifices, & Concilia, atque Scriptores, multa pro bona, multa contrà malam consuetudinem dictitasse, posset unusquisque pro suo libito periodos codicum auctoritates Doctorum, ac fragmina librorum, vagè, ac genc-

(b) *S. August. lib. 2. de baptism. c. 9.*
(c) *S. August. epist. ad Casulanum.*

generalitèr loquentia confuere, ficque omnes humanas confuetudines, tàm quę civilem, quàm quę politiam ecclefiafticam concernunt, arbitratu fuo & approbare, & improbare: & impugnare, & laudare: & adftruere, & diffolvere. Sed *quis ità defipiat, ut hoc fapiat* (a).

14. Oportet ergo, quod Contradictores non fragmenta doctrinę in abftracto, vagè, ac generalitèr eloquentis, producant, fed doctrinam folidam, & auctoritates in concreto, de negotio noftro tractantes, atque impugnates non malas confuetudines utcumque, fed hanc precifam confuetudinem non refidendi in beneficiis merè fimplicibus, quod tamen nunquàm facient, quià nunquàm invenient Patres, Pontifices, Concilia, & Scriptores ecclefiafticos, qui animum illuc intenderint, ut hanc individuè confuetudinem improbarent. Ubi nos ex oppofito (prætermiffis infinitis aliis recentioribus probationibus) oftendere poffumus, quod in Concilio Ephefino confuetudo non refidendi in beneficiis, nedum merè fimplicibus, fed etiam refidentialibus, & curatis pronunciata eft pro legitimâ, juftâ, rationabili, & fidelitèr obfervanda. Nàm cùm Euprepius, & Cyrillus Epifcopi provincię Europeę Synodum interpellaffent, ut liceret eis inpofterùm, quemadmodùm ufque tùnc fuerat obfervatum, binos, ternofque regere Epifcopatus, tametfi confuetudo illa refidentiam impediret, quippè pluralitas in beneficiis curatis neceffariò immunitatem à debito refidendi in alterutro includit (b); Synodus antiquum ftylum, & confuetudinem obfervari omninò mandavit.

15. En ejus verba. *Sancta, & Univerfalis Synodus dixit: Honefta petitio eft pientiffimorum Epifcoporum Euprepii, & Cyrilli &c. Undè & fanctis Canonibus, & efternis legibus, quæ veterem confuetudinem jubent vim legis habere, nihil innovandum in Europæ Civitatibus, fed juxtà veterem confuetudinem gubernentur ab Epifcopis, à quibus & olim* (c), ficque perrexerunt Epifcopus Heracleæ juxtà prifcam confuetudinem retinere beneficia Epifcopalia Heracleæ, & Panionis; Epifcopus Bizenfis, Ecclefias Bizen, & Arcadiopolis: Epifcopus Cæleufis, Epifcopatum Cælanum, & Callipolitanum, & alii alios, in quorum alterutro neceffariò non refidebant (d). Si ergò ex definitione Concilii præfati Generalis tertii, communi voto 200. Epifcoporum, qui ei interfuerunt, fancitum eft confuetudinem eo ufque prævalere adverfus refidentiam Beneficiariorum, ut eam etiam à beneficiis Epifcopalibus, & Curatis expungat; quis tam infipiens erit ut argueudo à majori ad minus, à quo ritè ducitur argumentum (e), audeat pertinacitèr affirmare, illam non fufficere ad liberandos Beneficiarios merè fimplices ab eodem debito refidentiæ?

16. Ad id, quod dicitur, confuetudinem in iis, quæ fpectant ad mores, & quæ jam femel approbata funt, nihil juris habere ad illa mutanda, refpondeat D. Auguftinus in epiftolâ ad Marcellinum theoricè fic perorans: *non itàque verum eft, quod dicitur: femèl rectè factum nullatenùs effe mutandum. Mutatâ quippè temporis causâ, quod rectè antè factum fuerat, ità mutari vera ratio plerumque flagitat, ut cum ipfi dicant rectè non fieri fi mutetur; contrà veritas clamet, rectè non fieri nifi mutetur, quià utrumque tùnc erit rectum, fi erit prò temporum varietate diverfum* (f). Et fi theorica gloriofiffimi hujufce Doctoris plenè non fatisfacit voto Contradictorum, legant ipfi tres tomos Ludovici Thomaffini (g), qui totus eft in fcrutandâ veteri, & novâ Ecclefiæ difciplinâ: inveniemtque non unam, fed centum, & mille res, ab initio Ecclefiæ ufquè ad noftra tempora multiformitèr immutatas; & facta convincent quos ratio non captivat.

17. Refpondetur *tertiò*, denuò negando aliud fuppofitum, quod eft *quintum* in ordine, fundatum in eo, quod confuetudo adverfus canones, refidentiam exigentes, nihil prævaleat. Negamus inquam fuppofitum, nempè quod dentur canones individuè, ac exprefsè decernentes, Beneficiarios merè fimplices

(a) *S. Auguft. de doctr. Chriftian. lib. 4. c. 2. num. 3.*

(b) *Fagnan. in cap. dudum n. 41. de elect.*

(c) *Conc. Ephef. I. Act. 7. in fin.*

(d) *Ibidem paulò ante.*

(e) *Jur. & DD ap. Barbofam tract. Var. Loc. 67.*

(f) *S. Auguft. epift. 5. ad Marcellin.*

(g) *Ludov Thomaffin. vet. & nov. Eccl. difci. l. p. 1. 2. & 3.*

ces ad residentiæ personalis debitum obligari. Nàm in illo libro canones continente, reperire facilè erit ullum Canonem hoc expresse præcipientem. Et quamvis communiter à Doctoribus asseratur, quod de Jure cuncta beneficia exigunt residentiam (*a*), scilicèt servitium personale; hoc enim importat obligatio residentiæ (*b*), & sic de Jure ipsam residentiam deposcant etiam beneficia simplicia (*c*). Tamen hoc rigorosè loquendo non subsistit, ut alibi pluriès in præsenti Tomo pleno calamo patefecimus; verumque est hoc assertum non de beneficiis merè simplicibus, sed de aliis beneficiis choralibus, uti sunt Canonicatus, Mansionariæ, & similia, servitio chori addicta, quæ solent dici à Doctoribus beneficia simplicia, quatenus contradistinguuntur à beneficiis curatis, & dignitatibus ecclesiasticis, quæ vocantur beneficia simplicia. Et sic perperàm affirmatur, quod de Jure communi beneficia merè simplicia exigant residentiam,

(a) *Abbat. in c. exstirpandæ n. 30. de præbend. Oldrad. Cõs. 140. Fagnan. in c. cũ omnes num. 12. de Constit. l. 1.*
(b) *Fagnan. in c. ut Abbates num. 101. de ætat. & qual. l. 1.*
(c) *Fagnan. in c. super inordinata n. 5. de præbend. l. 3.*

18. Sanè tota ratio, proptèr quam DD. affirmant, quod de jure communi etiam beneficia merè simplicia residentiæ debito coarctentur, est quià in *cap. supèr inordinata 35. de præbendis*, decernitur, quod Beneficiati in unâ Ecclesiâ, non sunt idonei ad beneficia in aliâ Ecclesiâ consequenda, ob hanc rationem, quià in eadem non valent personaliter deservire (*d*). In illo autem Canone Pontifex pro ly *Beneficiati* non intelligit singula generum, sed genera singulorum, ut loquuntur Philosophi; nempè intelligit, quod Clerici, qui sunt ex genere Beneficiatorum, nimirùm Episcopi, Abbates Monasteriales, Parochi, Canonici, Mansionarii, Archidiaconi, Præpositi, & alii Ministri curati, vel chorales, qui ingrediuntur genus Beneficiatorum, non sunt idonei ad beneficia similia in secundâ Ecclesiâ suscipienda, quià in eâ non valent personaliter deservire. Non verò intelligit singulos generis, quià sunt aliqui, genus Beneficiatorum intrantes, qui tametsi Beneficiati sint, non tamen tenentur ex sè Ecclesiæ, in quâ beneficium obtinent, deservire, & hi sunt Beneficiarii merè simplices, quibus alia beneficia est licitum adipisci.

(d) *Prosper Fagnan. loc. citat.*

19. Præterquam quod ex ipsâ lecturâ contextus, & epistolæ Gregorii IX. ex quâ conflatus est Canon præfatus, patet, quod Papa respondet consultationi Episcopi Argentinensis, de beneficiis Choralibus loquentis. Nec res alitèr esse debet etiam in sententiâ Contradictorum, qui comminiscentes, quod beneficia merè simplicia remotioribus Ecclesiæ temporibus non darentur à parte rei, & primò inceperint emergere circà sæculum Christi duodecimum (quod tamen suprà nos demonstravimus gratis asseri); Vix credibile est, quod tempore Gregorii Papæ IX. qui initio sæculi decimitertii electus est, jam adeò invaluissent in Ecclesiâ Argentinensi beneficia merè simplicia, ut bina eis uni, & eidem Clerico traderentur. Vel si tempore Gregorii IX. jam inceperant beneficia merè simplicia, & consequentèr etiam eorum exemptio ab onere residentiæ; incredibile penè videtur, quod Episcopus Argentinensis consultaverit Papam, an posset beneficium simplex Clerico jam beneficiato præbere: cùm jam ut supponitur invalesceret mos abscindens à beneficiis merè simplicibus debitum personalis residentiæ. Quarè oportet, quod in illo Canone sermo sit non de beneficiis merè simplicibus, sed de residentialibus, & sic nil probat, quod Beneficiarii merè simplices de jure communi residentiæ debito constringantur.

20. Sed quatenùs etiam verum esset vi hujus, vel alterius Canonis, quod de jure communi beneficia quoque merè simplicia exigerent residentiam; certum est, quod de generali Ecclesiæ consuetudine illam jam ampliùs non exposcunt (*e*). Perperàm autem contenditur consuetudinem nihil contra Canones prævalere, cum ex decreto ejusdem Gregorii Papæ IX. Juris corpori inserto, habeamus, quod Consuetudo *rationabilis, & legitimè præscripta* juri positivo prævalet, ac præjudicat (*f*). Et individuè in materiâ beneficiorum dubium non est ex D. Thomâ, quod consuetudo valet jura humana abrogare (*g*). Profectò quid in

(e) *Seraph dec. 639. nu. 5. Oldrad. cons. 140. Fagnan in c. cũ omnes num. 14. de Constit.*
(f) *Cap. ult. de Consuetud.*
(g) *S. Thomas quod. lib. 9. art. 15.*

in Concilio Epheſino, ut innuimus, permittere fecit Epiſcopis Europæis poſſe duas, & plures infimùl Eccleſias retinere, niſi conſuetudo (*a*)? Quid in Concilio Nicæno audaciam repreſſit Meletii Lycopolitani hàc illac Sacerdotia diffundentis, niſi conſuetudo? Quid in Concilio Antiocheno abſolvit Cyprios Epiſcopos à ſubjectione Patriarchæ Antiocheni, niſi conſuetudo? Quid allegatum fuit à Philippo Pulchro Gallorum Rege adverſus Bonifacium Papam VIII. pro jure conferendi quemadmodùm faciebat eccleſiaſtica beneficia, tamerſi eſſet laicus, niſi conſuetudo? Quid propoſitum fuit ab Innocentio Papâ III. ad arctandos Canonicos Rotomagenſes ad reſidentiam, niſi conſuetudo (*b*)?

21. Itidèm conſuetudo facit, quod fructus præbendarum, qui de jure ad ſolos præſentes pertinent de more etiam abſcentibus debeantur (*c*). Conſuetudo inculcata fuit ad Hincmaro Remenſi apud Francorum Regem, ut in electione Antiſtitum ſervaretur (*d*). Conſuetudo agit, quod certa ratio cuſtodiatur in Cathedratico perſolvendo, quod eſt pars proventuum eccleſiaſtici beneficii (*e*). Conſuetudo dèmùm alia plura circà res beneficiales diſponit, quas minutatìm recurrere longum eſſet: Non ergò verum eſt, quod conſuetudo nihil prævaleat adverſus canones in materiâ, quæ proſpicit eccleſiaſtica beneficia, cum ex relatis pateat evidentèr oppoſitum. Et adhuc magis individualitèr ſermonem reſtringendo ad reſidentiam beneficiorum mere ſimplicium, nedùm conſuetudo eandem reſidentiam perimens invaleſcit, nec eſt prava, neque abuſiva, & Sacris Canonibus inimica? Sed potiùs eſt bona, laudabilis, legalis, & à Sacris Canonibus approbata: Audiatur Fagnanus: *Generalis conſuetudo inolevit, ut beneficia ſimplicia perſonalem reſidentiam non requirant &c. Sed ſatis eſt eis deſervire per ſubſtitutum, quæ quidèm conſuetudo hodiè videtur approbata in cap. gratia de reſcrip. in 6. & Clement. gratiæ eod. tit.* (*f*).

22. Et ità, ſi fuit unquàm antecedentèr de jure, quod Beneficiarii quoque merè ſimplices ad reſidentiæ debitum arctarentur; jam vi conſuetudinis, per canones approbatæ, & per totum orbem univerſalitèr cuſtoditæ, factum eſt de jure, quod ad illam non amplius adſtringantur. Eo modo, quo res ſe habet in Jurepatronatus, quod ab initio nullum erat de Jure. Et ità in Concilio Toletano decretum eſt: *Noverint conditores Baſilicarum, in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere: ſed juxtà canonum inſtituta ſicut Eccleſiam, ità & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere* (*g*). Succeſſu temporum inceperunt plura jura concedi fundatoribus Eccleſiarum, ut eſt jus defenſionis (*h*), necnon jus proceſſionis (*i*), itèm jus alimentationis (*l*), & tandèm jus præſentationis (*m*). Et quamquàm hoc jus præſentationis, quod inter cętera eſt magis relevans, & frequentatum, ſit jus gratioſum, quippè illud Eccleſia ex merâ gratiâ incæpit, & poſteà continuavit, & continuat reſervare fundatoribus (*n*); attamèn poſtquàm invaluit jus iſtud præſentationis, ſive jus patronatus, fuitque non ſolùm toleratum ut antè, ſed etiam approbatum, & redactum in corpus Juris; amodò non tàm gratia, quàm juſtitia eſt, & eſt de jure (*o*). Ità ut Ordinarius cogi poſſit ad reſervandum juſpatronatus fundatori Eccleſiæ, & adhùc renuente Ordinario illud reſervare, Superior Antiſtitis, vel Ordinarii, auctoritate ſuâ illud valeat reſervare (*p*), ſicque factum eſt jus, & de jure, quod anteà erat contrà Jus.

23. Memoriæ occurrit hiſtoria, quam hìc opportunè poſſe inſeri cogitamus. Jus poſitivum Civile interdicit, & olim quoque interdicebat, ne quis poſſet in Uxorem etiam adulteram, privatâ auctoritate ſævire, illamque, & cum ea adulterum interficere: nemini nàmque licitum eſt ſibimet ipſi jus dicere. Nihilominùs inter Gothos paulatìm ea invaluit conſuetudo, ut quiſque in adulterio deprehenſam uxorem cum adultero poſſet propriis manibus trucidare. Improbantibus autèm aliquibus morem hunc, tamquàm legibus inimicum, & apud Regem Theodoricum de ipſomet obloquentibus, Rex nedùm non illum ſu-

(a) *Concil. Epheſ. Act. 7.*

(b) *Innoc. III. epiſt. ad Vualter. Rotom. fol. 50.*

(c) *Borel ſum decif. tom. 1. tit. 10. n. 24.*

(d) *Flodoar. l. 3. c. 4.*

(e) *Cap. Nec numerus 3. Cauſ. 8. qu. 3.*

(f) *Fagnan. in cap. cum omnes nn. 14. 15. 16. de Conſt. l. 1.*

(g) *Cap. noverint 10 qu. 1. Gloſ. in Cap. piæ mentis 16. qu 7.*

(h) *Cap. filius 16. q. 7.*

(i) *Cap. piæ mentis 16. qu 7.*

(l) *Cap. nobis de Jurepatr.*

(m) *Cap. decernimus 16. quos.*

(n) *Fagnan. in cap. quoniam n 7. de Jurepatr l. 3.*

(o) *Fagnan. loc. cit. num. 12*

(p) *Barboſ Jur. Eccleſ univ lib. 3. cap. 12. n 41.*

sustulit, sed imò potiùs expressis vocibus approbavit, respondens: *prò amore pudicitiæ porrigere ferrum maritis, non est leges calcare, sed condere* (a). Congruè igitur adaptando sensum istius historiæ quæstioni nostræ, breviter asserimus: pro pace Ecclesiæ tuendâ, nè novitatibus perturbetur; vim conferre consuetudini, absolvendi Beneficiarios merè simplices ab onere residentię, *non est leges calcare, sed condere*. Quid enim est consuetudo, inquit S. Isidorus, nisi *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex* (b).

24. Profectò rem non vagè, sed strictè considerando, unum necessariò ex his duobus est verum: quod vel antè consuetudinem hanc erat aliqua lex cogens Beneficiarios merè simplices ad residentiam personalem, vel non. Si non; prout de facto nulla erat, saltèm expressè, & individuè loquens; ergò stare debet pro lege consuetudo, illos ab hoc debito absolvens. Si erat, ergò cum successivè invaluerit consuetudo, debitum illud abscindens; Consuetudo justa, opportuna, laudabilis, cui & per multæ rationes hùcusquę recensitæ suffragantur, & praxis totius Ecclesię, & Canonum approbatio (c), & Doctorum consona opinio (d); jam hæc ipsa in legem transivit quà nil firmiùs reperiri potest (e): & illi dare vim eximendi Clericos, beneficiis merè simplicibus insignitos, à debito residentiæ, *non est leges calcare, sed condere*. Nèc tolli meretur hęc lex, sed illius potiùs contemptores merentur congruis increpationibus coerceri (f).

25. Respondetur *quartò*, ad reliqua in argumento proposita, nempè quod ad vulnerandam consuetudinem sufficiat etiam unus actus contrarius: tot autem contrarii actus hìc intercesserint quot Concilia posteriorum sæculorum, consuetudinem hanc improbarunt, & de redintegrandâ residentiâ tractarunt; Respondetur, inquam, quod, quidquid sit de numero actuum sufficientium ad consuetudinem evertendam; negamus suppositum, quod est *sextum* in ordine, nimirùm quodullum Concilium quidquam de redintegrandâ residentiâ in beneficiis merè simplicibus tractaverit, vel tractando definiverit. Nàm imò potiùs patet oppositum, & retorquetur argumentum ex duplici capite; primò quià de facto Concilia posterioris temporis, eandem beneficiorum immunitatem, à residentię personalis onere decretis plurimis approbarunt, prout superiùs nos uberrimè demonstravimus (g): secundò, quià si de hâc residentiâ inducendâ tractarunt, & nihilominùs nihil definierunt; signum est, quod rè seriò ventilatâ, cognoverunt, esse rem nimium injustam velle Beneficiarios merè simplices novo hoc onere prægravare, ac nativâ libertate nudare. In Concilio Tridentino factum est verbum de hac rè, nec tamen impugnata immunitas Beneficiariorum merè simplicium à debito residendi, nec ut in futurum residerent decretum est. Imò si de hoc onere ipsis ingerendo, vel per Concilium, vel per Papam deliberatum esset; censet Historicus ejusdem Synodi, quod Reges, & Principes obstitissent: ait enim: *Dimandiamone il parere à tutti i Prencipi, ed à tutte le Signorie Cattoliche. Proponga il Papa una legge, che tutti i beneficii divengano di residenza, e vedremo se alcun Potentato sia per approvarla; ò se ciascheduno giudicherà necessario al buon governo, che molti di que beneficii, de quali conviene à se la presentatione, possano darsi à chi non risegga, mà stia impiegato ne ministerii della Republica* (h).

26. Tandèm ad id, quod dicitur, Ecclesiam non approbare consuetudinem non residendi apud beneficia merè simplicia, sed solùm eam tolerare ad vitanda majora mala; superflua est ulterior responsio, cum ex hùcusque adductis pateat evidentissimè, hoc gratis asseri, nec Ecclesiam merè connivendo se habere, solamque patientiam præstare, sed rè verâ exemptionem ipsam à residentiæ debito, ejusque morem, & consuetudinem approbare, tàm Sacris Canonibus Juris corpori insertis, quàm sanctionibus editis in Sacris Conciliis, nec

(a) *Cassiod. Var. l. 1. epist. 37.*

(b) *Cap. Consuetudo 5. dist. 1.*

(c) *Fagnan. in cap. cum omnes nu. 16. de Const. l. 1.*

(d) *Borel. tom 1. tit 10. à n. 16. ad 25. Abb. Cōs 42. in princ. lib 2. Seraph dec. 639. num. 5.*

(e) *Cap frustra dist. 8. cap illud dist. 12.*

(f) *Cap. in his rebus dist. 11.*

(g) *Vide supr. in hoc Tom c. 8 & n. 11.*

(h) *Card. Pallavic. Hist. del Concil lib 8. cap. 17. nu 6. Vide hic supra c. 8. n. 10 &c.*

nec non praxi generali, à cunctis Christianis Nationibus frequentatâ, jam à multis fæculis obſervatâ, nec unquàm interruptâ, & à piis quoque, ac ſanctis viris praxim redactâ: quam demùm tenent, cuſtodiunt, & ad effectum quotidianè perducunt omnes Summi Pontifices, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Parochi, Presbyteri, Clerici, omneſque Reges, Duces, Principes, Magnates, Laicique alii, qui beneficia merè ſimplicia, vel conferunt, vel ad ea nominant; vel reſpectivè ipſa ſuſcipiunt. Si hoc autem *tota per orbem frequentat Eccleſia &c. quin ità faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*, inquiebat Sanctus Pontifex, & Eccleſiæ Doctor Auguſtinus (*a*).

(a) *S. Auguſt. epiſt. 118. ad Januar.*

27. Nec facit ad rem *cap. cum jam dudùm de præbendis*, quià ibi textus loquitur de beneficiis reſidentialibus, quę toto cælo diſtant à merè ſimplicibus, beneque ibi dicit Pontifex, quod plura reſidentialia, tutâ conſcientiâ non valeat inſimùl retineri ſine diſpenſatione, etiam ſi adſit patientia, & tolerantia Eccleſiæ, actum illum non punientis, quippè patientia non eſt diſpenſatio (*b*). Aliud eſt enim non ulciſci opus prohibitum, ſed illud diſſimulare, ne intentatio ultionis pecora mala parturiat. Aliud eſt ratum habere opus, de ſuâ naturâ, non malum, ſed bonum, utile, moribus hominum conſentaneum, & à cunctis nationibus frequentatum; hoc non dicitur pati, ſive patientiam præbere, ſed approbare, authorizzare, ac licitum declarare: hocque ipſum contingit in conſuetudine, de quâ eſt ſermo, non enim illam patitur Eccleſia, non illi ſimplicitèr connivet, non illius curſum diſſimulat; ſed eam poſitiva approbat, & authorizzat.

(b) *Cap. 2. de Cognat. & ibi G oſ.*

18. Proùt etiam nihil facit ad rem, quod plures conſuetudines fuerint ab Eccleſiâ ſublatæ, eo quod eſſent à Sacrorum Canonum inſtitutis alienæ: quemadmodùm erat illa, quod Sacramentum Confirmationis à Presbyteris, vel Abbatibus conferretur: Quod Preſides Eccleſiarum eaſdem, inconſulto ſuperiore, deſererent: Quod Monachi in Prioratibus non reſiderent: Quod Canonici duas præbendas poſſiderent: quod Clerici ex ſè ſibi beneficia, ſine Ordinarii collatione ſuſciperent &c. Nàm hæ, & ſimiles introductiones non erant legitimæ conſuetudines, neque mores per totam Eccleſiam recepti, ſed ſolùm alicubi temerariè uſurpati, furtìm intruſi, ac adverſus apertas juris divini, vel humani, diſpoſitiones inducti; taleſque demùm, quibus Eccleſia fortiſſimè reſiſtebat, ac eos pro abuſibus manifeſtiſſimis declarabat: Quæ circumſtantiæ non concurrunt in noſtro caſu. Immunitas nàmque beneficiorum merè ſimplicium à debito reſidentiæ perſonalis, nec divino, neque humano juri adverſatur: nec unquàm declarata fuit corruptela, vel abuſus, ab Eccleſiâ eliminandus: nec in uno tantùm, vel altero loco furtìm ad praxim perductus eſt, ſed ubilibet in totâ Eccleſiâ, à cunctis Chriſtianis Clericis, & Laicis, ſine ullo peccati ſcrupulo frequentatur, & ſub hoc themate jam tota vivit Eccleſia: quam totam in errore verſari, totam in peccato vivere, totam in ſtatu damnationis miſerrimè deliteſcere, ſi quis affirmet; elleboro indiget, quo curetur, non reſponſione, qua ſuadeatur.



CAP.

CAPUT XXXVI.

In quo corruere SEXTAMDECIMAM OBJECTIONEM *ostenditur, deductam ex Sacris Conciliis, quæ decernant Beneficiarios merè simplices ad residentiæ personalis debitum obligari.*

SUMMARIUM.

1 Decimasexta Objectio *de pluribus Conciliis, à quibus decernantur Beneficiarios merè simplices ad residentiam personalem teneri.*
2 *Idemque etiam deducatur ex Concilio Tridentino, beneficia compatibilia memorante alicubi, sed ea non approbante.*
3 *Mensque Concilii hujus arctandi Beneficiarios ipsos elicitur ex pluribus factis, dictis, & decretis S. Caroli Borromæi.*
4 *Plura ex dictis Conciliis non loquuntur de beneficiis merè simplicibus, & aliqua loquuntur de Clericis, non de beneficiis.*
5 *Aliqua obligant non solùm Clericos, verùm etiam laicos, undè non detrabunt immunitatem à residentiæ debito Beneficiariis simplicibus.*
6 *Concilia Provincialia non obligant extrà propriam provinciam. Posita in Objectione loquuntur de beneficiis residentialibus, non de simplicibus.*
7 *Cum possent Concilia illa nominare Beneficiarios merè simplices, nec id fecerint, signum est noluisse illos ad residentiam arctare.*
8 *Dictio* maximè *Concilii Andegavensi non distinguit inter Beneficiarios curatos, & merè simplices, sed inter illos, & alios residentiales.*
9 *Quæ sit vis adverbii maximè in sermone positi. Præfatum Concilium percutit omnes Beneficiarios residentiales, sed potissimè curatos.*
10 *Ut quid residentiam præfatam ex locis vagis Tridentini expiscare, quandò alibi Beneficiarios merè simplices à tali onere excludit.*
11 *Bis de residentiâ decernens Tridentinum, nunquàm beneficia merè simplicia suis decretis inclusit, ut fecit residentialia.*
12 *Perperàm contenditur Concilium voluisse Beneficiarios simplices ad residentiam obligare, sed non potuisse, quià fuit in aliis rebus occupatum.*
13 *Non est attendenda intentio Concilii nullibi per illud explicata, sed quam verbis expressa præfatos Beneficiarios à residentiâ excludentibus.*
14 *Concilium sicut expressit Beneficiarios curatos, & chorales, sic exprimere potuisset merè simplices, si eos residere voluisset.*
15 *Alibi exigit dispensationem in pluralitate beneficiorum incompatibilium tantùm. Approbat proindè compatibilia.*
16 *Distinxit beneficia requirentia à non requirentibus residentiam: binoque decreto profuit immunitati, de quâ loquimur.*
17 *Deliberationes Conciliorum sunt honorandæ. Injuriam facit Concilio, qui semèl in eo disposita revolvere nititur.*
18 *In Beneficiariis residentialibus electa est industria personæ: in merè simplicibus verò non ità. A diversis autem non fit illatio.*
19 *Plures rationes urgent Beneficiarios residentiales, quæ non afficiunt merè simplices. Lex non comprehendit, quod non expressit.*

20 *In-*

20 *Inter fundantes Iuſpatronatus, & Eccleſiam ſit contractus ultrò citròque obligatorius: poſt beneficium erectum non ei poteſt novum onus addi.*
21 *Beneficiis ſimplicibus, præſertìm de jure patronatus novum onus non eſt addendum. S. Carolus quomodò ſe geſſerit circà beneficia ſimplicia.*
22 *In ſuis Conciliis S. Carolus plura decrevit, quæ proſunt immunitati Beneficiariorum merè ſimplicium ab onere perſonalis reſidentiæ.*



1. OBiciunt *Sextodecimo loco* Contradictores hoc themate. Sacra Eccleſię Concilia onus reſidentiæ cunctis differentèr Beneficiariis imponunt: Nàm Concilia Laodicænum, Antiochenum, & Sardicenſe, interdicunt Clericis, ne à ſuâ Eccleſiâ diſcedant (*a*). Concilium Meldenſe jubet Epiſcopos ſępè plebes ſibi creditas perſonalitèr viſitare (*b*). Concilia paritèr Colonienſe, Burdigalenſe, Venetenſe, Ravennatenſe, Beneficiarios omnes incunctantèr ad reſidentiam ſollicitant (*c*). Paritèr Concilium Ebroicenſe reſidentiam Beneficiariorum hiſcè verbis inculcat: *Cogitent utroque jure non ſibi deberi beneficium, niſi propter officium, ideòque fructus ſuos non facere, ſi ſuum non obierint miniſterium* (*d*). Concilium Andegavenſe hoc onus injungit nedùm Beneficiariis curatis, ſed etiam aliis, dicens: *eum perſonæ eccleſiaſticæ in ſuis beneficiis teneantur perſonalitèr reſidere, & maximè ſi curam habeant animarum* (*e*). Concilium Lateranenſe III. omnes Eccleſias, & eccleſiaſtica miniſteria committi jubet ſemper *tali perſonæ, quæ reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſam valeat exercere* (*f*).

(a) *In Decr. 7. qu. 1. & in Decretal. tit. de Cler. non reſid.*
(b) *Conc. Meld. c. 5. ap. Ivonem p 5. c. 190.*
(c) *Conc. Colon. ann. 1310. c. 10. Conc. Burdig an. 1255. c. 1. Concil. Venet. ann. 1367. c. 18 Conc. Raven. ann. 1317 rubr. 9.*
(d) *Conc. Ebroicen. an 1557.*
(e) *Conc. Andegav. an. 1365. c. 16.*
(f) *Conc. Later. IV. cap. 29.*

2. Addunt: Sed prężertìm Concilium Tridentinum id & tacitè, & expreſsè interdixiſſe cognoſcitur, dum vetuſtos Canones de moribus Clericorum in uſum revocavit, inter quos eſt debitum reſidentię (*g*). Alibi affirmat, beneficia ad divinum cultum, & eccleſiaſtica munera obeunda eſſe inſtituta, per quod apparet, velle à Beneficiariis Divinum cultum, & eccleſiaſtica miniſteria perſonalitèr exerceri (*h*). Alibi mandat aliqua ſeminario beneficia, quatenùs ſit opus, uniri, addens tamen id fieri ſine Divini cultus prężjudicio: undè patet Divinum cultum antè omnia eſſe à Beneficiariis adimplendum (*i*). Alibi antiquos Canones de reſidentiâ innovat, ne Cardinalibus quidem ab eâ exemptis (*l*): quos etiam Gregorius Papa XIII. & Urbanus VIII. ſpecialibus Conſtitutionibus ad reſidendum arctavit. Et licèt Concilium ipſum alicubi memoret diſtinctionem inter beneficia compatibilia, & incompatibilia (*m*); tamèn compatibilia non fuerunt à Concilio approbata, inquit Claudius de là Place, ſed ſolummodò tolerata propter iniquitatem temporum, & duritiam cordis plurimorum, donèc opportuniùs poſſet huic abuſui occurri (*n*).

(g) *Conc. Trid. ſeſ. 22 cap. 5.*
(h) *Trid ſeſ. 21. c. 3.*
(i) *Trid ſeſ. 23. c. 18.*
(l) *Idem ſeſ. 6. c. 1. & ſeſ. 23. c. 1.*
(m) *Seſ. 7 c. 4. & 5. & ſeſ. 24 c. 17.*
(n) *Place c. 3. veræ ſentent. § 4. arg. 1.*

3. Sanè Concilium (inquiunt Contradictores) non omnia vitia, & abuſus potuit eradicare, in profligandis hæreſibus occupatum: concupivit tamen, & præſertìm in vobis habuit Beneficiarios merè ſimplices ad reſidentiam perſonalem arctare. Cujus rei ſit fidelis interpres S. Carolus Borromæus, qui ejuſdem Concilii abſolvendi adjutor fuit Pio IV. ejus Avunculos Epiſcopos, qui Concilio interfuerant ſæpiùs audivit, munus Interpretis decretorum ipſius Concilii unà cum aliis Cardinalibus ad idem deputatis exercuit, Catechiſmo tandèm conficiendo, de voto ipſiuſmet Concilii, ſuperintendit. Ipſe inquam S. Carolus, tàm faciendo, quàm docendo, patefecit, mentèm prężfati Concilii Tridentini fuiſſe, quod etiam Beneficiarii ſimplices reſiderent: dùm ipſe plura fecit hùc tendentia; quorum unum eſt in Conciliis Provincialibus Mediolanenſibus decreviſſe, ut arcerentur Clerici à poſſeſſione pluſquàm unius beneficii ſimplicis, quoniàm nullus valeat pluſquàm in unico reſidere, & miniſtrare (*o*). Ergò Sacra Concilia prężmemorata Beneficiarios quoque ſimplices reſidentiæ debito adſtringunt.

(o) *Conc. Mediol. IV tit. de benef. coll. & provis.*

4. Re-

4. Respondetur *primò* ad hoc argumentum, vastissimę quidèm molis, sed exiguissimi ponderis, negando suppositum, nempè quod Concilia exadverso citata, loquantur de beneficiis merè simplicibus: nullum enim omninò ex illis sermonem habet de talibus beneficiis, sed solummodò vel loquuntur de beneficiis curatis, aut choralibus, & servitoriis: ac aliqua ex illis, nec etiam verba faciunt de beneficiis, sed tantummodò de Clericis ut sic, sine ordine ad beneficia. Et tamèn cum simus in pœnalibus, & odiosis, non est facienda extensio de rè ad rem, neque de casu ad casum, sed oporteret, quod Concilia individualitèr, & expresè, de Beneficiariis merè simplicibus loquerentur. Quę responsio ut meliùs pateat, descendamus particularitèr ad singula Concilia in oppositum allegata. Concilium Antiochenum, Laodicenum, & Sardicense, nedùm non loquuntur de beneficiis merè simplicibus, sed imò nec loquuntur de aliis residentialibus: quinimò de neutris loqui poterant, quià tempore, quo edita sunt ipsa Concilia, nondùm erant erecta ullius speciei beneficia in præbendas distinctas, & titulum Beneficialem erecta: & signantèr non erant beneficia merè simplicia, quę in sententiâ Contradictorum post annum Christi millesimum emerserunt: nou entis autèm, uti fert communeproloquium, nullæ sunt qualitates (*a*), nec ex non ente fit ens (*b*).

5. Quod autèm præfata Concilia interdicant Clericis ab Ecclesiâ discedere, hoc nihil facit ad rem, quià nihil habet commune cum residentiâ Beneficiali. Nàm vel illorum intentio fuit Clericos cohibere, ne ansam sumerent Ecclesiam propriam deserendi, & hùc illùc sine disciplinâ vagandi, ut patet ex Concilio Laodiceno (*c*). Vel hæc jusserunt, ut cunctos Diœcesanos ad frequentiam sacrorum mysteriorum in communione Ecclesię propriæ perurgerent: quandòquidem etiam laicis inhibuit Concilium Sardicense ab Ecclesiâ propriâ ultrà tres septimanas abesse: Undè Osius Cordubensis in Concilio ipso est effatus: *Memini autèm superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in eâ, in quâ commoratur civitate, tres Dominicos dies, idest per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privaretur* (*d*). Concilium hìc ab Osio memoratum, est Concilium Eliberitanum (*e*), quod antecedentèr decreverat: *si quis in civitate positus tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur* (*f*). Hęc autèm nihil faciunt ad constringendos Beneficiarios merè simplices debito residentiæ: Vel si ad id facere contendatur; oportebit quod residentiæ personalis onere distringantur non solùm præfati Beneficiarii, verùm etiàm omnes Laici: quod quis sanâ mente affirmabit?

6. Paritèr cætera Concilia in Objectione proposita, videlicèt Ebroicense, Coloniense, Burdigalense, Ravennatense, Andegavense, & Veneticum, tamquàm Provincialia, extrà propriam Provinciam non afficiunt (*g*), etiam si essent à Sede Apostolicâ confirmata (*h*), nisi eis Papa dedisset expressam vim legis generalis, quemadmodùm sunt Canones Conciliorum Provincialium, qui leguntur Juris corpori inserti (*i*). Præterea ipsamet de beneficiis loquuntur curam animarum præseferentibus, necnon de servitoriis, residentialibus, & choralibus, quorum natura deposcit, ut vocati ad illorum possessionem ex se ipsis munia beneficiis adnexa exerceant, suntque totalitèr diversa à beneficiis merè simplicibus, quià ista præfato onere carent. Concilium demùm Generale Lateranense III. satis claré sermonem habet de prędictis tantummodò beneficiis choralibus, residentialibus, & curatis (*l*). Et quatenùs etiam veluti per vim traherentur illius verba ad comprehendendos etiam Beneficiarios merè simplices, in vanum laboraretur: quippè Concilium illud non exposcit residentiam personalem, neque servitium personale, sed solummodò servitium opportunum, ibi, *prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo, & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum* (*m*): gratus autem hic famulatus à Beneficiariis merè simplicibus, nedùm per se, verùm etiam per alium potest exhiberi: qui per alium nàmque facit

(a) *Capit. bonæ de elect. c. ad dissolvendū de despons. impuber. l. 1 ff. de hæred. vend. l. 4 § condemnatum ff. de rè judic.*

(b) *L. Seię ff de Tator. l. ejus ff. de reb. dub. Barbos. tract. vae. Axiom. 161. & 162.*

(c) *Conc. Laodicen. c. 41. & 42.*

(d) *Conc. Sard. c. 14.*

(e) *Cabasut. ad Can. 14. Sard.*

(f) *Concil. Eliberit. cap. 21.*

(g) *Fagn. in c. Canstatutan 14. de Const.*

(h) *Barbos. sum Apostol. decis. collect. 198. num. 3.*

(i) *Fagn. loc. cit. n. 13.*

(l) *Barbos. in c grave nimis de pręb. n. 2.*

(m) *Conc. Later. IV. c. 29. & c. grave nimis de prębend.*

facit, per ſe ipſum facere cenſetur (*a*), non per fictionem, ſed realitèr, atque verè (*b*).

7. Reſpondetur *ſecundò*, retorquendo argumentum adverſus Contradictores: nàm cum allegata Concilia, de reſidentiâ Beneficiariorum ex profeſſo tractantia, ſolummodò Beneficiarios, qui poſſident beneficia curata, vel choralia, ſive alitèr ſervitoria, hujuſmodi obligationis reſidentialis legibus implicaverint, & beneficia merè ſimplicia prætermiſerint, ſignum eſt, quod illa ab eâdem obligatione abſolverunt (*c*): & per conſequens vi decretorum in memoratis Synodis editorum Beneficiarii merè ſimplices non ſunt reſidentiæ perſonalis debito adſtricti, ſed potiùs abſoluti: Exceptio nàmque firmat regulam in contrarium (*d*). Nèc deerant verba Patribus, qui præfatis Conciliis intererant, quibus potuiſſent exprimere Beneficiarios quoque merè ſimplices, eoſque reſidentię perſonalis debito arctare, ſi voluiſſent: quarè ſi eos nullatenùs nominarunt, ſilentium hoc loquax eſt, ut eos à memorato debito abſolvat.

8. Nèc valet dicere, quod Concilium Andegavenſe, utendo verbo illo *maximè*, oſtendit ſe reſidentiam depoſcere, non ſolùm à Beneficiariis curatis, ſed etiam à ſimplicibus: nàm præterquàmquod, ut innuimus, hoc Concilium, tàmquam Provinciale, extrà ſuam provinciam non facit legem; nedùm non probat intentum Contradictorum, ſed imò potiùs retorquetur adverſùs illos: quandòquidem Concilium decernit Beneficiarios debere *in ſuis beneficiis perſonalitèr reſidere*, ſtatimque ſubjungit, *maximè ſi curam habeant animarum*. Verbum autem illud, *maximè*, ſtat ibi comparativè, tamquàm includens caſum magis relevantem Beneficiariorum, quibus animarum cura eſt commiſſa (*e*). Et ità ly *maximè* non diſtinguit inter Beneficiarios curatos, & merè ſimplices; ſed potius inter curatos, & chorales, aut aliâ ratione reſidentiales: & vult ſignificare, quod omnes Beneficiarii contenti ſub genere Beneficiariorum reſidentialium, ſive ſint Epiſcopi, ſive Abbates Clauſtrales, ſive Parochi, ſive Canonici in Cathedralibus, vel Collegiatis, ſive Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Manſionarii, Portionarii &c. choro addicti; omnes, inquam, hi tenentur ad perſonalem reſidentiam, ſed inter hos ad eam tenentur *maximè* Curati, propter ſpeciales rationes in eis concurrentes.

9. Hicque eſt obvius, germanus, & naturalis ſenſus præfatæ dictionis *maximè*, de quâ Doctores affirmant, quod ſtatutum loquens, vel diſponens aliquid per verba exprimentia genus, includit omnes ſpecies ſub genere comprehenſas, etiam quando enumeratio aliquarum ſpecierum fuit facta: modò fuerit facta cum hâc dictione *maximè*, quæ ampliat (*f*). Et quandò genus præcedit, deſcenditque ſermo ad ſpeciem per dictionem *maximè* adjectam, hæc vox importat rationem magis vigentem in illâ ſpecie, quæ jam comprehenſa erat in genere, idèoque exprimitur cum dictione ipſâ, *maximè*, ampliativâ, & adjunctivâ. Sic quoque ſi addatur ratio alicujus facti per dictionem *maximè*, nil aliud importat, niſi quod licèt aliæ rationes ſubſint; illa tamen, quæ ibi exprimitur, eſt magis relevans, & potentior (*g*). Quarè Concilium Andegavenſe, urgens ad reſidentiam perſonalem Beneficiarios, *maximè* verò ſi curam habeant animarum, ſignificat, quod omnes Beneficiarios reſidentiales ad ipſam reſidentiam vult adſtringere, uti Canonicos, Decanos, Præpoſitos, Archidiaconos, Manſionarios, Chorales demùm, ac omnes quacumque ratione ad reſidentiam perſonalem obligatos: potiſſimè verò, urgentiùs, & efficaciùs adſtringere ad eam intendit Beneficiarios curatos, quià cura animarum rationes habet peculiares, ac magis potentes, quæ reſidentiam expoſcunt. Sed quià hìc nulla ſit mentio Beneficiariorum merè ſimplicium, qui includuntur quidem ſub genere Beneficiariorum ut ſic, ſed non ſub genere Beneficiariorum reſidentialalium; hìnc fit, quod ad Beneficiarios merè ſimplices Concilii Andegavenſis ſanctio non ſe extendit, nihilque prorsùs proficit cauſa Contradictorum.

(a) *Cap. qui per al. de reg. Jur. in 6. c. mulieres de ſent. excom. l. ſi per alium ff. de ne quis l. non ideò C. de Accus.*

(b) *Vincent. Caroc. in ſingular. ſing.* 402. *Barboſ. tr. var. Axiom* 92 *num.* 1.

(c) *S. Antonin. p.* 3. *ſum tit.* 15. *c.* 1. *§.* 9.

(d) *L. quæſitū §. denique de fund. inſtr. Gloſ. V. deindè in Clem. Exivi de V. ſignif. Seraph. dec.* 980. *nu.* 7. *Barboſ. Axiom.* 85. *n.* 4.

(e) *Barboſ. tr. var. dict.* 197. *n.* 3.

(f) *Alexand. conſ.* 133. *col.* 2. *lib.* 1. *Tuſc. lit. D. concl.* 309. *n.* 1.

(g) *Barboſ. tr. var.* 197. *num.* 5.

10. Respondetur *tertiò*, negando totum id, quod recensetur in Objectione, respectu ad Concilium Tridentinum, in eo sensu, quo proponitur: cum ex ejus sanctionibus contrarium evidentissimè probetur, ut nos jam suprà patefecimus (*a*). Et quidèm est valdè mirùm, quod tàm illustri, atque gloriosæ Synodo à Contradictoribus vis inferatur, ut ex fragmentis decretorum ejus, generalibus, vagis, adiaphoris, & ad rem non facientibus, velint eliquare sincerum illius sensum, huncque violentèr pertrahere laborent ad vinciendum Beneficiarios merè simplices loris residentiæ personalis; quandò habemus alibi ejusdem Concilii clara, dilucida, peculiaria, & expressa decreta, eosdem Beneficiarios merè simplices ab hoc debito excludentia. *Extremæ dementiæ est*, inquit Martianus Augustus, *in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere* (*b*). Sic & valdè insulsum est apud Tridentinam Synodum expiscare residentiam Beneficiariorum merè simplicium, ubi vetustos Canones, de moribus Clericorum agentes, in usum revocat: vel ubi dicit, beneficia ecclesiastica ad Divinum cultum esse instituta: sive ubi mandat uniri, si opus est, beneficia ecclesiastica Seminario Clericorum, sine tamen præjudicio Divini cultus &c. Et loca illa vitare, ubi aqua limpida est, clara, & chrystallina, nempè ubi Concilium, de residentiâ beneficiorum agens, merè simplicia huic oneri non supponit, & ubi eadem ab incompatibilibus, atque resideutialibus disertis verbis distinguit.

(a) *Vide supr. in hoc tom. 4. c. 8. per tot. & c. 11. à n. 13.*

(b) *Leg. 4. C. de sum. Trin.*

11. Enimverò Concilium sub suis primis initiis, videlicèt sessione 6, habitâ die 7. Januarii 1543. efficacissimo decreto Beneficiarios ad residentiam personalem arctavit (*c*). Deindè post viginti annos, rè benè perpensâ, iterùm sess. 23. quæ habita est die 15. Julii 1563. decretum super eâdem residentiâ replicavit (*d*). Nec primâ tamen, neque secundâ vice Beneficiarios merè simplices hisce legibus alligavit, sed solùm Beneficiarios animarum curam habentes, necnon chorales, & servitorios, seu qui de sui naturâ residentiales vocantur. Quid dicunt ad hæc Contradictores? Quid volunt expiscare ex decretis ejusdem Concilii, generalibus, vagis, adiaphoris, & alienis; si Concilium, non in abstracto, sed in concreto; non vagè, sed in subjectâ materiâ; non generalitèr, sed individuè loquens, remque non perfunctoriè, sed ex proposito tractans, per multos annos exagitatam, ponderatam, examinatam, discussam, totâque assiduitate revolutam; tandèm censuit, Beneficiarios mere simplices non esse ad residentiæ personalis debitum obligandos? Nunquid magnæ illi Synodo defuere verba, quibus intentionem suam exprimeret? Nunquid voluit intrà numerum beneficiorum, residentiæ debitum exposcentium, includere beneficia merè simplicia, quæ non expressit? Quæ lex, quis Legislator, in suis sanctionibus comprehendit id, quod omittit?

(c) *Conc. Trid. sess. 6. cap. 1.*
(d) *Idem sess. 23. c. 1.*

12. Officium sanè Astrologi, non Theologi exercere videtur Claudius de là Place, & quicumque ipsimet consentiunt, dicentes, voluisse quidem Concilium Tridentinum Beneficiarios quoque merè simplices residentię personalis nexibus devincire, sed non potuisse, quià distentum ad hæreses profligandas, & alia vitia eradicanda, huic rei non se valuit applicare: harriolando papè, atque divinando hęc effutiunt, qui sic loquuntur. Et quis eis Concilii mentem, secretaque cordis magis intima revelavit, dissonantia à verbis, quæ in suis sanctionibus publicavit? Quis eos talia docuit? Undenàm ii talia didicerunt? Infinita propemodùm alia majoris, & fortè minoris quoque momenti, Concilium ipsum in suo cursu decidit: & omnia quæcumque in materiâ disciplinæ censuit determinatione indigere, sine metu, ac sine ullâ respectus humani remorâ definivit. Si ergò Beneficiariis merè simplicibus, residentiæ personalis debitum non ingessit, eos proculdubiò in suâ libertate reliquit: Si enim eos ad hoc obligare voluisset, id expressisset (*e*). Et sic argumentum ex Concilio Tridentino petitum, non contrà nos probat, sed potiùs adversus Contradictores evidentissimè retorquetur.

(e) *Cap. ad audientiam 2. de decim. c. 2. de transact. l. un. §. Sin C. de caduc. tol. Gutier. pract. l. 3 qu. 22. n. 7.*

13. Cœterùm cum ab homine præfumendum non fit, quod lex non dicit (a), fatis patet, quod in præfenti negotio non eft attendenda intentio Concilii, nullibi per illam explicata, fed mens in ejus verbis expreffa: quibus fi Beneficiarios merè fimplices ad refidentiam non adegit, vel non expreffit, fe optare, ut ad illam obligarentur, cum id poffet facillimè exprimere; confequentèr eos à tali onere abfolvit (b). Vel fi eos non obligavit, quià tempus magis aptum, ad evellendum hunc fuppofitum abufum intermiffę refidentiæ cenfuit effe expectandum, expectent igitùr Contradictores tempus hoc, quandò definita fuerit obligatio refidendi in præjudicium Beneficiariorum merè fimplicium, & tùnc rationabilitèr, ac juftiffimè pro eis ad refidentiam perfonalem compellendis inftabunt. In reliquis comminifci, quod per viginti annos, quot intercurrerunt à fextâ, ufque ad vigefimam tertiam feffionem Tridentinam, & per longiùs adhùc tempus, quo antè, & poft, Concilium duravit, à multis centuriis Epifcoporum, Canoniftarum, Theologorum, hominumque infigniorum, qui tùnc temporis in totâ Chriftianitate florebant, Tridenti congregatis, non potuerit minutum hoc punctum difciplinæ maturari, & refpectivè Synodalitèr definiri, hoc non eft Doctoralitèr effari, fed infulfiffimè delirare: nifi fiat per modum differendi, & ad allegandum, non quidquid verum eft, fed quidquid eft utcumque dicibile.

14. Si Concilium Tridentinum cubitalibus literis definivit cunctos Beneciarios curatos, & chorales effe ad perfonalem refidentiam adigendos, affignatis etiam caufis, propter quas ab eâ poffent occurrentibus occafionibus difpenfari, quæ funt hæ quatuor, nempè Chriftiana charitas, urgens neceffitas, debita obedientiâ, & evidens Ecclefiæ, vel Reipublicæ utilitas (c); fi hoc, inquam, potuit definire, & definivit, cur & non idem potuit decernere de Beneficiariis merè fimplicibus? Si Concilium declaravit confuetudinem non refidendi in beneficiis animarum curâ prædîtis, choralibus, & aliâ quâcumque ratione refidentialibus effe curruptelam, & abufum ftirpitùs evellendum (d); Eccur tantundèm declarare non potuit de beneficiis quoque merè fimplicibus, & paucis verbis decernere, omnia, & quæcumque beneficia ecclefiaftica cujufcumque generis, & conditionis, refidentiæ debitum poftulare, tametfi merè fimplicia? Cur quæsò dicendum eft hoc non potuiffe, fi quoàd ejus poteftatem erat utrobique par ratio?

15. Prætereà Tridentina Synodus in eâ feffione, quam habuit die 3. Martii 1547. compatibilia beneficia ab incompatibilibus difcrevit, fanciens: *quicumque de cœtero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia ecclefiaftica &c. recipere, ac fimùl retinere præfumpferit, beneficiis ipfis &c. pro jure &c. privatus exiftat* (e). Et infrà: *Ordinarii locorum quofcumque plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia ecclefiaftica obtinentes, difpenfationes fuas exhibere compellant* (f), quæ compatibilitas apertè fignificat, effe talia beneficia, quæ fimùl in eodem Clerico non poffunt compati: five fit *incompatibilitas*, quam vocant *primi generis*, quæ reperitur in beneficiis curatis, & dignitatibus, ac perfonatibus, vel prębendis uniformibus fub eodem tecto: five fit *incompatibilitas fecundi generis*, quæ intervenit in beneficiis inferioris ordinis, choralibus, aut aliâ ratioue refidentialibus (g). Quâ pofitâ incompatibilitate, ex lege contrariorum, à quibus validum defumitur argumentum (h), quippè contrariorum eadem eft difciplina (i); infertur, quod Concilium approbat beneficia compatibilia. Et cùm refidentiæ onus appropriet incompatibilibus, talitèr ut fine difpenfatione non valeant poffideri, fequitur quod compatibilia difpenfatione non egent: non egent autem difpenfatione ad eorum pluralitatem, quià neutrum ipforum exigit onus refidentiæ perfonalis: beneficia verò ifta compatibilia funt illa, quæ alio titulo vocantur merè fimplicia.

16. Ulteriùs in aliâ feffione, quæ celebrata eft poft fexdecim annos, nempè die 11. Novembris 1663. Concilium diftinxit exprefsè beneficia fimplicia à non refidentialibus, ait enim, *unum tantùm beneficium ecclefiafticum fingulis* con-

(a) *L. diffentientis C. de repud. cilia. Ne Sed. var. 22. Surd. conf. 219. n. 21.*

(b) *Menoch conf. 30. n. 8. Barbof. tract. var. Axiom. 136. n. 6.*

(c) *Conc Trid. fef. 23 de ref. c. 1.*

(d) *Conc. Trid. fef. 23 cap. 1.*

(e) *Idem fef. 7. c. 4.*

(f) *Ibidem capit. 5.*

(g) *Leffius de juft. & jur. l. 2. c. 34. dub. 17 n. 140 & 146.*

(h) *L. apud 21. C. de furt. c. quamquàm, & ibi DD. de Cenf. Mafcard. de prob. concl. 1146. num. 3. Barbof. loco 27. n. 1.*

(i) *Cap translato de Conft. c. intellectum de jurejur. l. ubi tàm ff. de reg. jur l. 1. ff. de iis qui funt fui &c. Barbof. tr. var. Axiom. 58 num 11.*

conferatur, quod, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri (*a*). Quid per hoc autem nisi merè simplicia beneficia à residentiæ debito absolvit, vel absoluta esse monstravit? Duplici ergò modo Concilium in hujusmodi negotio processit, per multos annos de illo tractando, & statuendo, quænam beneficia personalem exigerent residentiam, & quænam non: binoque decreto, cuncta beneficia huic debito subesse declaravit, exclusis tamèn beneficiis merè simplicibus. Nèc sine observatione transeundum est, quod Concilium bis diverso temporis intervallo discussit, sive discussisse indicavit, an darentur beneficia incompatibilia, à compatibilibus distincta; & simplicia, à residentialibus differentia: rèque diù perpensâ, & exactissimè maturatâ, decisit affirmativè. Concilium igitur, bicipi viâ Beneficiarios merè simplices à residendi debito exemit, vel exemptos esse synodalitèr declaravit.

(a) Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.

17 Porrò ingens honor est à cunctis Catholicis deferendus Ordinationibus Conciliorum, præsertim generalium, & quidquid in eis vel expressis verbis, vel naturalitèr deductivâ eorum significatione deliberatum est; obsequiosæ venerationis officiis est colendum, non cavillosis interpretationibus vellicandum. Quarè in proposito nostro id oportebit opportunè profari, quod Martianus Imperator, de quibusdam, Concilii Chalcedonensis decreta turturantibus pronuntiavit: *Sacrilegus est qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit &c. Injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semèl judicata, ac rectè disposita, revolvere, & publicè disputare contendit* (*b*). Concilium Tridentinum non semèl, nec unico in loco, neque obscurè, sed clarè, bis, & pluribus in locis pro exemptione Beneficiariorum merè simplicium à residentiæ onere sententiam dedit, eadem excludens à serie illorum, quæ residentiæ debito constringuntur, ipsorumque compatibilitatem, residentiæ prorsùs exclusivam admittens: qui ad contrarium sensum, vel alitèr ad intentionem diversam ejus verba contorquet, non veritati obsequitur, sed errori: nèc sinceritati servit: sed veritatem impugnat: & pro eo quod honorem afferat, injuriam potiùs facit judicio illius religiosissimæ Synodi, ac tot Antistitum eam componentium, quorum sinceræ sententiæ non deferendo, enormem illis ingerit contumeliam, pœnâ, non plausu; & acri correptione dignam, non resonanti præconio.

(b) L. 4. C. de Sum. Trinit.

18. Nèc dicatur easdem rationes, quæ Beneficiarios Curatos, & Chorales, ac servitorios, urgent ad residentiam, urgere etiam Beneficiarios merè simplices ad eandem, ideòque quidquid Concilium decrevit circà primos; intelligatur decrevisse quoque circà secundos. Nàm in facto tametsi aliquis Doctor privatâ suâ opinione istam æqualitatem, vel parilitatem rationis admiserit, quæ aliqualem veri speciem habeat, quoàd pluralitatem beneficiorum (*c*); quo tamèn ad residentiam hæc eadem parilitas non subsistit, quià beneficia residentialia valdè à merè simplicibus differunt: à diversis autem, ut fert commune proloquium, non fit illatio (*d*), cum diversorum diversum debeat esse judicium (*e*). Et ratio rationis est, quià in Beneficiariis residentialibus plura, & relevantia motiva concurrunt, quæ in merè simplicibus non habent locum. Etenim in beneficiis Pontificalibus, Curatis, Choralibus, aut aliàs quocumque modo residentialibus electa est industria personæ Beneficiarii (*f*), adeòque debet ipse, non per interpositam personam, sed ex se personalitèr cuncta sui beneficii munia exercere. Hæc industria verò non est electa in Beneficiariis merè simplicibus (*g*): Et ideò illi quidèm ad residendum tenentur, non verò isti.

(c) Thomassin. vet. & nov. Eccl. discipl. par. 2. l. 3. c. 8.

(d) L. ult. in fin. & ibi Bart. ff. de calum. Gratian. discept. for. tom. 3. cap 516. n. 6 & cap. 524. n. 56.

(e) L. intèr stipulantem §. Sacram ff. de verb. oblig. Barbos. Axiom. 74. n. 6.

(f) Concil. Paris. an. 1528. c. 11. Barbos. de Paroch. p. 1. c. 8. num. 42.

(g) Barbos. in cap. significatum 11. nu. 4. Ut lit. pend. lib 3.

19. Insupèr adsunt expressi Canones, & Concilia, Constitutiones quoque Apostolicæ, nec non plurimæ rationes Theologicæ, Legales, Historicæ, & Poli-

Politicæ, quę Beneficiarios reſidentiales ad reſidendum, & ſerviendum perſonalitèr in beneficio proprio adſtringunt, ſed non concurrunt in Beneficiariis merè ſimplicibus, ideòque illi reſidere tenentur, non verò iſti. Et quatenùs etiàm per hipotheſim, quæ rè verâ non ſubſiſtit, par utrobique ratio concurreret; ac motiva, quæ in beneficiis reſidentialibus enumerantur, vigerent quoque in merè ſimplicibus; oportebat quod Concilium clarè nominaret beneficia merè ſimplicia, ſicut nominavit reſidentialia, ubi de reſidentiæ perſonalis debito egit: alioquin ſtat libertas pro non expreſſis, ex eâ ratione, quod lex non præſumitur voluiſſe comprehendere, quod non expreſſit; ſi enim voluiſſet, id expreſſiſſet. Prætèrquamquod etiam ſi utrobique concurreret æqualis ratio, adhùc locus eſſet diſpenſationi. Superiori nàmque adempta non eſſet facultas diſpenſandi ſuper reſidentiâ Beneficiariorum merè ſimplicium, vel generalitèr, vel particularitèr, quoties in caſibus practicis conſideraret id expedire. Quæ dicta ſint ex abundanti, ad oſtendendum pluribus rationibus, & motivis, mentem Concilii Tridentini nunquàm ad id proſpexiſſe, ut vellet Beneficiarios merè ſimplices iiſdem reſidentiæ vinculis irretire, quibus adſtringendos eſſe cenſuit Beneficiarios reſidentiales.

20. Cœterùm addimus, quod Concilium, nedùm non hanc intentionem nutrivit, ſed imò illam ſine juſtitiæ læſione, ſaltèm quoàd beneficia juriſpatronatus, videtur quod alere non debuerit, & multò minùs ad executionem perducere. Certum eſt enim, quod multi Præſules, Abbates, Clerici, Confraternitates, locaque pia, multa beneficia merè ſimplicia ſub ſuo patronatus jure obtinent, quæ dicuntur beneficia eccleſiaſtici patronatus: multa quoque alia tenent Principes, Magnates, Equites, aliique ſæculares, nobilis, & ignobilis qualitatis, quæ dicuntur beneficia laicalis patronatus: inter quos laicos, vel eccleſiaſticos patronos, fundatores, aut dotatores beneficiorum, & Eccleſiam acceptantem fundationem ipſam, aut dotationem, ſtipulatus fuit contractus ultrò citròque obligatorius; vi cujus, ſicut fundatores ipſi, aut dotatores ſe obligarunt in poteſtatem Eccleſiæ tradere illorum bona, illaque in effectu tradiderunt, & de evictione, ac ab omni oppreſſione defendere tenentur (a), ſic & Eccleſia ſe obligavit ipſis præbere jura omnia, & pręrogativas ad patronos ſpectantes, quarum una eſt, ut poſſint ad eadem beneficia virum idoneum pręſentare abſque onere reſidentiæ. Cùmque hoc onus reſultet in gravamen beneficii, & Beneficiarii, hinc eſt, quod illud beneficio addi non poteſt ſine injuriâ, & præjudicio patroni, quatenùs patronus non poſſet ut anteà Clericos in ſolâ ętate 14. annorum pręſentare (b); neque Clericos ſibi benè viſos eligere, niſi habentes qualitates inſolitas, reſidentiæ debito correſpondentes: Ideoque fideles alienarentur à fundandis beneficiis, ſi viderent ab Eccleſiâ promiſſionem priſtinam non obſervari, cum tamen ad hoc Eccleſia ipſa fundatoribus reſervet juſpatronatus, ut eos ad beneficia fundanda, ſive dotanda promptiùs alliciat (c).

21. Ex his, aliiſque rationibus fit, quod Eccleſia non permittit, beneficia ſimplicia libera converti in reſidentialia, & curata (d): Neque Beneficiarios, eorum poſſeſſores ad reſidentiam, vel ad ſervitium perſonale aliquod obligari (e), multòque minùs id permittit in Beneficiariis merè ſimplicibus juriſpatronatus eccleſiaſtici, vel laicalis. Ac propterea videtur, quod liberum non fuiſſet Concilio decernere onus reſidentiæ, quoàd Beneficiarios merè ſimplices de jurepatronatus, abſquè læſione patronorum, juriſque jàm per eos poſſeſſi: quarè omninò improbabile eſt, quod Concilium Tridentinum habuerit unquàm in mente velle beneficiis merè ſimplicibus reſidentiæ onus injungere. Supèr quâ intentione, ſi adhùc ſtandum ſit teſtificationi S. Caroli Borromęi, quem Contradictores inducunt prò Interprete mentis Tridentini; tàm jure, quàm facto, cauſam vincemus. Nàm ipſe glorioſus Sanctus plurima poſſedit beneficia merè ſimplicia per longum tempus, in quibus nunquàm reſedit, plura inquam, quià permultis Abba-

(a) *Faguan. in cap. cum autem n. 4. de jurepat. lib. 3.*

(b) *Barboſ. Sum. Apoſt. Deciſ. Collect. 64. num. 1. & 2.*

(c) *Gloſ. in Clementin fin. V. Et fuit fortè de reſcript. Faguan. in cap. quoniam n. 6. de Jurepat. l. 3.*

(d) *Garcia de benef. p. 11. c. 5. n. 3. Barboſ. Sum. Apoſt. deciſ. Collect. 64. n. 4.*

(e) *Barboſ. loc. cit. num. 5. & 6. Garcia par. 3. c. 2. n. 9.*

Abbatiis, ac Prębendis fuerat à Pio PP. IV. ejus Avunculo cumulatus. Et licèt progressu temporis plura ex illis à se generosè abdicaverit, plura quoque tamen sine hęsitatione retinuit: nec ea quibus renuntiavit, ideò à se abjecit, quià non posset apud eadem residere, sed quià erant suo usui superflua: cumque actus specificetur à fine, & judicetur à principali intentione operantis (*a*), jam patet, quod intentio S. Caroli resignantis beneficia merè simplicia, nedùm non probat intentum Contradictorum, sed imò potiùs probat oppositum, quià nec eadem resignavit, eo quod non posset apud illa personalitèr residere, nec alia similia retinere destitit, quamvis nunquàm apud retenta intenderet residere.

22. Demùm S. Carolus in suis Conciliis, prout sunt relata in Actis Ecclesię Mediolanensis, beneficia compatibilia ab incompatibilibus evidentèr discrevit (*b*). Habenti beneficium simplex, ne alterum sine dispensatione conferretur, inhibuit (*c*). Duo beneficia simplicia eidem Clerico benemerenti contradi posse decrevit (*d*). Modum permutationis faciendę inter beneficia simplicia, & parochialia præscripsit (*e*). Residentiam, & personale servitium à Beneficiariis exigens, illos ab hoc onere excepit, qui ad eandem de jure, vel de consuetudine non tenerentur (*f*). Quę fanè tàm singularitèr, quàm collectivè perpensa, quid quęsò pronunciant, quod Beneficiarios merè simplices valeat ad personalem residentiam coarctare? Imò quid non inclamant, ut eosdem à tali onere absolvant? Perperàm igitùr sive ex factis, sive ex dictis gloriosissimi istius Antistitis, & Cardinalis mens Concilii Tridentini expiscatur (nisi velit ex illis inferri) quod Synodus illa Beneficiarios ipsos nunquàm intenderit ad residentiam personalem impellere, & non potiùs illos ab eâdem omnimodè liberare. Verùm jam est superfluum de hac rè diutiùs altercare. *Cui enìm non præsto sunt hæc; cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens veterum suorum delictorum* (*g*).

(a) *L. 1. C. ad leg. Cornel. de Sicar. Covar. l. 2. var. c. 4. n. 5. Barbos. Axiom. 12. num. 9.*

(b) *Act. Eccl. Mediolan. c. 18 f. 148.*

(c) *Ibidem cap. 13. fol. 154.*

(d) *Ibidem cap. 1. fol 157.*

(e) *Ibidem cap 1. fol. 169.*

(f) *Ibidem cap. 5. f. 144. & cap. 26 f. 149*

(g) *2. Petri cap. 1. num. 9.*



CAP.

CAPUT XXXVII.

In quo demonstratur DECIMÆSEPTIMÆ OBJECTIONIS *insubsistentia, continentis Doctrinam Patrum, ex quâ probetur, Beneficiarios quoquè merè simplices, ad residentiam obligari.*

SUMMARIUM.

1 Decimaseptima Objectio *de Patribus, quod sentiant, Beneficiarios simplices ad residentiam teneri. S. Bernardus exclamat contrà Monachos percipientes reditus Beneficiorum.*

2 *Quodque ex verbis S. Bernardi deducatur, eum in sensu fuisse, etiam Beneficiarios merè simplices teneri ad residentiam.*

3 *Patres antiqui in oppositum allegati non loquuntur de beneficiis merè simplicibus. Veritas super omnia amanda est.*

4 *Ætate Patrum antiquorum an essent beneficia merè simplicia. Hi Patres improbant malas consuetudines, qualis non est nostra.*

5 *Guillelmus Parisiensis carpsit Beneficiarios curatos, & chorales, non merè simplices. Quandò emerserit distinctio beneficiorum compatibilium.*

6 *D. Bernardus loquitur de primitiis, & decimis, quæ Deo, ejusque ministris debentur, ut fiebat olim ab Hebræis,*

7 *Cur dentur Parochis oblationes, & decimæ. Inceperunt fideles interdùm eas dare devotionis intuitu etiam Monachis florentibus sanctitate.*

8 *Decimas ab initio spontè ablatas Monachi exigere inceperunt ut debitas: quibus restitere Patres, & Concilia.*

9 *Olim monachi reditibus carentes, opificio, & labore manuum sibi victum comparabant: quâ de rè plures Patres, & Historiæ.*

10 *S. Robertus fundator Cœnobii Cistertiensis nolebat possideri decimas, & primitias à Monachis, qui ei restiterunt.*

11 *D. Bernardus cum decimas, & oblationes à Claravallensibus ablegasset; improbabat eas in Cluniacensibus.*

12 *B. Petrus Cluniacensis allegat Ecclesiæ auctoritatem, & Monachis non secus ac Levitis decimas deberi ostendit,*

13 *Deberi quoquè illas eisdem dicit, quià utilitati Ecclesiæ proficiunt, & per Presbyteros necessaria populis faciunt exhiberi.*

14 *Summi Pontifices indulserant Cluniacensibus posse decimas, & oblationes Ecclesiarum percipere, ideòque illas justè possidebant.*

15 *Intèr dictos Patres non altercabatur de puncto fidei, sed de apice disciplinæ, solam perfectionem religiosæ vitæ concernentis.*

16 *Optabat D. Bernardus severiorem regulam D. Benedicti servari. B. Petrus in custodiendâ normâ vitæ consuetâ incumbebat.*

17 *Pii viri benè interdùm discordant intèr sè. S. Bernardus abiiciendo decimas, & B. Petrus Cluniacensis eas retinendo benè se gerebant.*

18 *Multa fecit S. Bernardus, quæ aliis non dant legem. In Concilio Triecassino, Templariis permissæ sunt decimæ,*

19 Con-

19 *Concilii præfati decretum affertur. Si Equitibus permissum est decimas adipisci; cur non eas habeant Monachi?*

20 *Quod Monachi possint, vel non possint decimas percipere, Beneficiarios simplices residentiæ onere non ligat.*

1. OBJICIUNT *decimoseptimo* Contradictores hoc modo: Veteres Ecclesię Patres consonâ elocutione consentiunt, Beneficiarios merè simplices ad personale servitium, & actualem residentiam teneri apud Ecclesias, in quibus eorum erecta sunt beneficia. Et prætermissis Tertulliano, Cypriano, Augustino Guillelmo Parisiensi, ac aliis in idem convenientibus, unus pro multis valeat D. Bernardus, qui in epistolâ ad Odonem Abbatem, ità declamat: *Clericorum est altari deservire, & de altario vivere, nobis nostra professio, & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, & non ex Sanctuario Dei. Hùc accedit, quod eidem Ecclesiæ, de quâ præsens disceptatio est, Clerici soli deserviunt: usque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium &c. Quâ audaciâ ò Monachi præsumitis, seu vinum de vineâ, quam non plantastis, seu lac de grege, quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis, ubi nihil exhibetis? Certè si ità vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absolvite resipiscentes, reconciliate pænitentes; & in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere, & tacere: sic fortasiè dignum se probabit Mercenarius mercede suâ. Alioquin invidiosum est admodùm velle metere, ubi non seminaveris: sed & colligere quod alius sparserit, etiam injuriosum &c. Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum possessiones, quæ ratio vobis contulit? cum hæc omnia non ad Monachos, sed ad Clericos Canonicâ sanctione pertineant? Illis quippè, quorum officium est baptizare, & prædicare, & reliqua, quæ ad animarum pertinent salutem, gerere, hæc concessa sunt, ut non sit eis necesse implicari sæcularibus negotiis: sed quià in Ecclesiâ laborant, de Ecclesiâ vivant, ut Dominus dicit: dignus est operarius mercede suâ. At vos quarè hoc usurpatis, cum nihil eorum, quæ diximus, facere debeatis. Et cum illum non feratis laborem, cur laboris suscipitis mercedem (a)?*

2. Quibus verbis Sanctus Doctor, ut patet, acerrimè detestatur Monachos percipientes fructus beneficiorum, quibus non deserviunt, nequè in eis personalitèr resident, ac famulantur. Illius ergò fuisse dignoscitur sententiam, quod Beneficiarii, ad hoc ut licitè potiri possint beneficiis, eorumque proventibus, debent apud ipsa beneficia moram facere, illorumque Altaribus, & Ecclesiis personalitèr deservire. Ergò eâdem obligatione constringi declarat etiam Beneficiarios merè simplices, quippè isti quoque percipiunt reditus Ecclesiarum, & proventus beneficiorum. Alioquin sicut injustum esse pronuntiat, quod Monachi lac sumant de grege, quem non pascunt, & vinum de vineâ, quam non plantarunt, ibique exigant ubi nihil exhibent; ità injustam esse insinuat, quod Beneficiarii merè simplices reditus beneficiorum percipiant, apud quæ personalem non faciunt residentiam.

(a) *S. Bernard epist. 397. al. 187. inter Epistolas Ivonis Carnot. epist. 280.*

3. Respondetur *primò* ad hoc argumentum, negando suppositum quoàd eam partem, quà præsefert nomen Patrum antiquiorum Tertulliani, Cypriani, Augustini, & si qui alii sunt ex adverso allegati. Suppositum est, quod Patres ipsi unquàm locuti sint, vel etiam loqui potuerint de beneficiis merè simplicibus. Non de illis locuti sunt, quià nos, volvendo, & revolvendo scripta ipsorum Patrum, nullum apicem in eis novimus adnotare, quo affirmetur, Beneficiarios merè simplices ad residentiæ onus urgeri. Quarè si periodi eorum, talia continentes, oculos nostros non effugerunt (quibus tamèn adhùc, Deo dante

dante, hoc anno 1717. Epifcopatus noftri decimonono, perfpicilia non adhibemus) rationabilitèr judicamus, hæc à Contradictoribus perperàm decantari. Veruntamèn femper veritati locum relinquimus, & quandò fententiæ ipforum Patrum, fic ut fuprà affirmantium, nobis intuendæ offerentur; vel congruum non detrectabimus illis exhibere refponfum; vel fi rè verâ Patres præfati in hoc fenfu concorditèr, & voto unanimi fuerunt, ac fic eos fuiffe invenietur, nihil nos pigebit illorum fcripta, ut in aliis rebus, ita & in hâc venerari, ac toto profequi honore, quem illis deberi poftulat confonantia veritatis: veritas etenim fuper omnia amanda eft, & confequenda (*a*).

4. Nedùm autèm, uti dicebamus, Patres memorati nunquàm affirmarunt Beneficiarios merè fimplices ad refidentiæ perfonalis debitum obligari; fed imò id afferere non potuerunt: & ratio eft, quià currente illâ ætate, in quâ ipfi vixerunt, nullius fpeciei beneficia erant adhùc in titulum erecta, tametfi effent erogationes ecclefiafticæ, quibus nùnc exemplaritèr folum, & analogicè beneficia fuccedunt. Multò minùs ergò erant beneficia merè fimplicia, quæ ipfi Contradictores cenfent non nifi circà duodecimum Chrifti fæculum emerfiffe: adeoque antiqui Patres de illis habere fermonem non potuerunt. Cùm enim non entis nullæ funt qualitates (*b*), impoffibile eft, quod Patres ad beneficia merè fimplicia eorum fcripta direxerint, nifi fupponere velimus, vel fomniare, quod ab hac rè fint prophetalitèr elocuti. Affirmamus nihilominùs, quod S. Auguftinus, Cyprianus, Tertullianus &c. improbant confuetudines pravas; verùm quià nec de beneficiorum merè fimplicium refidentiâ fermonem habent, nec illorum exemptionem à refidentiæ perfonalis onere inter confuetudines improbandas recenfent; hìnc eft, quod nullà ex parte locus eft opinioni, quæ in argumento ex auctoritate Patrum deduci poffe contenditur in præjudicium Beneficiariorum merè fimplicium.

5. Refpondetur *fecundò*, retorquendo argumentum quoàd eam partem, quę profpicit doctrinam Guillelmi Parifienfis, viri valdè pii, & docti, qui floruit anno 1240. Variaque edidit opufcula (*c*), in quibus de beneficiis quid eft ecclefiafticis egit, non verò de implicandis merè fimplicibus vinculo refidentię. Irrepferat illius ætate pravus quidam abufus, quotidie femper amplius invalefcens, ut Epifcopi, Parochi, Archidiaconi, Canonici, & alii beneficia curata, vel choralia, aut alitèr fervitoria poffidentes, apud ipfa non refiderent: quinimò fæpè contingebat, ut unus, & idem Clericus plura fimùl ex ipfis beneficiis captaret: ac in sè unitìm coacervaret, nulli eorum perfonalitèr deferviendo. Guillelmus ergò, five Vuillelmus, fervore fuo actus, plurimum invectus eft adverfus ipfam pluralitatem beneficiorum: & fubtractionem refidentiæ in Parochialibus, Choralibus, & Servitoriis, altis ululatibus improbavit: fed nihil de beneficiis merè fimplicibus eft effatus, tamquàm fupponens, refidentiæ perfonalis onus, atquè actuale fervitium, à Beneficiariis merè fimplicibus, nec licitè prætendi poffe, nec rationabilitèr poftulari. Neque hic audeat quifquam inopportunè fupponere, quod Guillelmus Parifienfis notitiam non habuerit beneficiorum merè fimplicium. Siquidèm Contradictores, ut innuimus, concordant fenfibus Ludovici Thomaffini affirmantis, *intelligimus illo temporis interftitio, quod ab Alexandro III. ad Gregorium IX. ab anno 1180. ad 1230. elapfum eft, eam invaluiffe diftinctionem beneficiorum, quæ vel à compatibilitate, vel à refidentiâ petitur* (*d*). Cùmque Guillelmus præfatus fuerit Gregorio IX. pofterior, profectò habuiffe notitiam beneficiorum merè fimplicium fatis probabilitèr eft cenfendum, ne ipfe effet *folus peregrinus in Hierufalem* (*e*). Qui quoniàm fuas declamationes ad beneficia merè fimplicia non extendit; evidentèr patefecit, fe in illo voto fuiffe, quod rè verâ ipfa beneficia merè fimplicia effent, ac quoque nùnc fint à fervitii, & refidentiæ perfonalis onere liberata.

6. Re-

(a) *L. fi ita Legatum ff. de condit. & demonftr. Barbof. Axiom. 224 n. 7.*

(b) *Cap. ad diffolvendum de defponf. impub lib. 1. ff. de bon. vend. DD. ap Barbof. Axiom. 162. n. 3.*

(c) *Bellarm. de Script. Ecclef. in Guillelm. Parifien.*

(d) *Thomaffin. vet. & nov. Eccl. difcipl. p. 2. l. 3. c. 34. n. 3.*

(e) *Lucæ cap. 24. num. 18.*

6. Respondetur *tertiò*, iterùm negando aliud suppositum, quoàd proposita in argumento ex D. Bernardo; Nimirum quod D. Bernardus, in citatâ epistolâ, sermonem habeat de beneficiis merè simplicibus, cum rè verâ solummodò de parochialibus eloquatur, de illorumque decimis, & primitiis. Constat etenìm, non parum interesse omnium Christifidelium, ex cunctis, quæ dat illis Dominus, portionem aliquam in primitiis, & decimis consistentem, referre Deo universorum datori, offerendo illas Sacerdotibus, ejusdem Dei Ministris: qua de rè D. Augustinus: *Deus, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam* (a). Quarè de torpentibus in hoc, sic apud Prophetam indoluit Dominus: *Dixistis in quo configimus tè? In decimis, & in primitiis. Et in penuriâ vos maledicti estis, & mè vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo meâ, & probate mè super hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum* (b). Hinc usquè ab initio Ecclesiæ Christiani omnes, pio corde, ac reverenti in Deum affectu, primitias, & decimas Sacerdotibus obtulerunt: nèc mirùm hoc fieri inceptum esse à fidelibus respectu ad Sacerdotes Novæ Legis, quippè in veteri quoque lege Sacerdotibus ordinis Levitici pendebantur (c). Imo primitiæ etiam à Gentilibus alicubi exhibebantur suorum Deorum inanibus simulacris, eorumque Sacerdotibus, & ministris (d).

(a) *S. August. serm. 219 de tempor.*

(b) *Malachiæ c. 3. num 9.*

(c) *Exodi c. 23. Genes 8. Levit. 27. Num. 18. Deuter. 14.*

(d) *Alex. ab Alex. genial. Dier. lib. 3. c. 13. Plin. l. 18. c. 2. Barbos. jur. Eccl univ l. 3 c. 25 num. 4.*

7. Has autèm oblationes Parochis rectoribus animarum deberi, sacra semper censuit antiquitas (e), veluti mercedem, ac præmium tàm ipsis debitum pro animarum curâ Christianis impensâ, quàm non debitum pro subtractâ: Undè S. Prosper Aquitanicus adversus desides declamabat: *Gregem Domini pascendum pastores facti suscipimus, & nos ipsos pascimus, quando non gregum utilitati prospicimus, sed quid foveat, & augeat nostras voluptates attendimus. Lac, & lanas ovium Christi, oblationes quotidianas, ac decimas fidelium, gaudentes accipimus, & curam pascendorum gregum, à quibus perverso ordine volumus pasci, deponimus* (f). Nihilominùs florente in Cœnobiis Monachorum sanctitate, incæperunt fideles, pietatis, & devotionis intuitu, Monachis quoque particulas ex fructibus bonorum suorum, veluti decimas, vel primitias, aut oblationes exsolvere. Quapropter legitur apud Cassianum, Joanni Eremitæ solitos fuisse circumhabitantes ruricolas, decimas, atque primitias offerre, *qui certatim decimas, vel primitias frugum suarum, memorato seni de suis substantiis offerebant* (g). Quos ipse Sanctus vir sub hiscè terminis alloquebatur: *Gratantèr amplector, quià fidelitèr primitias vestras, ac decimas, indigentium usibus profuturas, velut sacrificium Domino bonæ suavitatis offertis* (h). Quas quidèm oblationes, Monachis factas, Clerici, Rectoresve animarum, nedùm avertere non satagebant, sed imò potiùs, ut animo libenti conferrentur, suadebant: quippè hoc in ipsorum aliquam redundabat utilitatem, quatenùs hæc fidelium contributio alleviabat, absorbebatve onus, quod alioquin Clericis fuisset insitum, Cœnobiis, ac Cœnobitis indigentibus eleemosynas impertiendi (i).

(e) *Thomassin. p. 3. lib. 1. c. 10. n. 6. & 8.*

(f) *S. Prosper. de vit. contem. l. 1. c. 25.*

(g) *Cassian. Collat. 21. c. 1.*

(h) *Idem Collat. 21. cap. 2.*

(i) *Thomassin. vet. ac nov. Eccl. discipl. p. 3. lib. 1. c. 4 n. 10.*

8. Enim verò, ut scribit D. Hieronymus ad Damasum, *quoniàm quidquid habent Clerici, pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes susceptioni peregrinorum, & hospitum invigilare debent: maximè curandum est illis, ut de decimis, & oblationibus Cœnobiis, & Xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint sustentationem impendant* (l). Quarè quod Monachi haberent ex decimis, & primitiis undè viverent, refundebatur in utilitatem Clericorum, qui eximebantur ab onere suppeditandi eisdem subsidia. Itàque in libertate fidelium erat, & est quoque, *Monachis, & spiritualibus viris, Deum timentibus, & colentibus, decimas, & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de jure suo in*

(l) *Cap quoniam 68. Caus. 16 qu. 1.*

dominium illorum, & uſum offerre: nec tàm in pauperibus paupertatem, quàm religionem attendere (a). Verùm quià progreſſu temporis Monachi decimas, uti de jure ſibi, non parochis debitas, alicubi exigere conabantur; eiſdem Patres Eccleſię, atque Sacrorum Antiſtites aliquandò viriliter reſtitere. Concilium Gangrenſe Monachos quoſdam, ob primitias, decimaſque extortas, improbavit (b). S. Epiphanius propter eandem cauſam adverſus quoſdam alios clamavit (c). Hincmarus Remenſis Monachos S. Dionifii, ut decimas parocho, cui debebantur, reſtituerent, non venderent, increpavit (d). Concilium Romanum ſub Sancto Gregorio VII. Canonem hunc generali lege ſancivit: *Nullus Abbas decimas, & primitias ſine authoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu, in cujus Diæceſi habi tat, detineat* (e). His tamèn non obſtantibus, plurimæ Eccleſię parochiales ad Monachos pervenère, vel Epiſcoporum traditione, vel parochorum oblatione, vel ſecularium hominum, qui eas uſurpaverant, deditione, & quandòque etiam venditione (f). Undè ad Monachos ipſos, cum parochiarum bonis, jus quoque decimas exigendi pervenit.

9. Sed licèt Monachi poſſent bonis parochiarum, adeòque decimis etiam ſine controverſiâ potiri; attamèn ad perfectionem regularis obſervantię viſum eſt pertinere, ut ſe ab ipſis decimis percipiendis compeſcerent, & vel arva, & prædia poſſiderent, ex quorum reditibus viverent, vel de labore manuum ſuarum victum ſibi ex proprio opificio compararent. Poſterior hæc via fuit apud ipſos prior in uſu, de quâ S. Auguſtinus, qui librum integrum de *Monachorum opere* compilavit. Abbas quidam Pammon apud Ruffinum ajebat: *extrà opera manuum mearum neſcio me panem guſtaſſe* (g). Quidam Abbas Marcus apud Joannem Moſcum inquiebat: *manus meæ nutriunt me, & eos, qui propter Deum veniunt ad me* (h). S. Hieronymus in ſuis ſcriptis hoc narrat: *Ægyptiorum monaſteria hunc tenent morem, ut nullum abſque opere, aut labore ſuſcipiant, non tàm propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem, ne vagentur perniciofis cogitationibus* (i). Nedumque in Ægypto, ſed etiam alibi eadem methodus tenebatur, de quâ S. Epiphanius: *In ſingulis Monaſteriis, tàm in Ægyptiorum regione, tàm in aliis omnibus, ſic laborant ad juſtitiam, velut apes, in manibus quidèm habentes ceram opificii, in ore verò guttas mellis, cum propriâ hymniferâ voce univerſorum Dominum juxtà proprium ſenſum laudantes* (l). Ità res ab initio ſe habebant, & non ſine admiratione audiebatur, alicubi Monachos vivere, nec ſe operi manuum applicare, undè dicentibus quibuſdam Monachis: *nos nihil manibus noſtris operamur, ſed ſecundum quod dicit Apoſtolus, ſine ceſſatione oramus*; Lucius Abbas eos audiens, ab eis quæſivit: nunquid *non manducatis* (m)? Et apud Theodoretum Theodoſius Abbas ità profitebatur: *Abſurdum eſt eos, qui in ſæculo verſantur, & liberos, & uxores multis cura ærumnis, & laboribus alere, atque inſuper tributa conferre, & vectigalia pendere, & Deo primitias offerre, pauperumque inopiæ pro viribus ſubvenire; nos verò res neceſſarias laboribus noſtris non parare, præſertim cum vili, ac modico cibo, vilique veſte utamur: ſed compreſſis, ac complicatis manibus ſedere, alieniſque frui manuum laboribus* (n).

10. Admiſsâ poſtmodùm in virorum Monaſteriis poſſeſſione bonorum, & primitiarum quoque, ac decimarum proventibus; alio ſub regiminis themate Monachi ſibi conſulendum eſſe duxerunt. Nihilominùs non defuerunt obſervantiores, & ferventiores Abbates, qui prę fatis decimis, & primitiis vale dici in monachali ordine peroptarunt: & ſic ſe geſſit inter alios S. Robertus Abbas Molismenſis, qui eaſdem decimas, utpotè quas ſolis Clericis, ſeu Parochis debitas aſſerebat, voluit ſuos Monachos, & Cœnobium non habere. Et quoniàm ipſius Monachi eidem Abbati ſuper hâc rè acriùs reſiſtebant, profitentes: *nos autem & ordine, & officio Clerici ſumus, & Clericale ſervitium Summo Pontifici, qui penetravit Cœlos, offerimus: Eccleſiaſtica igitùr beneficia jure poſſedimus, &* com-

(a) *S. Hieron. loc. cit. in d. c. quoniam.*

(b) *Conc. Gangr. in præf. c. 7. 8.*

(c) *S. Epiph. hæreſ. 80. cap. 5. 6.*

(d) *Flodoard. hiſtor. l. 3. c. 25.*

(e) *Conc. Rom. ann. 1078. c. 8.*

(f) *Thomaſ. loc. cit. p. 3. l. 1. c. 10. per tot.*

(g) *Ruffin. in vit. Patr. num. 160.*

(h) *Joann. Moſcus cap. 13.*

(i) *S. Hieron. ep. ad Ruſt. monach.*

(l) *S. Epiphanius hæreſ. 80.*

(m) *Ruffin. de vit. Patrum n. 212.*

(n) *Theodoret. hiſt. relig. 3. c. 19.*

communi sanctione semper tenere decernimus. Hoc ò Reverende Pater Sanctitati vestræ indubitantèr notum sit, quæ à prioribus Cœnobiis, qui religiosè vixerunt, servanda didicimus, ac ut hæredes ordinis, & professionis habemus (u); Quoniàm, inquam, illius ei Monachi restiterunt, non acquiescens Robertus, unà cum duodecim sibi assentientibus Monachis, à Monasterio Molismensi recessit, aliud alibi Cœnobium fundaturus, ubi regulam D. Benedicti ad literam observerent. Tùmque *Odo filius Henrici, Burgundiæ Dux illis compassus est, & prędium in loco, qui Cistertius dicitur, in Episcopatu Cabilonensi largitus est* (b): Et ità Monasterium, quod indè Cistertiense fuit appellatum, erectum est.

11. S. Bernardus itàque, qui in eodem Cœnobio Cistertiensi vitam monasticam est professus (c), ampliùs æmulator existens severioris observantię Regulæ S. Benedicti, eamque servari adamussim exoptans, in Monasterio Claravallis, cui fuerat in Abbatem præfectus (d), nedùm à subjectis sibi Monachis jus percipiendi decimas ablegavit, quod erat unum ex punctis, quæ Robertus præfatus in Cœnobitis observantibus improbabat, his verbis: *Abundantem victum, & vestitum ex decimis, & oblationibus Ecclesiarum habemus, & ea, quæ competunt presbyteris, ingenio, seu violentiâ subtrahimus* (e); Verùm etiàm idipsum fieri optabat à Monachis Molismensibus. Quâ de rè suprà locuti sumus (f), sed & quandòque talem usum in Monachis Cluniacensibus easdem decimas percipientibus improbavit: nec minùs detestandos censuit alios usus, quos audivit in eodem Cœnobio Cluniacensi teneri, tamquàm quos censebat à literali D. Benedicti Regulâ deviare. Beatus proindè Petrus vir venerabilis, præfati Monasterii Cluniacensis Abbas, quandam quodammodò apologiam disciplinæ, quam ipse cum suis asseclis osservabat, composuit, literis ad D. Bernardum directis, in quibus rationem dat, cur in suâ Congregatione mores tenerentur, quos audiebat à Claravallensibus impugnari.

12. Et intèr cœtera, quoàd propositum decimarum, ità ritum sui Monasterii defendit: *Subjungitis interrogando, quæ ratio, vel auctoritas possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum, & decimarum nobis contulerit: cum hæc non ad Monachos, sed ad Clericos canonicâ sanctione pertineant. Nos verò sicut in supradictis, sic & in istis, Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus, atque ipsius sanctionibus, nos parochiales Ecclesias, & ideircò ipsarum primitias, & decimas legitimè possidere confirmamus. Nàm si Tribui Levi hæreditas inter fratres suos data non est, ut expeditiores ad Dei cultum, & circà Divina mysteria redderentur: neque ab eis sæcularibus impedimentis revocarentur, atque ideò primitiis, decimis, & oblationibus aliorum alerentur; rectè eadem Monachis conceduntur, qui sicut illa Tribus, rerum temporalium hæreditate privati sunt, ac Divinis servitiis die, noctuque insistunt. Qui nàmque justiùs fidelium oblata suscipiunt, Monachi qui assiduè pro peccatis offerentium intercedunt; an Clerici, qui nùnc, ut videmus, summo studio temporalia appetentes, spiritualia, & quæ ad animarum salutem pertinent, omninò postponunt? Et qui de suis non curant, quomodò aliorum animas salvare contendent* (g)?

13. Et paulò post sequitur: *Hoc dicimus salvo intellectu illo, quo novimus per officium Clericorum, Divinis quidèm mysteriis Ecclesiam salvari, sed quorundam talium parum orationibus adjuvari. Quià ergò Monachi ex maximâ parte fidelium saluti invigilant, licèt sacramenta minimè ministrent, æstimamus ipsorum primitias, decimas, & oblationes, & quæque beneficia eos dignè posse suscipere, quoniàm & reliqua populo Christiano necessaria à Presbyteris, & Clericis faciunt exhiberi. Ista verò dicendo nequaquàm Clericos ab Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum rerum possessionibus excludere volumus, sed Monachos hæc omnia legitimè posse obtinere istis rationibus, & auctorisatibus approbamus. Si enim ipsi pro officio baptismatis, pœnitentiæ, prædicationis, ac cæterorum sacramentorum populo exhibitorum, de reditibus ecclesiasticis vivere volunt; cur Mo-*

(d) *Orderic. Vital. Eccl Hist.l.8.an.1094 f 713 B.*

(b) *Idem Orderic. Vital.lo.cit.lit.C.*

(c) *Guliel. Abb. in vit.S.Bernar.l.1.c.4.*

(d) *Idem lib.1. c. 5.*

(e) *Orderic. Vital. loc.cit f 711.C.*

(f) *Vide suprà to.3. cap 9. à n.11 ad 22.*

(g) *Petrus Cluniac. l.1.ep.28.*

nachi pro orationibus, pro pſalmis, pro lacrymis, pro eleemoſynis, ac multiplicibus bonis, ob ſalutem populi Deo oblatis, rebus eccleſiaſticis, & devotorum oblationibus non utantur (a)?

(a) Idem Petrus ubi ſuprà.

14. Tuebatur igitùr Petrus Cluniacenſis propoſitum ſui Monaſterii *Catholicæ Eccleſiæ auctoritate*, nimirùm privilegiis plurium Romanorum Pontificum, quos intèr Agapitus Papa II. Aymardo Cluniacenſi ſcripſit, *decimas, quæ olim ad veſtras Capellas pertinuerunt, & per modernam quaſi auctoritatem, ſive licentiam à quolibet Epiſcopo ſubtractæ ſunt, vobis ex integro reſtituimus. Capellas autèm, ſi aliquæ jam factæ, vel faciendæ inibi ſunt, ità manere concedimus, ut veſtris Eccleſiis nihil ex decimis minuatur* (b). Cujus ſanè diplomatis, ac aliorum conſimilium, à diverſis Romanis Pontificibus conceſſorum, intuitum habuit Ludovicus VII. cognomine tranſmarinus, Gallorum Rex, dum de quibuſdam locis, ad Monaſterium Cluniacenſe pertinentibus pronunciavit, *decimas ſuas indominicatas ad Hoſpitale habeant. Eccleſias verò ſuas, cum omnibus decimis, ſicut per privilegium Romanum, & per ſcripta Epiſcoporum adquiſierunt, teneant, & poſſideant* (c).

(b) Andr. Quercetan in not. ad Bibliot. Cluniac. ad fol. 678. pag. 1233.

(c) Idem loco citat.

15. Intèr ſanctos ergò Bernardum Claravallenſem, & Petrum Cluniacenſem non altercabatur de aliquo articulo fidei, neque de aliquo puncto principali diſciplinæ, ad mores Eccleſiæ univerſalis pertinente, ſed de ſimplici, & mero propoſito percipiendi, vel non percipiendi decimas, qui eſt articulus, non ſubſtantiam, ſed perfectionem religioſę vitæ monachalis concernens, nec majus fortè momentum in ſuâ differentiâ continens, quàm ſit facultas à D. Dominico ſuis Alumnis indulta, poſſidendi bona temporalia; & libertas à D. Franciſco ſuis Fratribus ſtrictioris obſervantiæ ſubtracta, nummos, prædia, & res immobiles retinendi. Neque fortaſsè magis ad intereſſe Eccleſiæ generalis pertinebat, quod opinio D. Bernardi ſententiæ B. Petri Cluniacenſis prævaleret, aut è contrà; quam referat hoc, quod Fratribus Franciſcanis Conventualibus ſit permiſſum Sæcularium confeſſiones audire, & quod e contrà hoc idem ſit Capuccinis inhibitum. Vel quod Carthuſiani ſolitariam vitam agant, vitæ contemplativæ principalitèr applicati; & è contrà Carmelitæ, Auguſtiniani, Servitæ &c. vitæ activæ incumbant, & adipiſcantur gloriam in converſatione gentium: quæ omnia diverſo modo ſe habent, ſed in ſuo genere bona ſunt.

16. In quæſtione, inquam, de percipiendis decimis, ambo iſti Sancti Abbates contrariam opinionem nutriebant, nec tamen alterutrius ſententia legem faciebat neceſſariò, & generalitèr obſervandam. Fervebat D. Bernardus igne, qui è pectore Roberti Moliſmenſis erupit in hæc verba: *Fratres chariſſimi ſecundum normam S. Patris Benedicti profeſſionem fecimus, ſed ut mihi videtur non eam ex integro tenemus &c. Manibus noſtris non laboramus &c. Abundantem victum, & veſtitum ex decimis, & oblationibus Eccleſiarum habemus &c. Laudo igitùr, ut omninò regulam S. Benedicti teneamus &c. Victum, & veſtitum labore manuum noſtrarum vendicemus &c. Decimas, & oblationes Clericis, qui Diœceſi famulantur, relinquamus &c.* (d). E contrà B. Petrus Cluniacenſis illi ſenſui firmiùs inhærebat, quo Moliſmenſes Monachi, præfati Roberti æſtuantem zelum cohibendum, vel non ſequendum eſſe duxerunt, eidem memorando, quod Regula S. Benedicti plura pro locorum, temporum, & perſonarum diverſitate variari poſſe permittit: Seque tutos eſſe vitæ talem obſervando tenorem, qualem à ſuis majoribus didicerant obſervatum: *Hoc ò Pater*, dicebant, *vobis notum ſit, quæ à prioribus Cœnobiis, qui religiosè vixerunt, ſervanda didicimus, ac ut hæredes ordinis, & profeſſionis habemus &c. Nec ut temerarii novitatum adinventores, à fratribus noſtris longè, latèque condemnari volumus* (e).

(d) Oder. c. Vital. Eccl. hiſt. l. 8. ad ann. 1094. f. 711. C.

(e) Idem loco c. f. 713. B.

17. Porrò in unâ fide, ſalvâ illius ſubſtantiâ, in reliquis, quoàd diſciplinam, nihil efficit ſancta Eccleſiæ conſuetudo diverſa (f). In iis, quæ ſub obligatione non cadunt, *unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet* (g). Et ut alibi notavimus ex Facundo

(f) Ibidem f. 712. C.
(g) Roman. c. 14. num 5.

cundo Hermianensi, *pro eâdem religione, quâ rectè colitur Deus, non solùm dissentire à se invicèm, verùm etiam laudabilitèr pugnare adversum se religiosi, ac rectissimi possunt* (a). Igitùr benè sentiebat D. Bernardus decimas reiiciendo, non quià ejus fratres Ecclesiis non fervirent, ad quas ipsæ decimæ pertinebant, sed quià major perfectio, & exactior observantia erat Regulæ D. Benedicti, reditibus contemptis, vivere de opere manuali. Benè quoque faciebat B. Petrus Cluniacensis easdem decimas percipiendo, non quià Ecclesiis ipsis per idoneos Clericos, atque Presbyteros deserviebat, sed quià Summorum Pontificum privilegiis, Congregationi Cœnobii sui fuerat indultum decimas ipsas posse sine contradictione percipere. Et sic uterque sanctitate, uterque doctrinâ insignis, uterque bono spiritu ductus, in rè non præcepti, sed consilii; tàm devotioni, quàm opinioni propriæ deserviebat. Nos autèm cur D. Bernardi sententiam amplectemur, potiùs quàm venerabilis Petri? præsertìm cum hujus ultimi doctrinam, Ecclesiæ praxis, & Pontificum decreta, & generalis Monasteriorum observantia confirment? Nunquid omnia, quę scripsit, dixit, fecit S. Bernardus, sunt de necessitate salutis? Nunquid quià Beatus iste vir Cœnobia, ut plurimùm in locis depressis, atque impuri aeris fabricare solebat; damnabimus propter hoc alios Regulares, qui pro suis domibus extruendis colles amenos quęrunt, locaque aeris defæcati? Absit.

(a) *Facund. Hermian. lib. 7. c. 6.*

18. Infinita propemodùm gloriosissimus, & sanctissimus Abbas Bernardus fecit, dùm conversaretur in terris, quæ in ejus vitâ, & apud historicos legere est, egregia, & mirabilia: hæcque proprio fervore actus peregit, & agnam sine dubio merentur venerationem, sed necessariam non exigunt obedientiam: fuit nàmque vir tanti fervoris, ac zeli, ut aliquibus visus fuerit esse nimius. Verùm uti benè notat in ejus vitâ Gulielmus Abbas: *Si nimietas in eo reprehenditur sancti fervoris, habet certè apud pias mentes excessus iste reverentiam suam: quià quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur in servo Dei reprehendere nimium istam nimietatem. Habet & facilem apud homines excusationem, cum vix audeat quisque eum condemnare, quem Deus justificat, tàm multa, tàm sublimia cum eo, & per eum operando. Felix cui solùm reputatur ad culpam, quod cæteri præsumere sibi solent ad gloriam* (b). Opera ergò illius non sunt necessariò habenda pro lege. Undè quidquid scripserit circà decimas respectu ad Monachos Cluniacenses; nihil afficit: verba enim illius non præceptum resonant, sed consilium. Hocque individuè in materiâ decimarum convincitur ex alio facto ipsiusmet mellifluì Doctoris, excludentia præceptum abstinendi à decimis, dum aliquibus aliis easdem permitti posse dilucidissimè declaravit. Nàm in Concilio Tricassino, cui Beatus idem vir interfuit, & vivendi methodum Equitibus Templariis præscripsit (c); intèr cœtera pro eisdem Equitibus approbata, illis indultum est jus decimas percipiendi.

(b) *Gulielm. Abb. vit. S. Bernar. l. 1. c. 8. post med.*

(c) *Baron. an. 1127. num. 6. 7. 8.*

19. Decretum Concilii sub his terminis conceptum est: *Credimus nàmque relictis affluentibus divitiis vos spontaneæ paupertati esse subjectos, undè decimas vobis communi vitâ viventibus, justè habere hoc modo demonstravimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decima justè debetur, vobis charitativè eam dare voluerit, assensu communi Capituli, de illis decimis, quas tùnc Ecclesia possidere videtur, vobis tribuere debet. Si autèm laicus quilibet adhùc illam, vel ex patrimonio suo damnabilitèr amplectitur, & se ipsum in hoc valdè redarguens vobis eandem reliquerit, ad nutum ejus, qui præest tantùm, sine consensu Capituli id agere potest* (d). En quomodò, & qualitèr, ac quâ methodo collata est potestas Templariis decimas ecclesiasticas acquirendi, & *justè habendi*: Nimirùm si decimę ab Ecclesiâ possiderentur, in facultate esset Episcopi, unà cum assensu Capituli sui, decimas ipsas in Templarios transferendi. Si verò decimæ jàm fuissent ab aliquo laico usurpatæ, qui tamèn compunctus, vellet easdem ipsismet Equibus Templariis deferre; in potestate esset Episcopi solius, absque alio Capituli assensu, cessionem

(d) *Conc. Tricassin. an. 1128. c. 66.*

nem præfatam approbandi, atque memoratas decimas Templi militibus appropriandi. Arguendo autèm à majori ad minùs, à quo proculdubiò eſt validum argumentum (a), magis à Sacerdotali ſtatu, & officio (propter quod decimæ conferuntur) abſunt Milites, aut Equites, tametſi regulares, arma tractantes, quàm Monachi Clericatu, & reſpectivè Presbyteratu inſigniti, orationibus, prędicationibus, pſalmodiis, miniſterio ſacramentorum, ſacris ſtudiis, aliiſque piis operibus indulgentes. Cùr ergò Sanctus Bernardus decimas ipſas pręberi ſæpè dictis Equitibus non impugnavit, qui eas à religioſis Monachis, profitentibus Regulam D. Benedicti, percipi adeò modicùs improbavit, niſi propter hoc unum, quod Monachos ad ea, quæ majorem obſervantiam, & excellentiorem perfectionem, uti de conſilio concernunt, non verò ad quid de præcepto perducere nitebatur?

(a) Capit. ſi ergò 8. qu. 1 c. ſi Paulus & ibi Gloſ. 32. qu. 5. Auth. multò magis C. de Sacror. Eccleſ. DD apud Barboſ. tr. var. loc. 67.

20. Quæ dicta ſint ad enodandam, funditùſque exhauriendam vim argumenti, in præſenti Objectione propoſiti, cum totâ illius hiſtoriâ: dicta ſint inquam ex ubundanti: Nàm in reliquis poſſet *quartò* ad idem argumentum breviter reſponderi, quod canit extrà chorum, ac procedit extrà quæſtionem: non enim noſtra eſt diſputatio, an Clericis, & Monachis liceret olim, vel non liceret; liceat nùnc etiàm, vel non liceat percipere decimas, & retinere parochiales Eccleſias, ad quas noſcuntur primariò ipſæ decimę pertinere, ſed an Beneficiarii merè ſimplices teneantur ad reſidentiam perſonalem, necnè, apud illas Eccleſias, ubi eorum ſimplicia erecta ſunt beneficia. Hę nàmque ſunt quæſtiones valdè diverſæ, nec talem habent intèr ſe communionem, ut una earum ſit alteri ſubalterna; præſertim cum optimè poſſit ſubſiſtere, quod Monachis perfectioni addictis non liceret decimas percipere, & tamèn Clericis, beneficia merè ſimplicia poſſidentibus, licitum eſſet tùnc, prout eſt nùnc, eiſdem beneficiis per ſubſtitutum deſervire, abſque eo quod apud eadem perſonalitèr reſiderent, ac onera beneficiis annexa, ex ſe ipſis implerent.



CAP.

CAPUT XXXVIII.

In quo diluitur DECIMAOCTAVA OBJECTIO, *contendens Beneficiarios merè simplices non posse suo debito per alium satisfacere, adeòque teneri personalitèr in loco beneficii residere, ut proprium munus valeant ex se ipsis obire.*

SUMMARIUM.

1 Decimaoctava Objectio, *quod Beneficiarii simplices opera pia vel injuncta habeant, vel possint Episcopi eadem illis injungere.*

2 *Et quod hæc non possint per substitutos adimplere, sicut Christus non redemit mundum per substitutum, sed ex se.*

3 *Non est sine difficultate, quod Ordinarii possint nova onera Beneficiariis simplicibus opponere.*

4 *Patres, Theologi, & Canonistæ, in Objectione positi, loquuntur de Beneficiariis residentialibus, in quibus electa est industria personæ.*

5 *Damasi Papæ sermo est de beneficiis curatis, malèque ex adverso fuerunt intermissa verba id declarantia.*

6 *Concilium Lateranense non loquitur de beneficiis simplicibus, quorum immunitati à residentiâ alibi favet.*

7 *Sancti Bernardus, & Bonaventura, & alii in oppositum allegati, effantur declamatoriè, penè ad excessum.*

8 *Nec sermonem habent de beneficiis merè simplicibus. Quale matrimonium inter Beneficiarios, & Beneficia contrahatur?*

9 *Argumentum à matrimonio carnali ad spirituale valet: tamèn in pluribus dispari passu gradiuntur.*

10 *Etiàm Beneficiarii residentiales interdùm uti possunt substituto, nec currit paritas à matrimonio spirituali ad carnale.*

11 *Aliàs indissolubile esset matrimonium spirituale, ut est carnale: nec posset dispensari, ut Curatus per substitutum regeret Ecclesiam.*

12 *Cardinalis Papiensis scribit de Cardinali Riario, in quo fuerant plures Episcopatus, & Beneficia congesta.*

13 *Præcepi casus Riarii dedit motivum Papiensi scribendi Cardinali Gonzaghæ de mundi pompis citò præterlabentibus.*

14 *Declamat Papiensis ut orator, non ut decisor casuum conscientiæ: monetque spernendos fortunæ lusus, & acervationes beneficiorum.*

15 *Loquitur idem Auctor de beneficiis Episcopalibus, & residentialibus, non verò de merè simplicibus, de quibus est quæstio.*

16 *Lessius, Fagnanus, & alii, in Objectione positi, loquuntur non de beneficiis merè simplicibus, sed de residentialibus.*

17 *Claudius de là Place loquitur ut declamator, non ut Theologus. Cur Christus mundum redemerit per se ipsum, & non per substitutum?*

18 *Præcitâ Dei præordinatione de Christo passuro potuisses mundus redimi, atque salvari etiam aliquo alio modo.*

19 *Chri-*

19 *Christus non omnia circà Ecclesiam ex sefecit, etsi ea facere posset, sed aliqua Apostolis, & Discipulis suis facienda delegavit,*

20 *Plura Christus poterat ex se facere, quae aliis agenda commisit, gestis, & parabolis in idem consonantibus.*

21 *Cum tot alia Christus delegaverit facienda, cur actus unicus redemptionis indelegabilis attendi debet contrà Beneficiarios simplices?*

22 *Quae Beneficiarius debet Deo, scilicèt Divinae laudes, non sunt delegabiles: Secùs de iis, quae debet Ecclesiae, ut est onus missarum.*

23 *Sac. Congreg. Rota, Patres, Concilia, Theologi, Jurisconsulti excludunt à beneficiis simplicibus residentiam,*

1. BIICIUNT *decimo Octavo* Contradictores hoc modo. Cunctis Beneficiariis merè simplicibus inest aliqua obligatio adimplenda, vel tot missas celebrandi, vel alia opera pia determinata exercendi: de quibus oneribus, si expresè constat, sinè ullâ dubitatione ad ea tenentur fidelitèr exequenda. Si verò expresè non constat, pertinet ad Episcopum opera pia, missas, aliaque adimplenda onera definire, prout in Concilio Mediolanensi decernitur hisce verbis: *caeteris etiàm beneficiis, quaecumque jam ab ecclesiasticis officiis immunia reperiuntur, sivè Canonicatus, sivè Clericatus, sivè etiam simplicium nomine appellentur, iis Episcopus pristina munera restituat; ac si non constat satis qualia ea essent, pro fructuum ratione onera imponat, aut missas, divinaque officia celebrandi, aut si Clericatus, simpliciave beneficia sunt, minorum etiam ordinum functiones obeundi, ad Divini cultus propagationem* (a). Sed hujusmodi opera sunt ab ipso Beneficiario personalitèr adimplenda; ergò Beneficiarii merè simplices ad residentiae personalis debitum sunt adstricti.

(a) *Conc. Mediol. I. tit. Communia de ministris.*

2. Quod praefata opera Beneficiariis merè simplicibus injuncta sint ab ipsismet personalitèr obeunda, & non per interpositam personam, suadetur ex eo quod hic est sensus communis omnium: nàm ità rem esse agendam concordant, ex Theologis Lessius: Ex Jurisconsultis Fagnanus, & Cujacius: Ex Patribus D. Bernardus, & Guillelmus Lugdunensis: Ex Scriptoribus ecclesiasticis Jacobus Cardinalis Papiensis: Ex Conciliis Concilium Lateranense III.: Et ex Pontificibus Damasus, omnes unâ voce clamantes, debere Beneficiarios onera suae praebendae ex se ipsis obire, non verò per interpositam personam: quippè uti benè notavit Claudius de là Place, Ecclesiam *non per Vicarium Christus, aut Angelum, sed per se ipse redemit, proprio sanguine sanctificavit; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra &c. Non legatus, neque Angelus, sed ipse salvavit eos, eo quod diligeret eos, & parceret eis* (b). Ergò sensus Ecclesiae fuit semper, & est, quod Beneficiarii merè simplices in loco sui beneficii debeant residere, ut munera beneficio adnexa personalitèr, & ex se ipsis adimpleant.

(b) *Claud. de là Place c. 9. antid. §. 10 excus. 3.*

3. Respondetur *primò* dato transeat majori propositioni positae in Objectione, negatur minor, & consequentia ex eisdem illata. Damus inquam transeat majori, & non sine magnâ difficultate quandoquidem ex regulâ generali Beneficiati non sunt cogendi ad sustinenda onera, quae in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel ad quae ex antiquissimâ consuetudine non tenentur (c). Ideòque non est incontrovertibile, atque certum, quod valeat Ordinarius integrâ, & plenâ facilitate, ac pro suo arbitrio majora, & inconsueta onera Beneficiario merè simplici (nullum habenti onus, pretèr officii recitationem) adjungere, nisi aliae circumstantiae concurrant hoc exposcentes. Et quidquid sit, an id fieri possit in provinciâ Mediolanensi, vi decreti Concilii I. Provincialis à D. Carolo editi, certè hujusmet decreti vi hoc fieri alibi non est permissum;

(c) *Sac. Congr. Conc. ap. Barbos. Sum. Apostol. decis. collect. 60. num. 5.*

quippè

quippè Concilium Provinciale, ut pluriès diximus, extrà limites propriæ provinciæ non afficit (a). Et quatenùs etiam rè verâ onus aliquod posset ab Ordinario, præsertim tempore Visitationis, Beneficiario merè simplici adjungi, hoc verum non est de onere personali (b), & sic non ideò arctari potest ad residentiam personalem, taliter ut ipsa onera per substitutum non valeat adimplere,

4. Quantùm ad minorem in Objectione positam, jam illam negavimus absolutè, & ad rationes in ea contentas, negamus suppositum, nempè quod Patres, Theologi, Canonistæ, & alii ibidem allegati, sermonem habeant de Beneficiis, & Beneficiariis merè simplicibus: ex ipsâ etenim illorum literali lecturâ patet, quod loquuntur de Beneficiis, & Beneficiariis residentialibus, & curatis, In quibus, ut alibi non semel advertimus, tàm ex Conciliis (c), quàm ex Theologis (d), ac etiam ex Canonistis (e), certum est electam esse industriam personæ Beneficiati, qui proindè tenetur ex se ipso munus beneficio suo injunctum obire, nec licite valet ad id alterum delegare, obstantibus Juribus expressis, quæ nullius delegati substitutionem admittunt (f). Quià verò industria personæ Beneficiati non est electa in provisione beneficiorum merè simplicium (g); hinc fit, quod isti onera beneficiorum (excepta officii divini recitatione) non tenentur personalitèr adimplere, sed satis est, si ea per interpositam personam exerceant.

5. Et ut cuncta, in Objectione ex adverso proposita, evacuentur, ea sigillatim examinemus. Allegatur Papa Damasus, qui in suâ epistolâ sic effatur: *Curam vobis adeò demandatam negligitis: qui talia sumunt, videntur mihi meretricibus esse similes, quæ statim ut pariunt, infantes aliis nutricibus tradunt educandos, ut suam citiùs libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos, idest populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, ut pro suo libito curiis sæcularibus inhient, & ad principes, & ad eorum favores confugiant, & quod unicuique visum fuerit liberiùs peragant: pro talibus enim animæ negliguntur, & oves pereunt, morbi crescant, hæreses, & schismata prodeunt, Ecclesiæ destruuntur, Sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proveniunt; non enim ità Dominus docuit, nec Apostoli instituerunt; sed ipsi, qui curam suscipiunt, ipsi peragant: nàm Dominus ovem perditam diligentèr quæsivit, ipse invenit, ipse propriis humeris reportavit. Si Dominus pro ovibus tantam curam habuit, quid nos miseri dicturi sumus, qui etiam pro populo nobis commisso curam impendere negligimus, & aliis educandum tradimus* (h)? Textus hic non sine mendis in oppositum allegatur, nec sine industriâ reticentur tria hæc verbula *illi nàmque Episcopi*, qui talia &c. eisdem vocibus etenìm fidelitèr exaratis, innotuisset, Damasum non de Beneficiariis merè simplicibus loqui, sed de residentialibus, & curatis, nempè Episcopis.

6. Interseritur quoquè Objectioni auctoritas Concilii Lateranensis III. quod nos alibi ostendimus non obesse, sed favere immunitati Beneficiariorum merè simplicium ab onere residentiæ (i). Nihilominus Contradictores ejus decreto utuntur, quod sic eloquitur: *Cùm igitùr Ecclesia, vel ecclesiasticum ministerium committi debuerit; talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam valeat exercere. Quod si alitèr fuerit actum; & qui receperit quod contrà sanctos Canones accepit, amittat; & qui dederit, largiendi potestate privetur* (l). Hic quoque Canon nihil habet commune cum beneficiis merè simplicibus, quandoquidèm evidentèr loquitur de beneficiis parochialibus, & de choralibus, quibus inest titulus dignitatis, uti pateret ex totâ & totali ipsius Canonis lecturâ, si non fuisset mutilatè relatus: habet etenim; *quià nonnulli, modum avaritiæ non imponentes, dignitates diversas ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales, contrà Sacrorum Canonum instituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum; ne id de cæterò fiat districtiùs inhibemus* (m); quis non videt hic ser-

(a) *Fagnan. in cap. Canonum statuta n. 14. de Constit. l. 1.*
(b) *Sac. Congr. Conc. ap Barbos. loc. citat. Collect. 64. n. 5.*
(c) *Conc. Paris. ann. 1528. c. 11.*
(d) *Cajetan. in 2. 2. D. Thom. qu. 185. ar. 5.*
(e) *Barbos. de Paroch. p. 1. c. 8. n. 40.*
(f) *Vid. Decret. tot. tit. de Cler. non resid.*
(g) *Barbos. in cap. significatum 31. nu. 4. de præb.*
(h) *Damas. PP. I. epist. 5.*
(i) *Vid. sup. in hoc Tom. cap. 8. n. 5.*
(l) *Conc. Later. III. cap. 13.*
(m) *Conc. Later. loc. cit. & c. 3. de Cler. non resid.*

fermonem fieri de Beneficiariis reſidentialibus, non verò de merè ſimplicibus?

7. Eidem Objectioni ſubintruditur nomen D. Bernardi clamantis: *qui per Vicarium inſervit, per Vicarium remunerabitur*. Item D. Bonaventuræ vox dicentis: *Væ illis, qui habent plura beneficia per Vicarios diſtributa, ipſi tollunt lanam, ſed de ovibus non curant*. Nec non Guillelmi Peralti Archiepiſcopi Lugdunenſis, ità tonantis: *ridiculum eſt matrimonium contrahere ſpè ponendi Vicarium, & qui hæc facit, videtur incidiſſe in illam maledictionem. Deuter. 18. Uxorem habebis, & alius dormiet cum eâ. Quærimus de Vicario illo, utrum ſit paſtor, vel mercenarius. Si mercenarius eſt, latro eſt, ſicut priùs oſtenſum fuit: Cùm ergò dicit aliquis benè poſſum habere hoc beneficium, quià ponam ibi Vicarium, penè idem eſt ac ſi dicat, poſſum illud habere, quià ponam ibi latronem, qui furetur, & mactet, & perdat. Joan. 10.* (a). At quæ dicimus hos Auctores non theologicè, ſed potiùs concionatoriè, ſeu declamatoriè locutos eſſe, zelo uſquè adeò ſe diffundenti, ut quodammodò tetenderint ad exceſſum: quæ eſt una ex obſervationibus habendis in lecturâ Patrum, perpendendo nempè, an tamquàm Theologi, vel tamquàm Oratores, & Præcones effati ſint (b).

(a) *Guillem. Peralt. de Avarit. to. 2. c. 11. §. 2.*

(b) *Petr. Annat. Appar. ad poſit. Theol. lib 4. art. 4 n. 4.*

8. De quâ etiam rè quidquid ſit, adjungimus, D. Bernardum, D. Bonaventuram, ac Guillelmum Lugdunenſem, ſermonem habere, non de Beneficiis, & Beneficiariis merè ſimplicibus, de quibus eſt noſter articulus; ſed de Beneficiis, & Beneficiariis curatis, de quibus nobis nulla eſt nùnc controverſia: fatemurque, quod inter Beneficiarium Epiſcopalem, & Curatum, contrahitur ſpirituale matrimonium analogicum, & ſimilitudinarium, in ſenſu de quo ſuprà ſermonem habuimus (c). Ac ſicut dedecet matrimonium carnale conſummari per ſubſtitutum, ità quoquè dedecet matrimonium ſpirituale per Vicarium exerceri. At hoc matrimonium ſpirituale non intercedit, ſaltèm ità propriè, atque ſtrictè, inter Beneficiarios inferiores, merèque ſimplices, & eorum Eccleſias, ſed ſolum latè, impropriè, ad modum ſponſaliorum, itaut à Scriptoribus appelletur, non matrimonium, ſed quaſi matrimonium (d): ſicque nullam turpitudinem involvit, quod per ſubdelegatum exerceantur, & adimpleantur onera ejuſdem, illa nimirùm, quæ per ſubſtitutum Jura permittunt adimpleri commodè poſſe. Et ità hìc deficit vis rationis à præfato Guillelmo propoſitæ.

(c) *Cap. etſi unanimiter 6 de poſtul. Præl. Vide ſupr. in hoc Tom. cap. 15.*

(d) *Gloſ. & Abb in c. etſi 6. de poſt. Prel. Alteſer. ad cap. 2. eod. titul.*

9. Cœterùm dicimus, quod quamvis inter Beneficiarium, & ſuam Eccleſiam, detur matrimonium, & reſpectivè, quaſi matrimonium ſpirituale; atque à matrimonio carnali ad matrimonium ſpirituale, ſit validum argumentum (e); adhùc tamen paritas inter utrumque claudicat multis pedibus, quià plures differentiæ ſunt, ob quas unum eorum diverſificatur ab alio, plurimæque ſunt conditiones, & qualitates, in eorum altero concurrentes, quæ non poſſunt in alio verificari. Undè ſpectat ad eum, qui vult de uno ad aliud arguere, probare ſimilitudinem in ea rè, de quâ arguit (f). Quarè tametſi matrimonium carnale non valeat exerceri per ſubſtitutum, tàm propter deformitatem hujus actus, quàm propter illius reſtrictionem ad perſonam contrahentem vinculum matrimonii; benè nihilominùs poteſt exerceri matrimonium, & multò magis, quaſi matrimonium ſpirituale per delegatum, quià nulla eſt deformitas in hoc actu: nèc ipſe actus, illiuſque exercitium reſtrictum eſt ad perſonam, quæ matrimonium quaſi ſpirituale cum ſuo beneficio contraxit.

(e) *Authen. niſi rogati C. ad Trebel. c. penult. & ult. de transl. præl. c. cum inter de elect. Oldrad. conſ. 62.*

(f) *Viv. Neapol. deciſ. 255 n. 40. l. 2. Barboſ. tract. var. loc. 70. in med.*

10. Imò hoc ipſum verum eſt etiam in matrimonio ſpirituali Rectoris animarum cum ſuâ Eccleſiâ: quippè licèt electa ſit induſtria perſonæ in Curato, dantur attamen cauſæ, propter quas poteſt Superior ſuam auctoritatem, ſeu diſpenſationem interponere, ut Curatus officium ſuum exerceat per ſubſtitutum, quæ non dantur, ut matrimonium carnale poſſit exerceri per ſubſtitutum. Quare patet ad ſenſum, quod paritas inter matrimonium carnale, & ſpirituale, nec ſemper, nec in omnibus æquali pede procedit, nec inter utraque hæc matri-

trimonia spirituale, atque carnale, intercedit paritas, nisi analogica, similitudinaria, per modum loquendi, ac in latissimo sensu: quæ licèt in aliquâ rè faciat eadem inter se convenire; in pluribus tamén aliis rebus claudicat notabilitèr, & præsertìm claudicat quoàd exercitium, & restrictionem personarum, proùt fusiùs integro capitulo sumus superiùs elocuti (a): ad quod benignum remittimus Anagnostem.

11. Alioquin sequeretur, quod sicùt matrimonium carnale est indissolubile, ità quoque indissolubile esset matrimonium spirituale inter Beneficiarium, & suam Ecclesiam, contrà praxim Ecclesiæ per omnia sæcula custoditam. Infinita quippè sunt exempla Virorum doctrinâ, & sanctitate sublimium, nec non aliorum, qui beneficia Episcopalia, Abbatialia, & Curata (cum quibus jàm contraxerant spirituale connubium) dimiserunt, absque eo quod unquàm fuerint de hâc dimissione in culpam vocati. Sequeretur paritèr, quod sicut neque Papa, neque Concilium generale, neque ulla terrena Potestas dispensare potest, ut matrimonium carnale per substitutum exerceatur; ità nec etiam dispensare possèt, ut matrimonium spirituale exerceatur per substitutum: cum tamen suprà viderimus fuisse à Concilio Generali Ephesino statutum, ut Episcopi Europeæ provinciæ possent duo, & tres Episcopatus regere (b), quorum aliquos proculdubiò cogebantur regere, & sic matrimonium spirituale exercere per substitutos. Et quoàd Papam, cernimus, quotidiè penè, per illum dispensari, ut Prelati Germaniæ binas, & ternas possideant Ecclesias Episcopales, cum quibus contrahunt spirituale matrimonium, nec tamèn eas cunctas regere, administrare, ac exercere valent, nisi per Vicarios, quippè in illis omnibus nec resident, nequè residere valent: sed imò dispensatio ipsa ad plura beneficia curata, necessariò in suis visceribus includit dispensationem super residentiâ in alterutro (c).

12. Id posteà, quod ex adverso proponitur ex Cardinali Papiensi, est fragmen ejus epistolæ ad Cardinalem Franciscum Gonzagam, è Ducibus Mantuæ, his verbis: *Adde publicum odium meritò in nos ex tantâ infamiâ comparatum: lamentari Ecclesias vides, quod his cumulis, egenorum panem eripimus, dolere populos, quod veneranda pastoribus loca plena nùnc mercenariis videns* (d). Verùm ad hæc responsum congruum ex se præbent, tàm dat historia, quàm contextus. Historia est ista. Objerat illis diebus Raphael Riarius Cardinalis S. Sixti, adolescens ex ordine Minorum, qui apud Sixtum Papam IV. poterat quod volebat: dignitate, fortunâ, reditibus ecclesiasticis, mirificè cumulatus: in Conviviis, in ædium ornatu, in familiarium pompâ, & quidquid ad splendorem conferre potest, adeò sumptuosus, ut ejus profusio excederet non modo credendi fidem, sed quodammodò facultatem quoque narrandi. Possidebat hic ingentem congeriem beneficiorum: *Nàm præter illustria Cœnobia magna, & multa ubique gentium comparata, præter inferiora, imæque dignitatis non spreta, etiam ex Supremæ Sedes in unum ipsum erant aggestæ: Patriarchalis Constantinopolitana, Metropolis Hispalensis, Metropolis Florentina, & Mimatensis Gallica: Congerendæ haud dubiè plures, nisi vitæ, & cupiditati unâ Dei dispensatione esset modus impositus* (e).

13. Ad hujus viri, tàm celerem è nihilo exaltationem ad fortunæ apogeum; quàm præcipitem casum, è sublimi potentiâ, & dignitate ad inferiora sepulchri; Cardinalis Papiensis binas edidit literas, Gonzaghe Cardinali directas, quarum prima est etiam sine fine (f). In utrâque autem totus est, ut se simul, ac Mantuanum compungat, consideratione precipitis casus Cardinalis Riarii. Nàm primam incipit hoc modo: *O Mantuane, alienæ insaniæ ad salutem nos instruant*. Secunda inchoatur; *Quantis quotidiè exemplis erudimur ad vitam, mi Mantuane! Quanta nobis te offert ab alieno exitu disciplina &c. Vel uno hoc exemplo Cardinalis S. Sixti quodnam potest esse conspectius &c. Quanti*

(a) Vid. supr. in citato Cap. 15. per tot.

(b) Concil. Ephes. Action. 7.

(c) Fagnan in cap. dudum il. 2. n. 21. de elect.

(d) Jacob. Card. Papiens. epist. 147.

(e) Idem epist. 148.

(f) Card. Papiens. epist. 147. & 148.

discriminis fortunam videbimus? Quamque admonebimur infirmitatis humanæ? &c. Biennio toto hic tantus fortunæ successus fuit, tàm ut appareat festinatus, quàm brevi erat casurus. Quid ergò ex tantâ gloriâ reliquum nùnc illo mortuo inspicimus? &c. Desiit jàm Cardinalatus tàm properatus. Evanuêre comitatus ingentes. Conviviorum gloria periit. Apparatuum divitiæ cessavere. Ludi in lacrymas versi sunt. Vestium nullus illi est usus &c. Quem capere paulò antè Orbis totus non poterat, premit nùnc breve sepulchrum &c. Quis tanto exemplo manendum non censeat in lege sacerdotii?

14. Hæc, & similia scribit Mantuano, Cardinalis Papiensis, non ut Theologus, sed ut Orator: non ut decisor casuum conscientiæ, sed uti declamator, fallaces delitias mundi perstringens. Quæ autem Patres, quæ Scriptores Ecclesiastici, quæ Doctores proferunt tamquàm declamatores, instruunt ad perfectionem, non obligant ad conscientiam: alioquin si cuncta eorum scripta, ex abundanti zelo edita: si cuncta eorum dicta, ex fervore vehementi prolata, necessariam observantiam exigerent, sub pænâ damnationis æternæ, vel mundo, & incolis ejus. Papiensis ergò instruit animum suum, & Mantuani, ut mediocritate contenti, ampliora non quærant: in casu Concardinalis, fugaces fortunæ lusus ediscant: in celeri morte adolescentis, dignitate, divitiis, gloriâ, potentiâ, cunctos sui temporis Clericos transcendentis, agnoscant, stare suam unicuique diem interitus, & ut plurimùm cum minus expectatur: adeòque sollicíti sint magis de sempiternâ, quàm de terrenâ felicitate assequenda. Admonet quoque vitandam esse plurium beneficiorum in uno, & eodem viro aggregatam congeriem, adversus quam linguæ hominum perstrepebant. Ad hæc omnia simul sumpta, nihil probant pro arctandis Beneficiariis merè simplicibus ad ecclesiastica beneficia.

15. Contextus posteà fragmenti epistolæ Cardinalis Papiensis ex adverso citatę, evidentèr impugnat pluralitatem Beneficiorum, & quidèm residentialium, animarum curam præferentium: nihil verò de merè simplicibus verba facit. Ait enìm: *quatuor quinque pluriumve præsulum sedes occupat unus. Cœnobiorum multorum patres idem unus excludit, minorumque munerum ministros idem unus in domo Dei esse non sint. Tàm multos eiicimus, quàm multa superfluò possidemus. Iteràm quoquè de ovibus creditis meremur indignè, à quibus, juxtà verbum Apostoli, metentes carnalia, non seminamus eis spiritualia. Quâ enim ratione intendere mens una tàm pluribus potest? Et custodis unius oculi tàm disiuncta regionibus contueri? Vicariæ verò diligentiæ nullæ ad satisfactionem sunt satis. Mercedem sequuntur illæ, non fructum: & quod de ovibus ad eas non pertinet, lupis venientibus fugiunt &c.* (a). Ex quibus evidentèr patet Papiensem loqui de Episcopatibus, & beneficiis Abbatialibus, atque Curatis, quorum possessores non negamus ad residentiam teneri, sed impugnamus, quod ad eam etiam Beneficiarii merè simplices sint adstricti. Alibi de Cardinali Papiensi sermonem habuimus, illùc Lectorem si plura petat remittimus (b). Ubi tametsi Auctoris hujus & scripta, & facta retulerimus ad probandam libertatem Ecclesiæ præficiendi beneficiis etiam Clericos extraneos; adhùc tamen ex eisdem congruâ ponderatione perpensis, & approbatis, deducitur etiam immunitas Beneficiariorum merè simplicium ab onere servitii personalis, & residentiæ.

(a) *Card. Papiens. epist. 547.*

(b) *Vid. supr. Tom. 2. saecul 15. 4. à n. 10.*

16. Citant demùm in præsenti Objectione Contradictores, Lessium, Fagnanum, Cujacium &c. Sed istorum periodi, eorundem Contradictorum libris inserti, nihil probant, quià de beneficiis curatis, & residentialibus agunt, cum quibus beneficia merè simplicia, quidquam commune quoàd hoc interesse non habent. Undè superfluum censemus tàm ipsas periodos hìc referre, quàm alia eorum scripta subjungere in idem collimantia. Vis ergò Objectionis benè canit: sed extrà chorum: altè clamat, sed casum nostræ disputationis non percutit: adeòque etiamsi totum in eâ contentum sine contradictione concederetur; nullum

lum nostræ sententiæ fieret præjudicium: quippè contenta in Objectione ipsâ loquuntur de Beneficiis, & Beneficiariis curatis, atque residentialibus, nos verò controvertimur de beneficiis, ac Beneficiariis merè simplicibus: statque optimè, quod à primis residentiæ debitum exigatur, non verò à secundis, cum secundorum ratio sit à primis multùm diversa.

17. Respondetur *secundò* ad argumentum, quoàd ea, quæ proponuntur ex Claudio de là Place, quod nos jàm suprà latè doctrinam ejus ponderavimus, & nihil prodesse causæ Contradictorum ostendimus ad subtrahendam Beneficiariis mere simplicibus immunitatem ab onere servitii personalis, & residentiæ (a). Nihilominùs nè illam quoque, quam præsens Objectio continet indiscussam relinquamus, promptè admittimus, quod Christus non per Vicarium, neque per Angelum, sed per se ipsum mundum redemit: Verùm hæc elocutio, quantùm pertinet ad præsens negotium, videtur potiùs declamatoria, quàm Theologica: & talis, quæ magis deceat Concionatorem ex ambone ad populum perorantem, quàm Doctorem ex cathedrâ docentem quid secundùm conscientiæ leges sit ex necessitate faciendum. Christus non redemit mundum per substitutum, sed per se ipsum. Benè. At quid facit hoc ad causam nostram? Quid probat ad casum? Christus non redemit mundum per Angelum, nequè per hominem, tum quià, ut ait Evangelista, *oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam suam* (b). Tùm etiàm quia, ut inquiunt Theologi, necessarium fuit Verbum incarnari, non ut id, sine quo redemptio esse non posset, sed ut id, per quod melius posset ad redemptionis finem perveniri (c). Fuit quoquè necessarium redemptionem fieri à Christo per passionem suam, non necessitate coactionis, tàm ex parte Dei, quàm ex parte Christi consideratâ; quippè Christus *oblatus est, quià ipse voluit* (d); sed necessitate finis, quatenus humanum genus non erat nisi per passionem Christi liberandum, eo quod voluntas Dei de Christo passuro, prænuntiata in scripturis, non nisi per passionem ipsius Christi debebat adimpleri (e). Itàque suppositâ præscientiâ, & præordinatione Dei de passione Christi futurâ, non erat eventurum, quod homo alio modo, quàm per passionem Christi salvaretur (f).

18. Ex his tamen non infertur, quod præcisâ Dei preordinatione, non potuisset mundus redimi, atque salvari, sivè per Angelum, sive per hominem, sive alio modo, Divinæ potentiæ magis grato: Nam hoc simplicitèr fuisse possibile docet clarissimè D. Thomas (g). Et quidquid sit an alio modo, quàm per passionem Christi potuisset Deo per peccatum offenso satisfieri de condigno, vel ex perfectâ condignitate, vel ex perfectâ justitiâ compensante offensam Deo per hominem irrogatam (h), quod relinquimus Theologis magis ex proposito ventilandum, aut decidendum nostrum enim non est huic disputationi funditùs discutiendæ immorari, & longiùs ab itinere, quod prosequimur, declinare; hoc unum est, quod simplicitèr, & de potentiâ Dei absolutâ mundus potuisset aliter, quàm per passionem Christi salvari: Undè D. Augustinus ait, *modum quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Jesum, Deus liberare dignatur, asserimus bonum, & Divinæ congruum dignitati: verùm etiàm ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cujus potestati cuncta æqualitèr subjacent* (i).

19. Tametsi verò salus hominum, & mundi redemptio fuerit à Christo Domino immediatè operata; certum est tamèn, quod multa alia, salutem hominum concernentia, atque Ecclesiæ edificationem, dilatationem, regimen, & augumentum facientia, non immediatè Christus per sè ipsum operatus est, sed per Apostolos, ac discipulos suos, eorumque successores. Undè benè dicit Cornelius à Lapide Christum *non omnia ordinasse, sed multa circa Ecclesiæ regimen, pro ratione temporum futurorum ordinanda, commisisse Apostolis, eorumque successoribus* (l). Porrò cum adhùc in terris conversaretur, multa quæ per se ipsum facere

(a) *V. d. supr. in hoc Tom. cap. 26. à num. 2. ad 17.*

(b) *Lucæ cap. 24. num. 26.*

(c) *S. Thom. 3. par. de Salv. qu. 1. art. 2.*

(d) *Isaiæ cap. 53. n. 7*

(e) *S. Thom loc. cit. qu. 46. art. 1.*

(f) *Idem S. Thom. art. 1. c. 2.*

(g) *S. Thom. 3. part. de Salvat. q. 46. art. 2. in corp. & ibi Cajet.*

(h) *Leonard Pennafiel de Incarn. nu. 114. fol. 225.*

(i) *S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 16. circ. princ. tom. 3.*

(l) *Cornel. à Lapid. in c. ad Titum nu. 1. & Unde.*

facere poterat, non peregit, ſed Apoſtolis, & Diſcipulis ſuis operanda commiſit. Et ità poſtquàm Apoſtolos ipſos elegit, hos *duodecim miſit, præcipiens eis, in viam Gentium ne abjeritis, & in Civitates Samaritanorum nè intraveritis, ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt de domo Iſrael. Euntes autem prædicate dicentes, quià appropinquavit regnum Cælorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, demones eiicite &c.* (*a*). Similia injunxit ſeptuaginta duobus Diſcipulis à ſe delectis, dicens: *Ite, ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos &c. In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite pax huic domui &c.* (*b*). Alibi miſit duos ex Diſcipulis ſuis in Caſtellum, ut ſumerent aſinam, ac pullum ejus, quibus uteretur in ingreſſu Hieruſalem (*c*). Aliâ vice Apoſtolos delegavit, ut irent ad quemdam, ut pararet domum, ubi comederet Paſcha (*d*).

(a) *Matthæi cap. 10. num. 5. Marc. 6 8.*
(b) *Lucæ cap. 10. num. 3.*
(c) *Matthæi cap. 21 num. 2*
(d) *Matthæi cap. 26. num. 19.*

20. Omittimus parabolas, in quibus ſæpè alloquebatur Apoſtolos, Diſcipulos, turbas, & homines illum audientes: parabolas inquam hoc idem, de quo diſſerimus, concernentes; ut eſt illa Patris familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam, mittens eos in illam, ut ibi operarentur, & foderent (*e*). Itèm alia hominis Regis, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, qui ingreſſi in vias congregaverunt omnes quos invenerunt, malos, & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium (*f*). Omittimus hiſtorias geſtorum ejus hùc identidèm intuentes rerum, quas aliis operandas delegavit, etſi eas poſſet ex ſe ipſo ad effectum perducere: proùt eſt illa decem virorum leprâ infectorum, qui Chriſto eunti in Hieruſalem occurrerunt, ille autem eos miſit, ut ſe oſtenderent à Sacerdotibus, & ſanarentur (*g*). Et ut aliis prætermiſſis, breviter multa dicamus, notum eſt, quod Chriſtus mittens Diſcipulos ſuos ad evangelizandum per Urbes, ità illos commonuit: *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit* (*h*). Et alibi: *qui accipit ſi quem miſero, me accipit, qui autèm me accipit, accipit eum, qui miſit me* (*i*).

(e) *Matthæi c. 20. num. 7.*
(f) *Matthæi cap. 22. num. 3.*
(g) *Lucæ cap. 17. num. 11.*
(h) *Matthæi cap. 10. 40. Lucæ 10. 16.*
(i) *Joan cap. 13. num. 20*

21. Quæ omnia cum Chriſtus docuerit, & reſpectivè operatus ſit, & operari voluerit per ſuos Apoſtolos, & Diſcipulos, dum adhùc ipſe in terris viveret, ac pro ſuo libito poſſet eadem ex ſe ipſo ad effectum perducere; procùldubio tam factis, quàm dictis ſuis oſtendit, aliqua eſſe in Eccleſiâ delegabilia, & quæ poſſunt per alium adimpleri, aliqua verò indelegabilia. Poſtremi hujus ordinis fuit redemptio generis humani, quæ ſuppoſita præordinatione Dei de Chriſti paſſione futurâ, alteri quàm Chriſto non potuit delegari. Primi ordinis verò ſunt multa alia ſuperiùs enunciata, ſtatum, & progreſſum, aut regimen Eccleſiæ, ac reſpectivè illius ordinem politicum concernentia, quæ quamvis poſſet Chriſtus ex ſe ipſo, & immediatè complere, per alios tamen voluit exerceri. In articulo autem noſtro poſſeſſionis beneficiorum merè ſimplicium, ſi ſuper illis ad facta, vel dicta Chriſti habenda eſt relatio, dicant quæsò Contradictores, cur ad unicum illum actum redemptionis mundi, præſuppoſitâ ut ſuprà præordinatione Dei de Chriſto paſſuro, incommunicabilem, & indelegabilem illa referemus, non verò ad tot alia facta, dictaque Chriſti, delegabilia, & de facto ab eo delegata? Perperàm ergò proponitur exadverſo redemptio mundi facta à Chriſto immediatè per sè, & non per ſubſtitutum, ad indè inferendum, Beneficiarios reſidentiæ perſonalis vinculis alligari.

22. Itàque inter delegabilia, & exercibilia per alium, ſunt onera non perſonalia, Beneficiariis merè ſimplicibus incumbentia: Hæcque optimè, licitè, ac juſte poſſunt per alium adimpleri. Nèc iſta eſt nova doctrina, nova praxis, nova noſtri temporis adinventio, ſed eſt ſententia, praxis, & doctrina, per totam Eccleſiam approbata, cuſtodita, frequentata, ac cum quâ Eccleſia ipſa ubilibet vivit, in eâque conſuetudo hæc inalterabilitèr invaleſcit (*l*). Aſtipulatur huic doctrinæ auctoritas Conciliorum (*m*): Aſtipulatur Patrum con-

(l) *Sac. Congr. ap. Barboſ. Sum. Apoſt. deciſ. Collec. 64 n. 5.*
(m) *Conc. Trid. ſeſ. 7. cap. 5. Vid. alia Conc. ibi, loc. 17. 18.*

consensio (*a*) : Sententia Theologorum astipulatur (*b*) : Quorum Princeps D. Thomas hæc habet: *Supposito quod aliquis licitè sit præbendatus in duabus Ecclesiis, scilicèt ex dispensatione, considerandum quod ille, qui in aliquâ Ecclesiâ præbendam accepit, duobus obligatur, scilicèt Deo, ut ei debitas laudes exolvat pro ejus beneficiis: Et Ecclesiæ, de quâ accipit sumptus. Ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ: & ideò hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exolvere secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam, vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem* (*c*). Quid clariùs dici potest ad propositum nostrum?

23. Astipulantur tandèm Sacræ Congregationis Decreta (*d*), nec non Decisiones Romanæ Rotæ (*e*), ac Jurisconsultorum, & Canonistarum concors sententia, unâ voce clamantium, Beneficiarios merè simplices esse à residentiæ debito exemptos, posseque onus suis beneficiis inhærens per subdelegatam personam adimplere (*f*). Quid ultrà desiderari potest? Quid amplius quærunt Contradictores? Perperàm sanè allegant Doctores, congeruntque Auctorum sententias de Beneficiariis, & Beneficiis curatis, atque residentialibus eloquentium, quando adsunt & mos generalis Ecclesiæ, & Judicum decreta, & Patres, & Concilia, & Pontifices, & Theologi, & Canonistæ &c. magno numero, & individualitèr pronunciantes, sine alio modo, prout hùcusquè in toto præsenti Tomo probavimus, suggerentes, Beneficiarios merè simplices residentiæ, ac servitii personalis debito non arctari. His ergò credant, his deferant, his acquiescant, ne veritatem potiùs cognitam impugnare, quàm ignotam videantur inquirere.

***
**
*

(a) *Vid. supr. cap. 20. & 21.*
(b) *Vid. supr. cap. 26. & 27.*
(c) *S. Thom. quodl. 1. art. 3. in corp.*
(d) *Vid. supr. cap. 25.*
(e) *Vid. supr. cap. 26.*
(f) *Vid. supr. c. 29. & 30. Borel. Sum. decis. to. 1. tit. 10. n. 6. & tit. 20. nu. 93. & 253. Perez de Lara de Capellaniis n. 8. f. 141. & fol. 148. n. 7.*



CAP.

CAPUT XXXIX.

In quo evertitur DECIMANONA OBJECTIO, *quod Beneficiarii merè simplices, non residendo, Ecclesiæ non deserviant: ideòque nèc reditus suorum Beneficiorum percipere valeant.*

SUMMARIUM.

1 Decimanona Objectio, *quod Beneficiarii merè simplices, non residentes, non serviant Ecclesiæ, nec adimpleant suum officium.*

2 *Utrumque agunt, si Officium recitant, & onera beneficii, quæ per sè non exercent, faciunt per alios adimpleri.*

3 *Beneficiarius debet laudes Deo persolvere, & hoc est onus personale. Alia obsequia debet Ecclesiæ, & hæc non sunt ità personalia, ut non possint per alium adimpleri.*

4 *Beneficium datur propter Divinum Officium recitandum. Hoc onus in se sumere est quid grave, & pretio æstimabile.*

5 *Omnes Ecclesiæ sunt una Ecclesia: Beneficiarius simplex alicui Ecclesiæ serviens, benè per alium cætera adimplet, si non est in eis electa industria personæ.*

6 *Serviunt Ecclesiæ Beneficiarii simplices, quotiès officium recitant, alia onera sui beneficii per alios adimplent,*

7 *Stat cum inæqualitate redituum æqualitas laboris, à quo merces Beneficiariorum non mensuratur. Episcopi omnes æquales sunt in dignitate, tametsi inæquales in proventibus temporalibus.*

8 *Principes vectigalia recipiunt à subditis, nec eos regunt ex se ipsis immediatè, sed per suos officiales.*

9 *Non ideò tamen vectigalia ipsa non merentur. Sic dicendum de Beneficiariis simplicibus, si aliqua per substitutos adimpleant.*

10 *Clericus est idoneus ad beneficia, tametsi solùm Tonsuratus. Hi dicebantur olim Confessores, & Psalmistę.*

11 *Si Beneficiarii simplices non possent onera per alium adimplere, non liceret beneficia hæc simplicibus Tonsuratis conferre.*

11 *Tàm juxtà antiquum Ecclesiæ morem, quàm recentiorem, Beneficiarii simplices onera sua per alium obire possunt.*

13 *Beneficiarii æquiparantur usufructuariis, nec possunt onus residentię in se suscipere, quod non habent.*

14 *Nequè Beneficiarii præfati novum onus residentię suscipere, nec Præsules hisce beneficiis tale onus addere valent.*

15 *Suo muneri satisfaciunt Beneficiarii simplices, quotiès Divini officii onus personalitèr, & alia onera per substitutos adimplent.*

1. Dicunt *Decimonono* Contradictores hoc modo. Nulla ratio, nullaque justitia deposcit, ut qui non militant in Ecclesiâ, stipendiis militantium in servitio Ecclesię perfruantur: sive ut ditentur proventibus Ecclesiæ, illi, qui Ecclesiæ ipsi non serviunt: Jura etenim clamant, beneficium dari propter officium: idest propter personale exercitium officii, beneficio inhærentis. Sed Beneficiarii merè simplices, non residentes apud Ecclesias, in quibus erecta sunt eorum beneficia, sive in quibus adimplenda sunt onera, ipsis beneficiis incumbentia; Beneficiorum fructus percipiunt, absque eo quod officium beneficiorum adimpleant: hocque est contrà justitiam, & naturalem æquitatem: ergò Beneficiarii mere simplices tenentur ad residentiam, & personale servitium suorum beneficiorum Ecclesiis impendendum: alioquin eorundem beneficiorum proventibus eis non est licitum potiri.

2. Respondetur ad hoc argumentum, illud peccare in solitâ cantilenâ, nempè in supposito. Negamus suppositum, scilicèt quod Beneficiarii merè simplices non deserviant Ecclesiæ, neque satisfaciant muneribus sui beneficii, nisi eadem ex se ipsis exerceant, ac resideant personalitèr apud Ecclesias, in quibus eorum erecta sunt beneficia. Falsum est hoc, & jàm suprà pluribus in locis, ac multiplicibus motivis ostendimus, hoc non subsistere (*a*). Ipsi etenim Beneficiarii sufficientèr, satis, & optimè deserviunt Ecclesiæ, ac satisfaciunt muneribus sui beneficii, etiam si personalitèr non resideant, si officium Divinum recitant, & onera suo beneficio incumbentia, vel per se ipsos, vel per alios, ab ipsis deputatos, exerceant. *Absens, & præsens*, inquit S. Antoninus, *servire intelligitur, dummodò benè vivat, & benè expendat quod indè percipit* (*b*). Et ità in sententià hujus Sancti Doctoris, non servit Ecclesiæ ille solus, qui residet, ac ministrat, sed etiam qui alibi consistens benè vivit, & laudabilitèr utitur fructibus suę prębendæ. Hoc dicit D. Antoninus, postquàm paulò antè affirmaverat: *si beneficia residentiam non exigunt, tùnc nisi esset necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, de novo suborta, non possent cogi Beneficiati ad residentiam* (*c*).

(a) *Vid. supr. in hoc tom. c. 30. n. 7. & c. 32. num. 6.*

(b) *S. Antonin. 3. p. tit. 15. c. 1. §. 13.*

(c) *S. Antonin. loco cit. paul. antè.*

3. Sed si cui hæc doctrina non placet, vel si quis in eâ sibi totalitèr non satisfacit; audiat quid de rigore Theologico, in hâc materiâ veritati cohæret. Duæ sunt obligationes, quas contrahit unusquisque Beneficiatus: Una quoàd Deum, ut ei debitas laudes persolvat, & hęc est personalis: altera quoàd Ecclesiam, in quâ erectum est beneficium, ut oneribus beneficio inhærentibus satisfaciat, & hæc est realis. Quæ doctrina in pondere, & mensurâ est D. Thomę scribentis: *Ille, qui in aliquâ Ecclesiâ præbendam accepit, duobus obligatur, scilicèt Deo, ut ei debitas laudes exolvat pro ejus beneficiis: Et Ecclesiæ, de quâ accipit sumptus. Ea verò, quæ ad Ecclesiam pertinent, subjacent dispensationi Prælatorum Ecclesiæ, & ideò hoc debitum, quod debet Ecclesiæ, debet exolvere secundum quod statutum est, vel per se ipsum, si sit præbenda, quæ requirat residentiam: vel per Vicarium, si hoc sufficiat secundum Ecclesiæ statum, ac consuetudinem: Sed debitum, quod debet Deo, per se ipsum debet exolvere. Non refert autèm quantùm ad Deum, quibus psalmis, & hymnis Deum laudet &c. Sed sufficit, quod semèl officium dicat secundùm consuetudinem alicujus Ecclesiarum, quarum est Clericus &c.* (*d*).

(d) *S. Thomas quodl. 1. art. 13. in corpor.*

4. Igitur Beneficiarii merè simplices optimè deserviunt Ecclesiæ, quoàd illam primam partem, quæ respicit obligationem coràm Deo, recitando Divinum officium, ab Ecclesiâ destinatum: hacque ratione dicitur communitèr, quod beneficium datur propter officium (*e*), nempè propter officium Divinum recitandum; & ità respectu beneficiorum merè simplicium axioma hoc interpretantur Doctores (*f*). Nec sine magnâ ratione quippè laudes Divinas persolvere, & ad eas quotidiè recitandas se personaliter obligare sub pœnâ peccati mortalis, & consequentèr damnationis ęternæ, non est res parvi momenti, sed est opus

(e) *Cap. quià per ambitiosam 15. de rescr. in 6. Garcia de benef. p. 1. c. 2. n. 60. & p. 7. cap. 11. num. 1. Barbos. Axiom. 36 n. 7.*

(f) *Lotter. de re benef. l. 1. qu. 7. nu. 10. & l. 2. qu. 36. n. 2.*

opus laborioſum, opus grave, opus tale, quod qui ad illud non obligantur, idem ultrò exequendum non ſibi aſſumunt, adeòque eſt opus, labor, & exercitium pretio æſtimabile, ac uti tale dignum ſuo ſtipendio, & mercede, juxtà commune proloquium, omnis labor optat præmium. Si enim Sonatoribus, & Cantoribus in Eccleſiâ muſicales cantus, & ſymphonias exercentibus: ſi Clericis, & Præsbyteris mortuorum funera comitantibus, & preces pro defuncto fundentibus: ſi Canonicis pſalmodiam ſacram in choro concinentibus &c. ſua merces debetur; cur non debetur Beneficiario merè ſimplici, officium Divinum extrà chorum ex debito perſolventi?

5. Quoàd aliam quoquè ſecundam partem obligationis, quam Beneficiarii merè ſimplices contrahunt reſpectu ad Eccleſiam, optimè illi deſerviunt, ſi ſerviunt alicui Eccleſiæ, etiam diverſæ ab illâ, in quâ erectum eſt beneficium, quià omnes Eccleſiæ ſunt una Eccleſia (a): Et pro unâ conſiderantur à Sacris Canonibus (b), à Patribus (c), & à Scriptoribus (d): eſtque ſatis, quod onera, ſi quæ injuncta ſunt beneficiis, uti miſſarum, anniverſariorum, eleemoſynarum, hoſpitalitatis, aut alterius cujuslibet operis pii, non perſonalis, adimpleant vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam: quià qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur (e), maximè in rebus neceſſario faciendis (f), nec quidèm fictè, aut impropriè, ſed propriè, ac verè (g): itàut id, quod per noſtrum procuratorem facimus, verè per nos ipſos facere videamur (h), niſi actio facienda ſit perſonalis, & neceſſariò ab eo ipſo adimplenda, qui ejus onus in ſe habet (i), qualis profectò non eſt obligatio ſecunda, inhærens uti ſuprà merè ſimplici Beneficiario.

6. Hinc quamvis beneficia eccleſiaſtica ſint veluti tot ſtipendia Clericorum Deo miniſtrantium (l): Adeòque illa poſſidentes debeant in Eccleſiâ miniſtrare, & deſervire; ſit quod ſi Divinas laudes Beneficiarii merè ſimplices perſonalitèr pſallant; reliqua vero munia beneficio cohærentia, vel per ſe ipſos, vel per alios à ſe deputatos adimpleant, ſemper eſt verùm, quod Eccleſiæ ſerviunt, pro Eccleſiâ militant, Eccleſiam ſuis obſequiis proſequuntur, ideòque ſtipendia militantium in Clericali militiâ, & proventus, qui debentur miniſtris Eccleſiæ deſervientibus, promerentur. Nèc habenda eſt ratio minoris laboris perſonalitèr exhibiti, ſolum privatè pſallendo, reſpectu ad majorem, quem ſuſtinent illi, qui prætèr Divinum officium, alia onera perſonalitèr exequuntur. Nàm in rebus Clericalibus, Sacerdotalibus, & Eccleſiaſticis, merces non menſuratur juxtà laborem, ſed juxtà dignitatem, & officium: undè videmus alicubi parochum vix triginta ſcuta percipere de reditibus ſuæ Eccleſiæ, alium verò fortè mille adipiſci, Cernimus aliquem Epiſcopatum non fructificare quingentos aureos, & aliquem alium reddere quinquaginta millia, & ultrà.

7. Tàm ingens autèm eſt labor Parochi percipientis triginta in regimine ſuæ parochiæ, quàm alterius percipientis mille, Tàm ingens eſt ille Epiſcopi, cujus reditus vix ad quingentos aureos aſcendit, quàm alterius, qui quinquaginta millia tranſendit. Imò interdùm fortè contingit laborioſiorem eſſe parochiam, & diœceſim Parochi, & Epiſcopi, minores habentis reditus, quàm percipientis ditiores. Et tamèn nihil obſtante hâc redituum diverſitate, relatâ ad æqualitatem laboris, nulla eſt differentia inter utrumque Epiſcopum, & Curatum, quià res Eccleſiarum in locis illis ità reperiuntur diviſæ, taliaque ſunt prædia, talis merces ibi Parocho, vel Epiſcopo aſſignata, non pro ratione laboris, ſed intuitu dignitatis, quæ quantum ad Epiſcopos in omnibus eſt æqualis: Undè D. Hieronymus ad Evagrium ſcripſit: *Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii: ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii: ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt Sacerdotii. Potentia divitiarum, vel paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt* (m), Benè ſtat ergò, quod unus habeat proventus eccleſiaſti-

(a) *S. Antonin. 3 p. tit. 25. c. 1. §. 13.*

(b) C. legimus in *fin. diſt 93 c. loquitur 24. quæſt. 1.*

(c) *S. Cyprian. de unit. Eccl. Petr. Clun. l. 3. ep. 2. Steph. Tornacenſ. epiſt. 8. Gerbert. ep 88 & 95.*

(d) *Bellarm de Pontif l. 2 c. 12. Fagnan. in cap. quanto 3. n 60. de transl Epiſc. l 1.*

(e) *L. ſi per alium ff. ne quis eum l non ideò C. de accuſ. c. mulieres § ille de ſent. excom.*

(f) *Ang. Aretin. conſ. 61. n. 16. Barboſ. tr. var. Axiom. 92 n. 1.*

(g) *Vincent. Carocc. in ſingul. ſing 402. Barboſ. loc citat.*

(h) *Roman. conſ. 94. n. 3. Barboſ ubi ſuprà*

(i) *Calderin. conſ. 271 num 2. Ang Aretin. conſ. 137. n. 113. Tuſc. tom. 3. lit. F. Concl. 7. num 25.*

(l) *S. Thomas quodlib. 9. art. 15. in corp.*

(m) *S Hieron ep. 85 ad Evagr.*

fiasticos majores alio, cum inæqualitate, vel æqualitate laboris: Et quod parum operans personalitèr, lautum accipiat de suo ministerio proventum: quià præmium percipit pro ratione officii, non pro ratione laboris: satisque operatur, administrat, & servit Ecclesiæ, si personalitèr Divinas laudes persolvit, quæ onus sunt personale: & vel per se, vel per alios cœtera munia exercet suo beneficio connexa, quę sunt onera non personalia, sed realia.

8. Succedit hoc dietìm pariformitèr in humanis, nec in uno solo rerum genere, sed in multis, illudque veluti manibus attrectamus in Regibus, & Principibus, quibus debentur à subditis contributiones, & vectigalia, tamquàm stipendium laboris, propter regimen œconomicum, & politicum, quod illis impendunt: Et tamèn Principes isti non omnia ex se ipsis tantùm faciunt, sed aliqua tantùm, quę magis ad eorum personas pertinent; nec immediatè per se ipsos, sed mediatè per alios officiales suos populos regunt: Et ideò in illâ Provinciâ, in illâ Urbe, Oppido, & loco, à quibus contributiones, ac vectigalia præfata percipiunt, deputant Judices subalternos, qui causis Civilibus, & Criminalibus dijudicandis incumbunt, pacem inter populos promoveant, injurias propulsent, damna reparent, offensas impediant, œconomico regimini communitatum invigilent, & sæpè computa expensarum pro fraudibus evitandis reciprocent: hæcque tempore pacis. Si verò bellum occurrat, Princeps rarò ad aciem procedit, sed milites congregat, Duces deputat, Præfectos eligit, Generales determinat, qui ad locum, ubi pugnandum est, se recipiant, & Principatum, Principem, ipsosque subditos, à vi hostium tueantur.

9. Nunquid licitè valent subditi Principem reconvenire, illique debitas contributiones, & vectigalia negare, eo quod ipsos non per se immediatè regat, ac defendat, sed mediatè per alios ministros, personas, & judices interpositos? Non certè: nec justa esset illorum reclamatio, neque contributionum justa subtractio: quià sufficit, quod Princeps in suâ Regiâ consistens, quæ magis sunt sibi propria per se agat, juxtà rerum, & temporum contingentias; alia verò, quæ delegabilia sunt, per ministros subalternos adimpleat. Et idcircò scitissimè per utrumque jus, tàm Canonicum (*a*), quàm Civile, provisum est (*b*), proùt suprà quoque tetigimus, ut qui per alium facit, per se ipsum facere censeatur. Idipsum (congruâ semper proportione servatâ) dicendum est de Beneficiariis merè simplicibus; Ut stipendia sui officii, & beneficii percipiant, sufficit, quod in loco sibi magis commodo permanentes, quotidiè orationi, ab ecclesiasticis regulis designatæ se applicent, & hanc personalitèr exequantur, cœteris verò oneribus, si quæ intuitu beneficii complere tenetur, vel per se ipsum immediatè, vel mediatè per personam interpositam satisfaciat.

10. Hic est stylus in Ecclesiâ inolitus, est mos in totâ Christianitate observatus, est consuetudo ubique gentium custodita, cujus si antiquam originem perscrutemur, vel vestigia ejus requiramus, inveniemus illam ab ipsis Ecclesiæ primordiis aliquale initium sumere, nec circà illam alitèr esse faciendum, quàm fiat. Sanè Ecclesia centiès definivit, ad simplex beneficium idoneum esse quemlibet Clericum: Ità Canones (*c*): Ità Concilia (*d*): Ità Doctores (*e*). Nèc tantùm Clericum in minoribus Ordinibus constitutum idoneum censet Ecclesia ad beneficia merè simplicia, sed etiam Clericum ad ordines non promotum, sed solâ primâ tonsurâ initiatum (*f*), quoniàm *per primam tonsuram, juxtà formam Ecclesiæ datam, Clericalis ordo confertur*, inquit Pontifex (*g*), sumpto hìc nomine ordinis, non rigorosè, sed lato modo. Tales autem Tonsurati, antiquis Ecclesiæ temporibus, vocabantur *Confessores*, atque *Psalmistę* (*h*), de quibus memoriam facit Concilium Toletanum I. (*i*), & Carthaginense III. (*l*). Illosque in suis precibus ad Deum annuâ recordatione commendat Ecclesia, rogans pro Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Confessoribus (*m*).

11. Isti autèm simplices Tonsurati, sive Confessores, aut Psalmistę, anti-

(a) *Cap. qui per aliū 72. de reg. jur. in 6. c. mulieres §. ille de sentent. excom.*

(b) *L. quod jussu alterius ff. eod. l. 1. §. Dejecisse ff. de vi, & vi arm. l. ità § quod si quis ff. de admin. tutor.*

(c) *C. ex literis de transact. c. cum adhùc de rescr. Clementin. quià contingit § ut antè de relig. Dom.*

(d) *Conc. Trid sess. 23 cap. 8.*

(e) *Borel sum. decis. to. 2. tit 20. nu. 197. & 314. Lotter. de rè benef p. 2. qu. 4. num 26. Bellet. disquis. Cler. p. 1 § 17. n. 7.*

(f) *Conc. Trid sess. 23 cap. 6.*

(g) *Cap. cum contingat de ætat. & qual. ordin.*

(h) *Domin. Magri not. Vocab. Eccl. Durand l. 2. c. 3.*

(i) *Conc. Tolet. I. c. 9.*

(l) *Conc. Carthag. III cap. 21.*

(m) *Missal. in Parascen. fer. 6.*

quis temporibus canendi, & psallendi officio in Ecclesiâ fungebantur (*a*). Dicunturque nùnc etiam in Ecclesiâ Græcâ *Psaltes* (*b*). Quorum officium ità describit D. Isidorus: *ad Psalmistam pertinet officium canendi, scilicèt benedictiones, laudes, sacrificium, responsoria, & quidquid pertinet ad canendi peritiam* (*c*). Alibique fusiùs eorum institutionem, officium, & modum explicat adhibendum, in cantu ecclesiastico modulando (*d*). Illis autem Ecclesia, priscis temporibus, stipendia, sive sportulas conferebat, quibus cùm nùnc beneficia sacra succedant; justissimè Ecclesia ad eadem beneficia simplices quoque Tonsuratos admittit: Admittere autem illos non posset: & admittendo penè quotidiè Clericos Tonsuratos tantùm, vel in minoribus constitutos, ad ecclesiastica beneficia, quibus absque alio ulteriori ascensu ad sacerdotium perfruantur, erraret, & en ratio. Tàm Clericus, minoribus ordinibus insignitus, quàm alter, solâ primâ Tonsurâ Clericali initiatus, postquàm beneficium ecclesiasticum est adeptus, non potest aliud officium personalitèr adimplere, quàm Divinas laudes in Breviario dispositas recitare: Nèc enim potest missas ex se ipso, vel planas, vel in cantu solemniter celebrare (si beneficium harum onus præseferat) quià caret ordine Presbyterali; sine quo impossibile est aliquem, tàm privatìm, quàm solemni ritu sacrificium offerre: ergò si necessariò deberent Beneficiarii merè simplices missas, & alia similia onera suis beneficiis adhęrentia, ex se ipsis tantùm, & personalitèr adimplere, nec eisdem fas esset ipsamet onera per substitutum obire, etiam Ecclesia non posset illis Clericis talia beneficia conferre, & conferendo, proùt crebrò facit, erraret: quod sine delirio, vel sine lęsione fidei, nemini permissum est affirmare.

(a) *Magri loco cit. V. Psalmista Thomas. vet. & nov. Eccl. disc. p. 1. l. 2. c. 30. n. 10.*
(b) *Magri loc. cit. V. Psalmista.*
(c) *S. Isidor. epist ad Ludifr. Cordub f. 615.*
(d) *Idem de off. Eccles. l. 2. c. 12.*

12. Constat ergò, quod etiam loquendo de toto rigore; & stando etiam antiquæ observantiæ, ad disciplinæ, per priora sæcula, in Ecclesiâ custoditæ, habitoque respectu tàm ad radicalem institutionem beneficiorum merè simplicium, ac illorum, quos Ecclesia ad eadem admittebat, primævis illis temporibus, quæ valdè à Contradictoribus magnificantur; quàm ad simplices Tonsuratos, & Clericos minorum Ordinum, quibus Ecclesia dietim solet beneficia, de quibus impresentiarum sermo est, impertiri; Beneficiarii merè simplices nullum aliud onus personale habent, quàm Divinas laudes persolvendi. Quod si beneficium, ratione dispositionis per fundatorem ipsius factæ, ad aliud onus obligatur, uti missarum, per designatos dies celebrandarum, hoc onus non est personale, sed reale, adeoque arbitrarium, ut Beneficiarius illud per se ipsum adimpleat, si velit, & sit ordine insignitus ad idem necessario; vel isto carens, aut nolens, onus ipsum per aliquem à se delegatum exerceat. Quarè iidem Beneficiarii, tàm officium Divinum persolvendo, quàm alia onera, si quę habent, vel per se, vel per interpositam personam adimplendo, verè officium, propter quod beneficium illis datum est, exequuntur, ideòque ipsius beneficii reditus, & fructus, juxtà omnem justitiam, & naturalem æquitatem percipiunt.

13. Tantaque est rei istius veritas, ut pro justitiâ, & naturali ęquitate præfatâ alitèr esse non debeat, nec esse posse videatur, tùm propter infinitas ferè rationes hùcusque adductas ad favorem exemptionis Beneficiariorum merè simplicium à debito residentiæ: tùm etiam quià ipsi Beneficiarii nedum oneri personalis residentiæ non subjacent, sed imò illud, etiam volentes, in se suscipere non possunt, nec eodem propria beneficia gravare. Siquidèm Beneficiarii, dum vivunt, æquiparantur usufructuariis (*e*): & hi viceversâ in rè, quâ fruuntur, dicuntur Beneficiati (*f*), talitèr ut inter utrosque, quibusdam in rebus, congrua currat proportio. Beneficiarii autèm, tamquàm usufructuarii bonorum Ecclesiæ, non habent dominium proprietatis illorum, sed solummodò usum. Ususfructus verò communitèr definitur, quod sit jus utendi, & fruendi rebus alienis, salvâ rerum substantiâ (*g*). Ergò Beneficiarii tenentur conservare beneficia, quæ possident in eâ jurium, & rerum integritate, in quâ eadem acceperunt. Sed beneficia merè sim-

(e) *C. fin. de pecul. Cler. c. requisisti de testam*
(f) *Card de Luc. de benef. disc 81 n. 11. 12.*
(g) *L. 1. § hactenus ff. de usufruct.*

simplicia acceperunt sine onere residentiæ; ergò sine illo onere debent eadem conservare, ac ad suos successores transmittere: Et sic etiam si velint, non est ipsis liberum suas præbendas personalis residentiæ debito arctare.

14. Accedit ad hæc vinculum juramenti, quo cuncti Beneficiarii ore proprio se constringunt jura sui beneficii fidelitèr conservandi, nec illis præjudicium aliquod inferendi: quarè fas non est eis beneficia, quę possident insolitis ponderibus onerare (*a*), nequè majores obligationes eisdem injungere, quàm fuerint in erectione (*b*), nimiùm autem grave onus apponerent suo beneficio, si onus residentiæ personalis in se susciperent, & beneficium ipsum à propriâ ad aliam speciem transferrent, sive de merè simplici in residentiale mutarent. Quinimò si hoc vellent facere auctoritate privatâ, resisteretur eis per Judices ecclesiasticos, ne præjudicium fieret successuris in beneficio. Et quod notabile est hanc potestatem, sive libertatem addendi nova onera beneficiis merè simplicibus, nedùm non habent Beneficiarii, sed imò ea carent etiam Episcopi, & Ordinarii locorum, nisi tales concurrant circumstantiæ, quæ in eis illam stabiliant. Et ità sancitum legitur, ne Præsules beneficia merè simplicia in parochialia convertant (*c*): Nè Beneficiarios merè simplices ad residentiam compellant (*d*): Nequè illos urgeant ad personalitèr inserviendum, sive ex se ipsis satisfaciendum oneribus proprii beneficii (*e*). Itàque ipsis Beneficiariis nulla alia remanet obligatio personalis, nisi illa Divinas laudes oretenùs persolvendi; cœteris oneribus pro eorum arbitrio, vel per se, vel per personam interpositam adimpletis.

15. Ex quibus omnibus evidens, ac patentissimum restat, quod Beneficiarii merè simplices, nedùm optimè, ac tutâ conscientiâ, possunt se immunes tueri, ac eximere ab onere personalis residentiæ, & munera, suo beneficio inhærentia, per alium adimplere; sed imò ex opposito non possunt, salvâ conscientiâ, onus residendi, & personalitèr munia ipsa exercendi, à quibus, ex naturâ suâ, præfati Beneficiarii sunt immunes, voluntariè, ac scientèr, ac privatâ auctoritate in beneficia ipsa suscipere, atque libertati beneficii sui præjudicium inferre, quià Domini non sunt ea subjugandi indebitæ servituti: sed quemadmodùm illa libera suo cæperunt, sic libera servare debent, & in primævâ libertate ad successores transmittere. Optimè igitùr suo muneri satisfaciunt ipsimet Beneficiarii, satisque serviunt Ecclesię, ac quidquid debent coràm Deo, & hominibus exequuntur, si onus personale recitandi horas canonicas personalitèr adimplent: alia verò munia, si quæ sunt suis beneficiis injuncta, vel immediatè per se ipsos complent, vel mediatè per alios à se deputatos ad effectum perducunt.

(a) *Lotter. de rè benef. l. 1 q. 32. n. 10.*

(b) *Idem loco citat. num. 11.*

(c) *Sacr. Congr. ap. Garcia de benef. p. 11. c. 5. n. 3. Barbos. Apost. decis. collect 64 n. 4.*

(d) *Sac. Congr. apud Garc. de benef. p 3 c. 2 n 9. Lezan. sum quæst. regul 10. 3. V. beneficiũ num. 18.*

(e) *Barbosa sum. Apost. decis. V. beneficium collect 64. nu. 5.*



CAP.

CAPUT XL.

In quo diruitur VIGESIMA, *& ultima* OBJECTIO, *de Inconvenientibus, quæ supponuntur ex non impensâ per Beneficiarios merè simplices residentiâ, & servitio personali Ecclesiæ, profluere.*

SUMMARIUM.

1 Vigesima Objectio, *quod ex non impensâ per Beneficiarios simplices residentiâ, succedant plura mala.*

2 *Similia inconvenientia exaggerat Joannes Papa XXII. ad quæ tollenda, obligandi sint Beneficiarii ad residentiam.*

3 *Concilium Ravennæ non loquitur de Beneficiariis merè simplicibus. Verba præcedentia declarant sequentia.*

4 *Joannes XXII. sermonem habet de Beneficiariis residentialibus, in quibus electa est industria personæ.*

5 *Idem est de sanctione Urbani V. Beneficiarii residentiales tenentur residere, quià & ipse in eis ostendit electam esse industriam personæ.*

6 *Similia habentur ex Bonifacio VIII. ex D. Thomâ, & aliis, qui loquuntur de Beneficiariis residentialibus.*

7 *Etiàm Cardinalis Papiensis exaggerat mala, quæ proveniunt ex coacervatione beneficiorum residentialium.*

8 *Mala, quæ decantantur in Objectione, succedunt etiam in Beneficiariis residentialibus: ergò non ex defectu residentiæ proveniunt.*

9 *Etiàm ætate D. Bernardi erant inconvenientia in oppositum exaggerata: bonumque est, quod nùnc sint minora.*

10 *Juris remediis non residentiæ adiectione cogendi sunt Beneficiarii simplices ad evellenda inconvenientia.*

11 *Inconvenientia ipsa rarò succedunt, quippè Beneficiarii merè simplices, ut in pluribus, rectè se gerunt, prout patet ex praxi.*

12 *Non quod aliquis Beneficiarius malè se gerat, gravandum est novo onere beneficium, nec alii Beneficiarii rectè se gerentes.*

13 *Nulla est ars, ex quâ interdùm non aliqua profluant mala. In mundo mali cum bonis admixti sunt.*

14 *In Arcâ Noë, in domo Abraham, Jacob, David, in collegio Apostolorum sanctis, mali, & mala fuerunt.*

15 *Non ex eo quod aliqui Beneficiarii merè simplices malè se gerant, subjuganda sunt oneri residentiæ illorum Beneficia, & alii Beneficiarii.*

16 *In Evangelio inhibitum est evellere zizania, ne eradicaretur & triticum. Mala non sunt corrigenda cum præjudicio bonorum.*

17 *S. Raymundus ex quinque capitibus notatum Clericum affirmat esse in peccato, quod non est de iisdem singularitèr sumptis.*

18 *Loquitur de Beneficiariis residentialibus. Pluralitas beneficiorum in Clerico excludit residentiam ab alterutro.*

19 *Idem Sanctus collegit Decretales Pontificum, in quibus Beneficiarii simplices eximuntur à debito residentiæ.*

20 *Monentur Contradictores ut veritati deferant: Honor enim est Divinæ majestati cedere, & auctoritati Ecclesiæ non reluctari.*

1. 
BITCIUNT *Vigesimo* Contradictores hoc modo. Multa inconvenientia, & infinita mala proveniunt ex eo, quod Beneficiarii merè simplices apud suas Ecclesias non resident, illisque personaliter non deserviunt: Nàm honorificentia, & cultus Dei deperit, Ecclesiæ desertæ cernuntur, & ministrorum penuriâ laborant; non exercentur in eis sacræ functiones; Templa diruuntur: eorum bona ab Affictuariis dissipantur; Sacra paramenta deficiunt, nec ibi nisi absoleta, & sordida reperiuntur; Clerici, qui deberent suis Ecclesiis famulari, Romæ, vel alibi otiantur, ibique aut vitiis incumbunt, aut lucris inhiant, & honoribus acquirendis; reparationi Ecclesiarum partem fructuum non impendunt: aliam partem pauperibus non distribuunt: alia demùm indè mala proveniunt, quæ ità deflet Concilium Ravennatense: *quorumdam Clericorum desidiam, & periculosam negligentiam radicitùs extirpare volentes, qui in eorum Ecclesiâ residere negligunt, in grave præjudicium animarum ipsorum, & scandalum plurimorum, propter quod Ecclesiæ sæpiùs divinis defraudantur officiis, cultusque divinus minuitur, quem summo cordis desiderio augeri desideramus* (*a*). Fusiùs mala eadem dolentèr exponit Urbanus Papa V. his verbis: *Ex quo hujusmodi Beneficiariis nequeuntibus in diversis beneficiis residere, diminutio Divini cultus, hospitalitatis defectus, ecclesiasticę libertatis, & jurium perditio, ac rerum lapsus, prædiorum destructio, ędificiorum, & ipsarum Ecclesiarum ruina, vitiorum pullulatio, animarum pericula &c. veniebant* (*b*).

2. Et adhùc prolixiùs eadem inconvenientia Joannes Papa XXII. exaggerat, clamans; *Undè inter cętera inconvenientia, subscripta sequuntur, quod videlicèt interdùm unus, qui unicum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis literatis viris, vitę puritate, ac testimonio bonę famę pollentibus, qui mendicant; possent abundè sufficere, ęquâ distributione collata: Habentibus ipsa paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dùm non sunt sui in unaquaque regione rectores, Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quę carentes defensorum auxilio, in juribus suis, & libertatibus multiplicitèr collabuntur, & ruinis patent ędificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum, &, quod amariùs est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculosè præbetur* (*c*). Cum ergò ex non impensâ residentiâ Beneficiariorum merè simplicium tot inconvenientia, & tanta mala proveniant, quę oportet avertere, ac ab Ecclesiâ longiùs ablegare, sequitur ex consequenti, quod ipsi Beneficiarii ad actualem residentiam in suis Ecclesiis faciendam, & ad servitium personale, suis beneficiis irrefragabilitèr impendendum, sint justitiâ, & æquitate flagitante constricti. Et ideò benè D. Raymundus de Pennafort in suâ Summâ proponens quæstionem, an Clerici sæculares, qui non intersunt divinis officiis, nec resident, nec deserviunt Ecclesiis, sint in statu salvandorum, disertè negativè respondet, parvipendens, quod ex hac suâ sententiâ *aliqui scandalizentur, volentes applaudere sibi in peccatis* (*d*).

3. Rèspondetur *primò* ad hoc argumentum (quod magnum fortè strepitum facit apud minùs peritos; nullum verò effectum parit apud sapientes) negando suppositum, nempè quod Concilium Ravennatense, Urbanus V. & Joannes XXII. in Extravaganti Execrabilis, loquantur de Beneficiis, & Beneficiariis merè simplicibus: Nàm legenti eorum scripta, cum totâ serie antecedentium, & succedentium, evidentissimè patet, eorum sermonem ad Beneficiarios curatos, chorales, & residentiales esse directum. Et fanè Concilium Ravennatense immediatè antecedentèr ad locum in Objectione citatum, agit de Canonicis, tàm ad Cathedrales, quàm ad Collegiatas spectantibus, jubetque illorum

(a) *Conc. Ravenn. ann. 1317. rubr. 9.*

(b) *Urban. V. Const. su edit. ann. 1365.*

(c) *Extravag. Execrabilis de præbend.*

(d) *S. Raym. Sum. lib. 1. §. 52.*

rum numerum, ubi jàm non est statutus, sine dilatione decerni (*a*). Immediatè post edit decretum de distributionibus quotidianis (*b*), quæ non dantur nisi Beneficiariis residentialibus,& choralibus. Quià ergò tàm verba præcedentia declarant sequentia, quàm è converso (*c*); tametsi ex ipsâ lecturâ canonis intermediâ Contradictoribus allegati, non constaret, ibi agi de Beneficiariis residentialibus, choralibus, & curatis; hæc ipsa ponderatio extremorum antecedentis, & subsequentis, esset sufficiens ad probandum, quod Concilium ea, quæ sancit, sancit non de Beneficiariis merè simplicibus, sed de implexis onere residentiæ. Quis dubitat autem, esse ad personalem residentiam personalitèr obligandos Clericos, beneficia choralia, & curata possidentes?

(a) *Concil. Ravenn. ann. 1317. c 8.*
(b) *Idem Concil. cap 10.*
(c) *Barbos. trac. var. Axiom 222. n. 48. & ibi DD.*

4. Similitèr Joannes Papa XXII. in Extravaganti citatâ, invehitur contrà eos, qui *in diversis Ecclesiis, nedùm vicinis, sed etiàm ab invicem longè distantibus, imò nonnunquàm in diversorum regnorum partibus situatis, duas, aut tres, aut plures dignitates, personatus, officia, seu prioratus, aut diversa ecclesiastica beneficia, curam animarum habentia*, possidere inveniuntur, proùt ex proœmio, sive ex initio ipsius Extravagantis agnoscitur (*d*). Et tùm quià verba legis intelligenda sunt secundum subjectam materiam, de quâ loquuntur (*e*): tùm etiàm quià, ut innuimus, verba antecedentia declarant sequentia (*f*); tùncque præsertìm quando prolata sunt per modum causæ, itaùt dispositivè se habeant (*g*); plalmitèr constat, quod Constitutio, sive Extravagans præfata non percutit casum Beneficiariorum merè simplicium, sed solummodo curatorum, & choralium, sivè residentialium, quales sunt ii, qui possident *Dignitates, personatus, prioratus, & beneficia, curam animarum habentia*. Procùldubio ad residentiam personalem sunt urgendi Beneficiarii residentiales, curati, & chorales, ut per se ipsos suis persungantur officiis: cum enim in eis, ut pluriès notavimus, electa sit individuè industria personæ; personalitèr quoque debent exercere munia suæ præbendæ. Sed quoniàm hoc non succedit in Beneficiariis merè simplicibus; hinc fit, quod hi Extravaganti Joannis XXII., & decreto Concilii Ravennatis non adiguntur, ut debeant in locis sui beneficii personalitèr residere.

(d) *Extrav. Execrabilis de præbend.*
(e) *Barbos tr. var. Axiom 222 n 6.*
(f) *Surd. decis. 288. nu. n. 30 Farin. de delic. p. 4. conf 30 n. 115. & conf 65, n. 110. Barbos. repert. jur. V. Verbum.*
(g) *Barbos. in c. cum dilectus 3. n 3 de success. ab intest. l. 3.*

5. Idipsum dicendum esse de sanctione Urbani V. patet ex lecturâ contextus: Et quoniàm, ubi verba sunt clara, superfluum est illorum interpretationem quærere, vel super illis conjecturas formare (*h*); inutile censemus eadem perscrutari, & ad solos Beneficiarios residentiales restricta esse docere. Quibus ità sè habentibus, cum jam auctoritates in Objectione positæ, nec Beneficiarios, neque beneficia merè simplicia complectantur, sed solummodò residentialia, & curata, simulque in pœnalibus, & odiosis, in quibus non est extensio facienda, sed potiùs restrictio (*i*); hinc fit, quod argumentum est de subiecto non supponente, nostrumque ad casum non facit: fatemur etenim libentissimè, quod Beneficiarii curati, & chorales, sive quocumque alio titulo residentiales, ad personale servitium, & residentiam faciendam apud Ecclesias suorum Beneficiorum tenentur; sed non ideò sequitur, quod ad eandem Beneficiarii quoque merè simplices sint adstricti. Et quamvis inconvenientia præfata sicut accidunt in Beneficiariis residentialibus; ità quoque accidunt, vel accidere possunt in merè simplicibus; tamen hoc nihil refert quantum ad præsens negotium: quippè Beneficiarii residentiales non tenentur ad residentiam, quià mala illa possint succedere, sed quia electa est industria illorum personæ ad personaliter exercenda munia, illi beneficio residentiam exigenti formalitèr inhærentia, quod non succedit in Beneficiariis merè simplicibus.

(h) *L. licet Imperator. ff de legat. 1. Serapin dec. 762 n 1. Socin. cons. 13. n. 39. l. 1.*
(i) *Cap. odia de reg. jur. in 6. cap in pœnis eod tit. l. factum cuiq. § in pœnalibus, & ibi DD ff de reg. jur. l. [illegible] quidam ff. de liber. & posthum.*

6. Collimat in idipsum declamatio Bonifacii Papæ VIII. adversus Clericos non residentes, & Juris corpori sub hoc themate inserta: *Ex quo insolentiæ oriuntur vagandi, & dissolutionis præparatur materia, minuitur cultus Divinus, quem desideramus augeri, & officium plerumque (propter quod beneficium*

ficium ecclesiasticum datur) *omittitur* (*a*). Consonat ex Patribus, & Theologis D. Thomas, de iisdem hasce deformitates recensens: *Sequitur diminutio cultus Divini, dùm unus loco plurium instituitur. Sequitur etiàm in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiàm inæqualitas, dùm unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest, & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent* (*b*). Omittimus alios minoris momenti Theologos, ac Scriptores, qui cohærentibus vocibus carpunt Clericos non residentes. Verùm nec Bonifacii VIII. quidquam proficit clamor, nec D. Thomæ, neque aliorum minoris momenti, quià illorum locutio ad Beneficiarios merè simplices non est directa, sed ad solos curatos, chorales, atque residentiales, quos ultrò fatemur esse residentiæ debito adstrictos, ex rationibus mox allatis, quæ afficiunt quoàd illos, sed nihil prævalent ad gravandos Beneficiarios merè simplices novo residentiæ onere, quod de suâ naturali conditione non habent.

(a) *Cap. quià per ambitiosam 15. de rescriptis.*

(b) *Sanctus Thom. quodl. 9. art. 15. in corp. in med.*

7. Sic & ex Scriptoribus Ecclesiasticis Jacobus Cardinalis Papiensis aliquandò literis ad Franciscum Gonzagam Cardinalem Mantuanum directis, ità è cordis intimo peroravit: *recense metum coacervatarum administrationum quanta sint mala, quantisque nos involvant criminibus. Defraudamus primo loco Deum gloria justi obsequii sui: quod enim illi persolvi pluribus administrationibus oportet, per unum cogimus fieri &c. Rursùs debilitamus corpus Ecclesiæ. Quatuor, quinque, pluriumve Præsulum sedes occupat unus. Cœnobiorum multorum Patres idem unus excludit, minorumque munerum ministros idem unus in domo Dei esse non finit. Tàm multos eiicimus, quàm multa superfluò possidemus. Iterùm quoque de ovibus creditis meremur indignè, à quibus, juxtà verbum Apostoli, metentes carnalia, non seminamus ei spiritualia. Quâ enim ratione intendere mens una tàm pluribus potest? Et Custodii unius oculi tàm disjuncta regionibus contueri* (*c*). Hæc Papiensis: sed & iste, non secùs ac alii præfati, de beneficiis residentialibus manifestissimè effatur; recurritque discursus paulò antea expositus, quod ab istis ad beneficia merè simplicia sermo non currit, quià inter utriusque speciei beneficia æquilibrata proportio, ac paritas æqualitèr non occurrit.

(c) *Card. Papiensis epist. 147.*

8. Respondetur *secundò* ad Argumentum, iterùm negando suppositum, sive bina supposita insimul complicata: nimirùm quod mala, & inconvenientia ex adverso objectata succedant in solis, & in omnibus Beneficiariis merè simplicibus. Non enim in solis Beneficiariis merè simplicibus hæc succedunt, quià eadem in Beneficiariis quoque residentialibus accidere conspiciuntur, Ecquot nàmque Parochi, Priores, Præpositi, Abbates, Archidiaconi, Canonici, Mansionarii reperiuntur, qui tametsi apud suas Ecclesias resideant, in memorata proruunt mala? Quot fiunt bona ecclesiastica devastari, sacras ędes dirui, Divinum cultum negligi, curam animarum despici, paramenta Sacra deficere, Ecclesiarum jura perire: docendo populo non incumbunt, pascendis verbo, & exemplo subditis non attendunt: manus subtrahunt ab eleemosynis, avaritiæ, ludo, crapulæ, ebrietati, & interdùm etiàm scortationibus, aliisque vitiis se involvunt? Utinàm non ista crebrò vel in uno, vel in alio loco succederent! Episcopi, qui præsunt suis Diæcesibus, poterunt hâc de rè congruum, & experimentale testimonium perhibere. Ergò mala, quę in oppositum decantantur, si, & in quibus succedunt, non ex defectu residentiæ proveniunt, sed ex inertiâ, desidiâ, pravâque Beneficiariorum animi voluntate, ac laxitate conscientiæ: sive resideant, sive non resideant.

9. Totus erat D. Bernardus in exclamando adversus Beneficiarios suæ ætatis, quod *habitu milites, quæstu Clericos, actu neutrum exhiberent*: Qui subdit, *neque ut milites pugnant, neque ut Clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt?*

sunt? Cùm utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, utrumque confundunt &c. O miserandam Sponsam, talibus creditam paranymphis: qui assignata, cultui, ejus proprio retinere quæstui non verentur (a). Et alibi: *ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transierunt, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tonduntur: propter hoc frequentant Ecclesias: missas celebrant: psalmos decantant. Prò Episcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliisque Dignitatibus, impudentèr hodiè decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis, & vanitatis usus dissipentur* (b). Vides quod inconvenientia illa, quæ à Contradictoribus exaggerantur, erant quoque tempore D. Bernardi; erant anteà, & erant post. Quæ si per tot annorum centurias non potuerunt prorsùs evelli; quid mirùm si aliqua eorum adhùc supersunt? Si nùnc sunt minora; gratias agamus Deo, quod Ecclesia perget in melius, & paulatìm eradicentur vitia, quæ tempore nostrorum antenatorum erant pejora. Vel si tùnc erant communia cunctis Beneficiariis etiàm residentialibus; gaudeamus, quod nùnc redacta dicantur ad solos merè simplices Beneficiarios.

(a) S. Bernard. de Consid. lib. 3. ad fin.

(b) S. Bernard. in psalm. Qui habitat.

10. Cùm igitùr tot ipsa mala, ubi plùs, ubi minùs, respectivè occurrant, etiàm in Beneficiariis curatis, & choralibus, residentiam facientibus, non verò solùm in Beneficiariis merè simplicibus, à residentiâ personali deficientibus; patet, quod residentiç defectus non est illorum causa, sed pravi animi affectus: & sic vel Beneficiarii resideant, vel non resideant, mala eadem non extirpantur, nisi conscientiæ laxitas corrigatur. Huic ergò emendandæ incumbendum est, ubi, & respectu ad quos ità sit opus, non coarctandis ad residentiam Beneficiariis merè simplicibus de naturâ suâ à tali onere exemptis. Quemadmodùm Beneficiariis curatis, choralibus, & residentialibus, in antedicta mala proruentibus, non inculcatur personalis residentiæ assiduitas, sed emendatio morum, voluntatis morigeratio, earumdem inordinationum evulsio, monitionibus, objurgationibus, minis, mulctis, pœnis, fructuum subtractionibus, aliisque juris remediis. His ergò Beneficiarii quoque merè simplices proficuè sunt pulsandi, si mala ex eorum culpâ succedunt, si Ecclesiæ, si bona earum detrimenta patiuntur, si Divino cultui præjudicium infertur, si alia tandem inconvenientia succedunt, quæ in Objectione magnificantur: non verò residentiæ laqueis inutilitèr implicandi, & onerandi pondere, quod non habent. Tantò magis quod superadiectio novi oneris residentiç refunditur in ipsum beneficium, quod cum anteà esset liberum; fit servile: justum autem non est, quod si Beneficiarius delinquit, plectatur beneficium, nè *inter nos parabola vertatur in proverbium istud: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt* (c).

(c) Ezechiel. Cap. 18. num. 2.

11. Omnes paritèr Beneficiarii merè simplices præfata mala, & inconvenientia non incurrunt (quç est alia pars memorati suppositi, vel aliud suppositum, de quo loquimur) sed valdè pauci in eâ prolabuntur, & pro uno sic errante, centum toto zelo rectè procedunt. Cernimus enim Cardinales, Episcopos, Abbates, Præpositos, Canonicos, Presbyteros, Clericos, qui beneficia merè simplicia possident, religiosè, ac piè vivere: de honore Dei esse solicitos: Missam assiduè celebrare: Orationi se addicere: Functiones Sacras, quas debent, vel per sè ipsos, vel per alios viros idoneos adimplere: juribus ecclesiasticis custodiendis invigilare, ac si opus est, litigiis, atque dispendiis contueri: Ecclesias reparare, illasque mundas, nitidas, paramentis, & utensiliis benè instructas tenere: pauperibus eleemosynas, tùm secretas, tùm publicas, impertiri: ut arva colantur, domus rurales fartetectç serventur, insistere: arbusta plantare, vineas, ac vites augere, agros quandoque comparare, interdùm hæreditates, & legata de bonis propriis, & patrimonialibus Ecclesiis, & beneficiis ipsis deferre: ac quidquid sit, an aliqui fortè valdè rari de-

fides

fides, & inertes, diversimodè se gerant; certum est, quod ut in pluribus Beneficiarii merè simplices Ecclesias, & bona beneficiorum suorum solertèr custodiunt, eorumque oneribus fidelitèr satisfaciunt, vel amore Divini cultus, vel utilitatis propriæ intuitu, vel vitandę humanę ignominię gratiâ, vel timore pęnarum, quibus desides percutiuntur. Unde ista enormia, & adeò immoderata inconvenientia, quę exadverso decantantur, in praxi sunt valdè rara, nec digna, ut de illis tanta dicantur.

12. Et quatenus etiam ut plurimùm (quod non est) Beneficiarii merè simplices præfatis deordinationibus, exadverso decantatis, ac multum exaggeratis, causam darent, prędia, domus, Ecclesias in deterius ruere finerent, missas, anniversaria, pia opera, & onera quęque beneficiis inhęrerentia, non implerent, vel alitèr à suâ obligatione deficerent; hoc non probat, quod debeant ad residentiam personalem urgeri, sed solùm quod possint, & debeant per Ordinarios locorum, vel aliàs respectivè per legitimos superiores, pęnis, mulctis, sequestrationibus fructuum, aliisque juridicis remediis, ad sua onera prorsùs adimplenda compelli: posse tandèm, & debere vitia corrigi, mala percuti, inconvenientia divelli; non verò Beneficiario, & Beneficio nova pondera superaddi: alioquin malum curaretur malo, ut inquiebat Sofocles apud Stobęum (a), & pro eo quod abscinderentur errores, oppositum potiùs eveniret; nàm errores majoribus cumularentur erroribus: correctio esset crimine pejor: remedium esset morbo deterius, dùm pro reis delinquentibus, pęnę indebitę subiicerentur insontes: nempe dum propter culpam Beneficiarii delinquentis, novo submitteretur oneri residentię illorum beneficium, quod non deliquit: & demum propter malitiam alicujus Beneficiarii incorrectè viventis, aut laxiùs se gerentis; omnes alii Beneficiarii, solertes, & pii, gravi, & insolito residentię personalis pondere premerentur, contrà Divinum oraculum sic sonantem: *unusquisque in iniquitate suâ morietur*, non aliena: *Omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus*, non aliorum (b).

(a) *Jeremiæ Cap. 31. num. 19.*

(b) *Joan. Stobęus. Serm. 4. num. 32.*

13. Cęterùm, quod in tàm numerosâ serie Clericorum beneficia ecclesiastica merè simplicia possidentium, aliqui fortè à recti tramite devient, & in pręfata mala improvide dilabantur; nil mirùm: hoc enim fert humana conditio. *In magnâ domo*, inquit Apostolus: *non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia* (c). In mundo nulla est ars, nulla facultas, nulla rerum qualitas, nulla sublunarium dispositio, ex quâ non tàm bona profluant, quàm interdùm etiam adversa. Medici non semèl ęgros occidunt: Judices quandòque proferunt sententias injustas: Theologi aliquandò prava dogmata insinuant: Philosophi crebrò hęresibus vias sternunt: Amici amicos fallunt, nec raro: Milites ut plurimum vim, & rapinas exercent: Plerique Artifices fraudes committunt: Causidici minùs recti litigia fovent: Scribę nequiores veris scriptis falsa commiscent: Famuli perfidiores heris suis parant insidias: Et oh utinàm raro succederet, quod *inimici hominis sint domestici ejus* (d). Demùm ut benè notat D. Gregorius, in Ecclesiâ *mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt* (e). Hęcque mixtura, ut putamus, probabilitèr semper erit, quià usquè ab initio temporum quoque fuit. Quam ob causam Abraham interpellavir Dominum dicens: *Numquid perdes justum cum impio? Si fuerint quinquaginta justi* (declinando deindè paulatim usquè ad decem) *peribunt simul? &c. Absit à te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fietque justus sicut impius* (f).

(c) *Timoth. Cap. 2. num. 20.*

(d) *Michæ Cap. 7. num. 6.*

(e) *S. Gregor. homil. 12. in Evang.*

(f) *Genesis Cap. 18. à num. 24.*

14. Egredi è mundo debet, qui non vult mala in genere morum, quæ in mundo fiunt, vel auribus audire, vel palpebris intueri. Et an detur aliquis locus, in quo nec mala eveniant, nec mali bonis sint intermixti; Contradictorum erit illum assignare, & sub quâ zonâ, sub qua poli elevatione, sub quo zenith sit indi-

indicare. Nos censemus, quod nulla sit provincia, nulla civitas, nullum oppidum, quinimò & fortè nulla domus, in quâ improbi cum viris probis; ferventes cum piis; & nepharii cum optimis non morentur. Undè D. Augustinus: *quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo: nèc mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quàm Arca Noë, ubi tamèn inter octo homines reprobus unus inventus est: aut melior sit quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, ejice Ancillam, & filium ejus: aut melior sit quàm domus Isaac, aut de duobus geminis dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit quàm domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit quàm domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contrà patris tàm sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamèn, si inter omnes bonos habitaret, non diceret, foris pugnæ, intùs timores: nèc diceret cum de sanctitate, & fide Timothei loqueretur, neminem habeo, qui germane de vobis sollicitus sit: Aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in quâ undecim boni, perfidum, ac furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremò quàm cælum, undè Angeli ceciderunt* (a).

(a) S. August. epl. 137.

15. Ità non est locus, qui tametsi bonis abundet, mala tamen, & malos quoque eisdem intermixtos non capiat. Quid ergò ad hæc? Nunquid exterminandæ sunt provinciæ, diruendæ civitates, evertenda oppida, desolandæ sunt domus, quià inter multos bonos, mala, & mali quoque homines insimùl delitescunt? Absit. Quarè? Quià parcendum est humanæ infirmitati proclivi ad malum: compatiendum est hominum fragili conditioni: & supponendum est, non mirandum, nulla esse Orbis partem à perversis habitatoribus immunem, quando, teste Augustino, nec Arca Noæ, nec domus Abrahæ, nec Aula David, nec ipsum Cęlum, nec Apostolorum Christi Collegium, malorum cum bonis caruit admixtione. Ità ergò etiam de Beneficiariis mere simplicibus est sub congruâ proportione loquendum: non ex eo quod aliqui fortè illorum à propriâ obligatione deficiant, statim ipsorum beneficia sunt novo onere prægravanda: nec vitia desidum sunt solertibus inurenda: nec ob paucorum culpam, cunctorum est innocentia plectenda, gravi pondere, insueto onere, laqueo tandem residentię, pedes liberos implicante. Non: Imò potiùs his evenientibus inhęreat quisque consilio D. Chrisostomi sic docentis: *Propter bonos Sacerdotes, etiam malos honorate, nè propter malos, etiam bonos contemnatis. Melius est enim malis justa præstare, quàm bonis justa subtrahere* (b).

(b) S. Jo. Chrysost. Oper. imperf. homil. 41.

16. Habemus hujus rei parobolicum documentum in Evangelio, ubi detectum est zizania crevisse in medio tritici: servi etenim patris familias, *dixerunt ei: Domine nonnè bonum semen seminasti in agro tuo? Undè ergò habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea. Et ait, non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simùl cum eis & triticum. Sinite utraque crescere usquè ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum* (c). Hoc modo Paterfamilias Evangelicus intemperantem zelum servorum suorum compescuit, ut nos indè discamus, mala non esse corrigenda præjudicio bonorum, nec quod unius proponitur ad remedium, refluere debere in alterius detrimentum. Itàque quantum ad nostrum propositum, neque culpa, quæ in Beneficiariis merè simplicibus, inertiâ tabescentibus, reperitur, est refundenda in dociles, & solertes; neque tali pænâ plectendi sunt rei, quæ simùl anxiet innocentes. Cumque ex unâ parte remedium residentię non sufficiat ad mala præfata, si quæ accidunt in Beneficiariis merè simplicibus, evellenda, quià, ut innuimus, communia sunt etiam Beneficiariis residentialibus: & ex aliâ parte remedium ipsum reis applicatum, in detrimentum refundatur insontium, resultat,

(c) Matthæi Cap. 13 num. 27.

quod

quod nec opportuna est, neque justa compulsio Beneficiariorum merè simplicium ad residentiam personalem, quam hactenùs nullatenùs habuerunt.

17. Respondetur *tertiò* quoàd Sancti Raymundi de Pennafort doctrinam, explicando illam, & declarando, proùt ejusdem veritas poscit. Proponit Sanctus in loco exadverso allegato, quæstionem non de Clericis à residentiâ solùm deficientibus, an sint in statu salvandorum, nec ne? Sed complicat simùl capita, & respectivè vitia permulta, in eisdem Clericis concurrentia, nempè quod *non portant coronam, vel tonsuram, vel habitum congruentem, vel qui non intersunt divinis officiis, nec resident, nec deserviunt Ecclesiis*. Et supposito, quod hæc quinque capita, & respectivè vitia in eodem Clerico conglobentur; optimè, ac sapientissime resolvit Sanctus ille vir, talem Clericum non esse in statu salutis. Quis de hoc dubitare debet? Cum evidentissimè peccet, nec talis dicendus sit Clericus, sed Pseudoclericus, & quodammodò Apostata, proùt de facto idem S. Raymundus in resolutione quæstionis eum de apostasiâ redarguit, dicens: *cum enim pro tali apostasiâ pæna gravis, & multiplex imponatur &c. patet quod non est consilium, sed præceptum*, illa adimplere (a). Verùm si D. Raymundus loquitur de Clerico, ex quintuplici capite, ac quinque de causis insimùl intertextis ad trutinam vocato, nùm peccet, necnè? Non ideò ex quacumque ex illis causis singularitèr acceptâ, concludendum est peccare mortalitèr Clericum ipsum, quia ex cunctis simùl gravem culpam incurrat.

18. Cœterùm S. Raymundus ea, quæ in præfato loco resolvit, notetur, quod asseverat, non de Beneficiariis merè simplicibus, sed de curatis, & choralibus, aut aliâ ratione residentialibus, ut ex contextu enitescit. Quidquid autem sit de his, nihil ad nos, qui non de beneficiis residentialibus agimus, sed de merè simplicibus hìc eloquimur. Nihilominùs tametsi beatus iste Vir haberet sermonem de Beneficiariis merè simplicibus, ea non dixisset, quæ protulit, si Clericos, de quibus quæstionem instituit, nullo alio defectu notatos supponeret, quàm residentiæ non impensæ apud Ecclesias, in quibus retinent beneficia merè simplicia. Nàm cum alibi doceat, in quinque casibus posse aliquem obtinere duas Ecclesias, quorum ultimus est, si habeat unam in titulum, & aliam in commendam (b), quę retentio necessariò includit subtractionem residentiæ in alterutro (c); constat quod ille admittit in isto casu exemptionem à debito residentiæ etiam Beneficiariorum alioquin residentialium: multò magis igitur oportet eam admisisse in Beneficiariis merè simplicibus, ex naturâ suâ à tali onere exemptis. Si enim cognovit esse in Ecclesiâ auctoritatem talem, quæ abscindere valet à beneficiis alioquin residentialibus, onus residentiæ personalis; proculdubiò cognovit etiam inesse talem auctoritatem, quæ residentiæ debitum abstulerit à Beneficiis, & Beneficiariis mere simplicibus.

19. Ad hæc notum est, quod ipse S. Raymundus, de mandato Gregorii Papæ IX. collegit literas Decretales ipsius Papę, ac pręcedentium Pontificum, easque in unum simul redegit volumen (d), quod componit partem corporis Juris Canonici (e). Et quia in ipsis Decretalibus aliquæ sunt manifestissime absolventes Beneficiarios merè simplices à debito residentię (f); sicut incredibile est, quod easdem Decretales non legerit, & non sit attente perscrutatus, ità incredibile est, quod viso illarum tenore, liberante præfatos Beneficiarios merè simplices ab obligatione residentiæ personalis; voluerit ipse oppositum docere, ac quos Jus Pontificium absolvere cognoscebat, idem ipse residendi vinculis irretire. Et ità quamvis etiam D. Raymundus loqueretur de Beneficiariis merè simplicibus, quod negamus, adhùc multiformitèr patet, mentem illius nec fuisse, nec rationabiliter esse debuisse, trahendi super Beneficiarios merè simplices onus residentiæ personalis, quod non habet.

20. Et per hæc jàm satis sit dictum de Beneficiis, & Beneficiariis merè simplicibus, ac de illorum immunitate à debito servitii personalis, & residentiæ.

Restat

(a) *S. Raym. Sum. p. 1. tit. de Apost. §. 10. f. 52.*

(b) *S. Raym. Sum. l. 3. tit. quod Ordin. sit. Dom. suæ bene prœvos. §. 3. f. 284.*

(c) *Fagnan. in cap. dudùm el 2. num. 21. de elec. l. 1.*

(d) *Barbos. Collect. in lib. 1. Decretal. in proœm. num. 3. Card. de Luca Rel. Cur. disc. 8. num. 6.*

(e) *De Luca Annot. ad Conc. disc. 28. num. 8. Vide suprà cap. 7. num. 17. 18.*

(f) *Cap. Clericos 17. de Cler. non resid.*

Reſtat ut Contradictores, his auditis, libentèr agnoſcant veritatem: Agnitâ veritate, humilitèr illi deferant: Illi deferentes, ingenuè fateantur, ſe jam ſpiritu ſanioris conſilii concitatos, à doctrinâ priſtinâ reſilire, atque de præfatis Beneficiis, & Beneficiariis id omninò tenere, quod tota obſervat Eccleſia. Cujus quidèm animi mutationis, ſi expreſſa ſigna præbebunt, ſibi conſulent: ſe dignos Eccleſiæ filios oſtendent: honorem ſuum augebunt: exiſtimationis ſibi præparabunt materiam: & à pravorum illorum hominum ſe commercio ſequeſtrabunt, de quibus Auguſtinus: *Homines minùs intelligentes, cum arripiunt defenſionem cujuſque opinionis, abeâ vel nunquàm, vel difficilè inflectuntur: dùm docti, atque ſapientes magis putari, quàm eſſe concupiſcunt* (*a*). Sed fortè Contradictores non indigent commoneri ad ſalutem, revocari ad cor, provocari ad gratiam, mutationem facere voluntatis, quià habent in animo quid immutent: quippè, ut putamus, quæ ſcripſerunt, non in ſenſu veritatis, ſed ut alienæ voluntati ſuffragarentur ſcripſerunt: ad opportunitatem cauſæ ſibi commendatæ ſcripſerunt; diſputaturi, non triumphaturi ſcripſerunt: benè alioquin ſentientes de fide, de Apoſtolicâ Sede, de communi ſenſu Eccleſiæ, cujus auctoritati demùm poſt contentiones cedere, nec diutiùs reluctari, fuit ſemper ingens decus, & honor, de quo mellifluus D. Bernardus: *Summum victoriæ genus, divinæ cedere majeſtati. Et auctoritati matris Eccleſiæ non reluctari, ſummus honor, & gloria* (*b*).

(a) *S. Auguſ. epl.* 174.

(b) *S. Bernard. ep.* 186. *ad Euſtachium.*

F I N I S

Quarti Tomi.



I N D E X
RERUM, ET VERBORUM

Primus numerus significat Tomum. Secundus, Paginam Tomi. Tertius, Paragraphum, seù Numerum Paginæ.

A



Aca-

Ana-

tio-

Are-

Hip-

ad

Be-

C

f. 195.

eli-

tenti;

gusm

in

S. Cor-

D

Da-

I N D E X

Dia-

E

car-

F

Fa-

I N D E X

Fe-

III.

bene-

G

Inve-

H

I

pibus

Alia

Jo-

Jo-

Li 2

Aoti-

Hic

M

Ma-

I N D E X

Mili-

N

Nat-

natus :

çua

nendi

P

si oon

col-

ficat

Q

INDEX

R

Ceno-

S

Lin-

Sici-

finien-

Cle-

S. Tho-

V

Et

gem

X

Z

F I N I S.

ERRATA CORRIGE: Tom. IV.

Pag.	*Lin.*	*Error*	*Correctio.*
3	1	quod nam etiam ait lex reprehenſibile	quod reprehenſibile
	14	voto beneficium	vox beneficium
	35	voto beneficium	vox beneficium
4	46	oppoſitum	appoſitum
5	20	qui alium	qui per alium
6	40	alter nativo	alternativè
7	14	patres ſit	quatenus ſit
8	2	ſit cõtroverſia excitata	controverſia excitata
	6	eſt ſecutum	eſt locutum
	30	obſoletæ	obſoleta
	47	valebant	valeant
9	36	nec debeat	nec debent
11	29	Scythos	Scythas
12	23	& libentes	& bibentes
13	7	Nicænum primus	Nicænum primum
	34	quæ	quos
15	38	& ideo Eccleſiæ publice non ſervirent	Et non ideo Eccleſiæ publicè deſervirent
17	27	initeſcit	innoteſcit
21	14	de beneficiis	de beneficiariis
	15	memorantur	memoratur
22	20	Titularis	Titulares
	42	immediatæ	immediatè
24	15	Oreſte	O.aſe
26	6	martyrium	martyriorum
	19	diſpertiendos	diſpertiendi
28	5	vel refert	pil refert
31	42	non conferimus	non proferimus
	48	adminiſtratione	admiratione
36	6	ſimplicia	ſimplex
	15	ſportulis	ſportulæ
37	44	& viros	ut viros
	46	fortis ferro	foris ferro
38	23	opus beneficio	opus, à beneficio
39	17	actus rem	actus, non
	33	Fulconem	Franconem
42	22	illum exponit	illam exponit
44	44	Clericos	Clericum
45	17	qui etſi non ſint	etſi non ſint
46	27	aliquantis	aliquotiès
50	21	cauſis ipſis	cauſis juſtia
51	17	ad eum	ad eam
	18	*faceret : provideris*	*faceretque provideris*
52	35	exercecuſſet	ex reviſſent
	38	beneficii	beneficiis
	41	non eſſet	non ceſſet
54	50	quodubibet	quod ubilibet
61	6	quia	quin
62	27	nec eis	nec omnes
67	20	reſident	reſiderent
69	3	Hos	Nos
	32	exiſleretis	exiſtebat
	34	hæ ordines	hi Ordines
70	28	eviſu	eniſu
71	30	dictis	dictio,
72	18	Canoniſtæ	Canoniciſſæ
73	48	quæ audiunt alia	quæ audiunt, eſſe talia
74	38	cum uxore quoad ſacrum, & retentionis	cum uxore, & recentioris
75	6	Canoniſtæ	Canoniciſsæ
80	44	Vidimus	Videmus
81	13	inceptum	incenſum
82	51	exercuerint 120	exercuerit quotidiè 120
91	28	&c. auditis	&c. His auditis
93	24	intelligi	inſoliti
95	42	Nec ſola	Hæcque ſola
99	11	ſive hac	ſine hac
102	38	iudicatur	indicatur
	41	jam fruſtra	jam ſupra
106	52	exigent	exigunt
107	28	quid egerit Concilium compoſtellanum	dele totum hoc
108	14	ſuperius & hiſce	ſuperius ex hiſce
109	12	obtinuit, quem	obtinuit Petro, quem
111	33	errorem tuuc	errorem hunc
113	44	vel parum cum	vel parum refert, cum
114	2	intitulari valeat	intitulari valet
116	52	Triburgo ejus gloſſatar	Friburgo gloſsator
118	33	antea niſi fuerint	antea viſi fuerint
	35	Archiepiſcop. errari	Archiepiſcopat. ornari.
119	37	inducunt rationem	induunt rationem
122	45	alterum ex quis	alterum ex ipſis
126	29	ſupra ejus poteſt talẽ reſtitutionem	ſupra jus, poteſt talem reſtrictionem
132	25	in ſuis ætatis	ſuæ ætatis
137	46	ſtirps peſſerit	ſtirps peperit
138	11	ſicuti ſtultus eſſet	dele totum
140	5	beneficiorum	beneficiolum
	9	poteſt officiia	poteſt cum officiis
175	50	Prima die ſè	Prima de ſè
178	2	opportunè probatur	opportunè profatur
181	5	& uti	& vl
	16	congeritur	congeruntur
185	49	nullos aureos	mille aureos
186	9	coacervantur, ſed etiã conſervantur	conferuntur, ſed etiã coacervantur
	52	principalem non	perſonalem non
190	34	dictos Prioratus	dictus Prioratus
199	13	provinciæ Eccleſiæ	provinciæ Aſiæ
205	1	præficiunt	proficiunt
206	37	contra viſionem	contra juſſionem
208	38	laboranter modo	laborant eo modo
215	26	rem ſine	non tamen ſine
217	6	ad meum ſenſum	ad merum ſenſum
218	31	nõ inter beneficiarios diſtincta ſint occupat	non occupet
219	2	Sanchez	Vaſquez
225	1	ſi non ſine	Non ſine
228	12	& victualiter	& virtualitèr
230	38	indictioni	inductioni
	49	& Diana	& Piana
231	18	cum natura	cum Navarra
236	48	itaque	quo ità
238	48	ultra qua menſurantur labores. & ſtipendia famulorum	ulnà qua menſurantur labores, & ſtipendia bajulorum
239	3	viginti	triginta
240	18	inexpertis	in expenſis
246	48	illi perperàm	id illi perperàm
	40	geſsere	geſsero
253	39	ſubſiſtentibus	inſubſiſtentibus
255	38	potioni	patroni
256	49	d cretavit	detrectavit
261	4	excepiſset	expreſſiſset
271	16	847	857
279	17	Nedum ergo non eſt	Quare non eſt
280	2	In una quoque	In unaquàque
290	52	per ſubdiaconatum	pro Subdiaconatu
297	9	teneantur	tenerentur
301	9	Quiſque	Quique
307	23	niſi poſt 25	niſi poſt 22
309	30	ex viribus	ex 3eribus
316	45	adeo valeat	adeoque valeat
323	42	Epiſcopatus	Epiſcopatibus
326	37	falſum eſse	falſum eſse
328	42	alligendos	ad ligandos
341	53	niſi muteatur	mutentur
343	9	qua circà	qui circà
345	1	nam in illo	Nam in nullo
348	3	viris praxim	viris ad praxim
	16	pecora mala	pejora mala
	37	perductus eſt	perducta eſt
350	8	differenter	indifferentèr
	24	interdixiſse	injunxiſse
	29	quideſt	quidem
367	13	opponere	imponere
371	32	tam dat hiſtoria	tam hiſtoria
372	15	vel mundo	veh mundo
	31	non ſint	non ſinit
376	27	ſi aliqua	ſi onera
381	30	ſuo cæperunt	ſucceſserunt
384	20	pſalmariter	palmaritèr
388	8	aut de duobus	ubi de duobus
390	12	quia habent	quia non habent

Alia errata minoris momenti doctus Lector ex sè poterit emendare.

